VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 1
30

Digitized by Google

12. B. G. 3.

Digitized by Google

Ios. QVERCETANI DOCT. MEDICI-QVE REGII

AD VERITATEM HERMETICÆ Medicinæ ex Hippocratis veterumque decretis ac Therapeuſi, nec non viuæ rerum anatomiæ exegeſi, ipſiusque naturæ luce ſtabiliendam, adverſus cuiuſdam Anonymi phantaſmata Reſponſio.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRTI.

Ex Officina Typographica Wolffgangi Richteri, Impensâ Conradi Nebenii.

M. DC. V.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS.
VIRO MAXIMILIANO
BETHVNO, MARCHIONI DE

Rony, ſecreti & interioris Conſilii Senatori, centum cataphractorum equitum Præfecto, Regii ærarii Gazophylaci & Archinomo, machinis bellicis & operibus Præpoſito, Pictonenſis prouinciæ Prætori,

Ioſ. Quercetanus S.D.

NON tantùm vulgari illo Græcorum prouerbio, Magnanime Heros, fides fit, χαλεπὰ εἶναι τὰ καλά: ſed quotidiana etiam experientia ſatis ſuperq; id ipſum teſtatur ac comprobat. Ad hæc pulchra, non ſine magnis ſudorib. comparanda, cùm triuiales homines non adſpirent, ad eaque etiam captus ingenii illorum appellere non poſſit: nil mirum ſi in ludicris quibuſuis, pro cuiuſque a-

nimi impetu, & nullius, aut parui ſaltem momenti rebus immorentur, ac plerumq; tempus ludant. At quibus grandia ac excelſa ingenia natura contulit, longè maiora contendunt ac expediunt, vt nihil niſi grande, ſolidum, ac conſtans meditentur: eaq; ſola, ſummis laboribus ac vigiliis, quæ aliter conquiri non poſſunt, vt præclariſſima ac humano generi perquàm vtiliſſima ac ſalutaria, perueſtigent, quibus ſibi gloriam & humanæ Reipub. ſalutem pariant. Hinc quantis conatibus, & quàm mira ſolertia ac induſtria, inter alios omnes præclari Medici in aſſequendo ſcopo deſudarint, ex Antiquorum & Neotericorũ monimentis perſpicuum eſt. Hæc ſiquidem ſcientia (Medicina inquam) præ aliis omnibus, ſecundum Theologiam nobiliſſima, abſtruſiſſima, & humano generi vtiliſſima ac ſummè neceſſaria: cùm non obuia quæuis ingenia in ſua adyta admittat, ſed ſola ea, quæ perſpicaci mẽtis acie & perferendis animi laboribus valent, amplexetur, ac in abdita ſuorum arcanorum penetralia introducat. Mirum non eſt vtiq;, ſi in ea à ſegnibus & craſſis ingeniis penitiùs rimanda & effodienda tàm craſsè ac turpiter hactenus erratum ſit, & adhuc peccetur. Quid enim aliud præſtent eiusmodi homines, qui ſolis rerum corticib. & ſuperficiei intenti, quid in occulto

receſſu

receſſu virtutis deliteſcat vel prorſus ignorãt, vel ſi norunt, ingenii ſtupore aſſequi non poſſunt. Hinc tot tantæque in medendi arte difficultates: hinc perplexa & Medicorum & ægrorum ipſorum anxietas, dum hi ab imperitis ſibi metuunt, illi coniectura tantùm, ſuæ artis veritatem metientes, trepidè & indoctè medicantur, vt hinc inde certum finem expectare nõ ſit promptum, nec ſperari quicquam boni ex tanta poſſit vacillatione ac fluctuatione. At præclara illa ingenia, quæ Medicinæ veritatem certitudinemq; euoluerunt, quam etiam Deus ipſe teſtimonio ſuo aſſeruit, & carne humana indutus re ipſa ac vſu confirmauit, ſola aſpectabili rerũ illa facie, ac leui earum elaboratione nusquam contenta, aliquid maius ac præſtantius in intimis rerum partibus incluſum & latitans aggreſſa nucleum tandem, hoc eſt, naturæ arcana, proprietatibus, facultatibus, virtutibus, aſtris ac formis ſpiritibusq; grauida ex compedibus ſuis excluſerunt, corporaque inutilia, in quibus tincturæ illæ non vigerent, prorſus eliminarunt. Etenim cùm natura bonum, niſi veneno copulatum, vllum produxerit, idq; ſic iubente Creatore, ne carerent homines excutiendi torporis induſtria: ita omnia perfecta quidem in ſe creauit, vt in vſum hominis tamen citra laborem ac præpa-

 rationis

rationis artificium imperfecta reddita ſint. Qua enim induſtria ingenium & corpus homo exerceret, ſi omnia illa præmanſa ſponte caderent in ſtomachum? Cùm enim Deus nullum finem faciat operandi, nunquid iniquum fuerit, hominem ad imaginem ipſius conditum otio torpere, ac in vtramque aurem ſecurè dormire? Quàm igitur neceſſe fuerit, vitale à lethali, bonum à veneno diſſociare, & reiecta omni impuritate, veram ac potentem rerum eſſentiam elicere, in vſumque ſolam aſſumere, docet nos ipſa natura, dum in corporibus noſtris cibos in nutrimentum artificiosè conuertere nititur. Quot enim, Deus bone, impuritates & ſtercora eliminat! quot circulationibus omnia ſedulò, atque ita exactè perpolit! vt ſi vel integrum bouem homo in cibũ vorauerit, vix duodecim aut quindecim boni ſucci & nutrimenti vncias ſit extracturus, & in vſum ſuum relaturus. Hinc variæ artes à ſublimibus illis ingeniis excogitatæ & adinuentæ. Hinc inter omnes nobiliſſima Chymia ex luce naturæ deprompta, ſola repurgandis igne ſuo omnibus, & ſpiritibus rerum educendis, bonoque à veneno ſecernendo apta emicuit, magnoque honore ab antiquitate culta eſt, quòd eius Inuentores ac Sectatores admiranda patrarent, ſicque ſibi Deorum

gloriam

gloriam vt nomen à vulgo aucuparentur. Sed cùm abundè in progreſſu huius ſcripti mei, ac aliorum à me editorum, atque mox, fauente Deo, in lucem producendorum, hæc declarentur, quorſum hic tibi diutiùs caput obtundam? Hoc vnum reſtat generoſiſſime ac illuſtriſſime Heros excutere, cur hic te compellã, & tàm amplo nomini tuo tantulum quidem opus, ſi quod de meo eſt, ſpectetur: quàm maximum verò, ſi ſubiecti argumentum libretur nuncupandi ac cõſecrandi, anſam ac confidentiam tam audacter arripuerim. Sed cui potiùs quàm tibi huius fœtus ab omni inuidia conſeruandi, tutela ac cura committi poſſit, qui & bonis literis & armis non mediocriter, ſed abundè, omnique aliarum virtutum genere inſtructus, quæcunque præclara ſunt obuiis vlnis amplecteris, & nouitatis ingenioſæ humano generi ſalutaris, arcanorumque naturæ perſcrutandorum ſtudioſus ſemper fueris, vt ſanè nemo auguſtiſſimo noſtro ac potentiſſimo Regi occurrere potuerit, qui præ te ad tanta gubernacula, muniaque quàm grauiſſima obeunda, quæ tibi vt ſolertiſſimo ac ingenioſiſſimo, nec non fideliſſimo demandata ſunt ac cõcredita, deligi ac vocari potuerit. Vnde quàm gratus & acceptus tuo primùm Regi noſtroque: deinde bonis omnibus viris

eniteas,norunt qui animi tui magnitudinem, in rebus gerendis ſummam induſtriam ac candorem , addo & felicitatem comperta habent. Hoc ſi beneuolo animo , & candida fronte, munuſculum exceperis,amoriſque tui honore me dignatus fueris, totum me tibi deuinctum habebis,maioraq; aggrediendi, & tibi moram gerendi,volenti ac currenti etiam non paruos ſtimulos addideris.Vale.

Tui obſequentiſſimus Ioſ. Quercetanus R. *M.*

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

MVLTOS in hac vrbe locupletes ac fide dignos, ex Collegio etiam Medicorum, teſtes poſſum producere, amice Lector, quibus cum priuatim laborem meum, ac opus hoc, prout fruſtratim ipſum parturiebam, communicaui, qui certam fidem faciant, ipſum poſt duos menſes ab edita quadam Anonymi cuiuſdam Apologia, in librum meum nuper à me editum, perfectum ac omnibus ſuis numeris abſolutum fuiſſe, in cuius operis perfectionem, vt ingenuè fatear, non leuiter commotam fuiſſe mihi bilem aſſero, tantaq; ira percitum ac raptum fuiſſe, vt nullos non dies noctesq; integras ac prorſus inſomnes impenderem, quò quàm aptiſſimè iuſtam calumniarum, in me ab Autore illo apologetico detortarum, vltionem molirer, & à me eluerem, quod eo ſtomachoſius ferebam, quòd citra omnem anſam in me anteà perpetuò ac ſui eiusq; collegarum cultorem, nulliusq; offenſæ autorem inſurgeret. Quod ſatis ſcripta mea teſtantur, in quibus ſemper honorificam de illis mentionem hactenus feci, & ſi quæ mihi fuerint cum illis ineundæ ac coniungendæ conſultationes, priuatimq; cum eis conferendum, nullum non candidi amoris ergà ſe mei argumentum experti ſemper ſint, reiecto ſemper diſſimulato illo habitu, quo amicitiarum laruati proditores aliud intus, aliud in cute promittunt. Prætereà in noſtris conſultationibus nunquam me à regia illa, lataq; Dogmaticorũ via deflexiſſe, obſeruarunt, nec quicquam nouationis ſtudio, aut immutationis Hippocraticæ Medicinæ prolatum à me eſſe, bona fide teſtari poſſunt, vt hinc colligere promptum ſit, quæ à me (noua vt volunt) in illo meo ſcripto de priſcorum Philoſoph. Medicinæ materia, &c. explicata ſunt, non ad euerſionem Galenicæ ſcholæ, ſed illius potiùs, ac theorematum Medicorum illuſtrationem, pro meo marte inſtituta ac conſcripta fuiſſe.

)?(5 *Huius-*

Huiuſmodi Interpretes fuerunt Lullus, Rogerius Baccho, Riplaus, Rupeciſſa Chriſtophorus Pariſienſis, ac plerięꝫ alii magni nominis ac celeberrimi Medici & Philoſophi. Qui tamen cùm de balſamica illa & vniuerſali Medicina obſcurè nimis & cum longis anfractibus ad celandum artificium loquuti ſint, ego candidiore animo ductus, qui Dei gratia eorum ſcripta non ſine fructu perlegi, poſteritati illa enucleare, & publicam vtilitatem ſic promouere ſtudui: nec alio animo id aggreſſus ſum, quàm vt Tyrones, & in hac ſchola (quam ſcio ad ornamentum Medicinæ dogmaticæ multùm conferre) minus verſati, parata quodammodo via aſſueſcerent, & præ vt ex vſu eſſe animaduerterent, noſtra veſtigia ſequerentur. Quorſum igitur ſic mihi malè ominetur Anonymus, quaſi antiquam Medicinam ſtrangulare, & funditùs eam diruere, nouisq́ꝫ propoſitis remediis antiquorum vſum explodere inſtituerim? Quod quàm ſit à veritate alienum, ſatis ſuperq́ꝫ teſtantur conſilia mea iam edita & edenda, & quæ à me ſuſcepta eſt, ac propemodum abſoluta, Pharmacopæa Dogmaticorum reſtituta.

Cùm igitur totis viribus hactenus deſudarim, & ſtudeam adhuc vtilitati publicæ conſulere, medicamq́ꝫ artem pro ſparta mea decorare ac locupletare: nunquid ingrati animi crimen ſubeant illi, qui auocare ſtudium meum, & in peruerſum ſenſum deterquere inuidioſè nimis contendunt? Quod cùm fecerit omni pudore abiecto ac verecundia Anonymus quidam, ſuppreſſeritq́ꝫ idcircò ſuum nomen, quòd præter ignominiam nihil eſſet inde reportaturus, (cuius tamen adhuc nomini parco ob ſenectam) etſi per ſe ſatis ex natiua inuidia ſeſe agnoſcendum præbet, qua non cenſura & caſtigatione dignus ſit, quòd tàm temerè in me ſcriptaq́ꝫ mea debacchari ſit auſus, quæ nullam in quenquam offenſionem continent, Chriſtianiq́ꝫ præſcriptas leges in proximum ſeruant.

Nec velim hic à me querelas intendi, quòd ſcribendi libertatem in aliorum ſcripta cuiquam velim eripere. In omnibus

mnibus enim artibus ac ſcientiis, vltro citroq́; contrariorum argumentorum dimicationibus veritas melius enucleatur ac innoteſcit: ſed quòd in perſonas ipſas inuehi, & ſeſe mutuis conuitiis inceſſere ac confodere ſit nefas, planeq́; philoſopho homine, ne dum Chriſtiano, indignum.

Quod ad nos attinet tales re ipſa non ſumus, quales nos falsò & iniquè deſcribit Anonymus, cùm contra teſtimonia ſatis copioſa ac luculenta noſtræ vocationis à celeberrimis omnium totius Europæ Academiis habeamus: ſi tamen prorſus furores & impetus animi coercendi non habet in ſe poteſtatem, ſobrietatem ſaltem ſenectus illius ac modum ſeruare potuit & debuit, nec non Regis ipſius obſeruantia ac reſpectus fræna Anonymo iniicere, qui nos dignos iudicauit, quos in conſilium ſuæ valetudinis, & in numerum ſuorum ordinariorum Medicorum admitteret, eligeret & retineret. Quàm autem ſit ille proſtituti pudoris ac verecundiæ, ſatis hinc conſtat, vt qui etiam ex noſtris collegis vnum auſus ſit mala fide incuſare, quaſi de induſtria & conſulto honeſto cuidam viro, officiario Regis, aut, vt ſcribit Anonymus, Scribæ Prætorii Pariſienſis, interitum accelerarit ac præcipitarit, ne qui vacantibus, vt vocant, officiis quæſtus in ſcriniis Regis deſideraretur, tempeſtiuè illum ſuis heredibus vindicaret, & ærarium eo regium priuaret. Sic enim rurſum ſcribebat Anonymus: Tuis remediis accelerata mors auxit fiſcum, atq; ſic functus es Medici verè Regii officio. *Audax vtique incuſatio, & temeraria, falſaq́; calumnia eſt, quæ niſi graui ſupplicio mulctata ferri nuſquam poteſt. Quid enim non maieſtatem ipſam regiam perſtringit ac vellicat, quam ſic nefariorum Medicorum improbitate ac ſcelere in lucrum ſuum vti, tacitè ementitur, & impiè accuſat. Atq́; hæc eſt rabies furorq́;, quò adiguntur iuſto Dei iudicio, qui fortunis alienis inuident, & liuore ex aliorum felicitate contabeſcunt.*

Quod priuatim ego ab eiuſmodi hominibus impetar, ob vſum mearum pilularum, quas in quorundam malignorum ac con-

ac contagioſorum morborum curam præſcribo & offero, quibus vulgaria remedia ad eruendas radices & extinguenda ſeminaria, nobis ſatis cognita, nihil opis conferant: quùm ex earum vſu quibusdam, quos duos aut tres nominibus ſuis deſignant, grauia ſymptomata accidiſſe falsò mentiantur: grauiſſima proborum virorum longè plura, quàm ſatis eſt, teſtimonia habeo, quæ mendaciis illorum & calumniis opponam, quibus fides fiat certiſſima, vllum vnquam nemini ſymptoma (ne dum noxam) contigiſſe, qui eas deglutiuerit. At contrà earum vſu plurimùm eſſe adiutos, & omnibus grauibus ſymptomatibus liberatos. Quorum tamen ſi quibusdam aliquis poſt ſumptionem earum conflictatus fuerit, hoc non pilulis ſed morbi violentiæ ac humorum malignitati ſit adſcribendum.

Inter ſexcenta teſtimonia eorum, qui illis vſi ſunt, hactenus ac indies eas feliciter aſſumunt, producam in exemplum D. Bertrandum Regium Medicum, doctum virum, eiusdem mecum patriæ ac regionis, nec non intimum mihi amicum, ac olim ſtudiorum ſocium & condiſcipulum, qui grauiſſimo affectu conflictatus ab hinc ſeſqui annum aut amplius, in hac ipſa vrbe, poſt multa tentata fruſtrà auxilia à duobus tribusue iuuenibus huius vrbis Medicis, per aliquot dies præſcripta & adminiſtrata, cui ego etiam cùm adeſſem nec quicquam mouere voluiſſem, quin mihi D. Seguini, viri vtiq; doctiſſimi ac celeberrimi Medici, conſilium accerſerem, ac coniunctis rationibus de eius morbo cum illo decernerem, qui cùm per multos continuos dies cùm inuiſiſſem ægrum, & cum aliis etiam Medicis multa ex communi conſilio remedia imperaſſemus, quæ & purgationem humorum, & ſanguinis miſſionem, reuulſionem & roborationem, aliaque id genus reſpiciunt, vnde nihil leuaminis nec opis perſenſiſſet: admonitus tandem æger à D. Seguino, vt meis pilulis vteretur, & quas alioqui non obtuliſſem ſponte, nec niſi rogatus, quamuis virium earum ipſemet iam aliquot ante annis effectuumq;

fectuumq; fuiſſet conſcius & ocularis teſtis, ex maſſa quadam earum, quam vltro illi hinc diſcedenti impertieram: admonitus, inquàm, iis tandem vti voluit, qui cùm vnam tantùm deglutiuiſſet citra moleſtiam, talem tantamq; porraceæ bilis euacuationem prorſus viridem deiecit, vt crederet huiuſmodi colorem ex ipſo medicamento profectum: at quùm aliis diebus eodem vteretur, nec eiuſmodi bilis copia vlla, aut venenatus humor, expurgatus ſit, nulloq; colore excrementa ipſa vi pilularum deturbata tincta apparuerunt, tunc ſimul morbi grauitate depreſſa ac imminuta, meliùs habere cœpit, ac tandem paulò poſt conualuit. Vnde non ex medicamento colorem viridem ſed ex ipſis venenatis humoribus eiuſmodi colore infectis promanare iudicauit. Hoc vſq; adeò benignum ac leue expertus eſt medicamentum, vt præter eam portionem pilularum, quam remigranti in patriam petenti obtuli, crebris adhuc literis ſepiùs apud me earundem petitionem iterauerit, ſibiq; erogari ſcripſerit, quod feci, idq; per manus cuiuſdam iuuenis Chirurgi, cuius famulitio vſus erat, quiq; adhuc in hac vrbe eſt. Is veritatis per me aſſertæ cum aliis fide dignis teſtimonium exhibere poſſit, ſi opus eſt, vt me iſtis calumniis falsò obiectis liberem, eaq; criminatione expediam, qua triginta aureis nummis à me vendi falsò proclamatur, cùm apud omnes propemodum earum mea ſit ſumma benignitas, vt teſtari poſſint omnes huius regni optimates, qui me norunt.

Sed quis tandem fuerit eiuſmodi mendaciorum ac contumeliarum finis? En dènuò paucis ab hinc diebus certior factus ſum, in peius omnia ruere, eſſeq; medicaſtrum quendam, qui veriùs negotiator, ac peregrinarum mercum nundinator, quàm doctor Medicus dicendus eſt: cuius tanta fuit impudentia, vt non ita pridem nomen meum ad Principem quendam detulerit, apud eumq; de fama mea quantum potuit, detraxerit, empiricum me contemptim vocitans: obituſq; cauſam præbuiſſe cuidam nobili, de Liremont Caſtelle-

ti cuſtodia ac moderationi à Rege præfecto: ſic audacter & impunè cum impudentia ac mendaciis, rabioſa quadam petulantia mihi inſultans, quùm ſecus acciderit quàm impurus ille verbero calumniatur: ſiquidem is ipſe nobilis, quem à me iugulatum mentitur, poſtquam fruſtrà ab aliis auxilia expertus eſſet in cura ſui morbi, meque tandem in ſubſidium vocaſſet: quùm totus Cacochymia ſcateret, ac ad hydropem eſſet propenſus, nihil citra alicuius ſocii conſilium tentare volui (qualis eſt mihi mos, ſemperque fuit velin ipſis etiam leuiſſimis morbis) idcirco accitis mecum D. Seguino & Maierno Medicis celeberrimis in ſocietatem curationis, ex eorumque conſilio meoque præſcriptis remediis & exhibitis tandem æger conualuit, nedum vt obierit, integraque valetudinis per annum perſtitit aut amplius. At cum in hanc vrbem rediiſſet, & in ea per aliquot menſes negotiis diſtractus moratus eſſet, indicto nobis hoc eſt. D. Maierno, mihique conuiuio, in quo plures eius agnati ac amici nobiles vnà nobiſcum epulabantur, ſequente nocte peripneumonia laceſſitus acutiſſimo morbo, & tunc nobis epidemico eaq́ſemper ingraueſcente dum indies magis magisq́ premeretur, ac à nobis D. inquam, Seguino, Maierno, & me, quàm diligentiſſimè fieri poterat curaretur, ſeptimo die, huiuſmodi morborum critico, expirauit. Quod cum ita ſit, vt re vera eſt, quod in me medicaſter erroris aut ſceleris crimen intorqueat, cuius falſitas ab omnibus, qui nos in cura coniunctos viderunt, in eius caput non retundatur? At faceſſant eiuſmodi cōuiciatores, ac quales ſunt in eodem ſtatu permaneāt, perpetuo ſilentio potius obruendi, quàm illorum nomine lingua inficienda. De me, quantum volent, detrahant, ſi lubet, quorum calumnias floccifacio, vtq́ labores & induſtriam meam, qua mihi conſtans fama comparata eſt, concutere aut inficere nequeant. Sic enim apud exteras nationes vſq́ adeò accepta ac grata ſunt ſcripta mea, vt ſatis gloria aut fama inde, cui iſti vix intra ſuos lares cogniti officere nequeant, reportaſſe mihi ſit ſatis.

Ceterùm Anonymus priore ſua cenſura non ſatis errata Typographi agnouerat aut obſeruarat. Duo porrò aut tria addere viſum eſt, in ſecunda quadam eius Apologia, qua Anonymus ſatis nomen ſuum apertè exprimit, ex linguæ ſuæ virulentiæ: de quibus vt infantes feſtucis aut nucleis colludentes, victoriam animosè tanquam de re graui ac magni momenti perſequuntur, ſic ille triumphum referre geſtit, ac magnam gloriam inde ſibi pollicetur. Fatuus admodum ac nimium hebes, qui Typographi lapſuum excuſationem, quos grauiſſimis impedimentis ſedulitati eius obſiſtentibus æquiſſimè adſcribit, & quorum veniam deprecatur, non expendit, aut impudenter diſſimulat. Atq; tandem grauiora notat errata Cenſor iſte noſter & adiicit; Sales ſc. non ſalia eſſe dicendum, balſama non balſamus. Si perſtitiſſet in ſua παιδοτριβείᾳ nondum omnem depoſuiſſet ſui Dictionarii nec grammaticalium Etymorum memoriam. Addit porrò nos palatui dixiſſe pro palato, & cùm de Paracelſo loquerer, ſic ſcripſiſſe: Me non ſibi aduocatum conſtitui, *quaſi non fuerint procliuis lapſus in defectum literæ t, pro conſtituit, & literarum μεταβολῆς ui pro o. Sed iſta vſq; adeò puerilia ſunt & ridicula, vt villicum magiſtrum ſubulcos docentem redoleant potiùs, quàm doctum virum referant.*

Longè Anonymum noſtrum magis decebit ſcriptorum meorum ſententiam in Philoſophi modum, rationibus ſcilicet validis ac prægnantib. oppugnare, quàm grammaticuli partes ſubeundo verbis & ſyllabis affigi.

Attentè potiùs videat, ac ingenii ſui acumen intendat ad quædam paradoxa, quæ in hoc ſcripto ei concoquenda proponuntur, quæq; eius Philoſophiæ prorſus refragari videntur otiosè ac categoricè reſpondeat, non autem vnica hora ſtringendo ligas vt ampulloſè gloriatur, neq; ampliùs nobis in reſponſionem veterum libros & ſcripta obiiciat. Quib ſi nihil validiùs habeat, deſinat ille nobis ea tranſcribere, quib. quàm

ſibi

ſibi notiora & magis familiaria eſſe credat, nihilque noui ex citatis ab illo autoritatibus Galeni aliorumq; Philoſophorum addicere nos per illum poſſe, qui à iuuenilibus annis toties eorum ſcripta euoluimus ac contriuimus. Quod verò ad elementorum materiam attinet, quæ vulgo vltro citroque agitatur ac dicertatur, huius argumenti nihil poſſit nobis obtrudere, quò longè plura à nobis quinto mei magni ſpeculi librô ſcribi ac doceri non videat. In cuius lectionem (ac præcipuè illius, cui ſecundam manum admoui) ſi animum appellat, & omnia accuratè perlegat, ibi animo aduertet, ni totus planè cæcutiat, hoc argumentum mihi eſſe familiariſſimum: & multa in eo contineri, quorum hactenus fuerit ignarus. Vnde ipſum pudeat ſui tàm iniqui iudicii, quo me prorſus ignarum & vilem tyronem ac empiricum pronunciat. Sed libenter, vt Chriſtianum decet, ei aliisq; ſimilibus, citra vllum vindictæ ſtudium ignoſco ac condono.

Cæterùm excuſabis Lector, ſi placet, quod iuſta indignatione in quandam verborum acerbitatem hac in mea reſponſione proruperim, obteſtans Deum, me non in probos huius percelebris ſcholæ Medicæ Doctores, quos tanquă patres ac fratres ſuſpicio & colo, ſed tantùm in ſolos, eosq; proteruos quosdam calumniatores, in me tàm acerbis conuitiis & tàm iniuſtè vibratis inſurgentes, iuſtè & meritò exacerbari.

IOS.

IOS. QVERCETANI DOCT. MEDICIQVE Regii

AD VERITATEM HERMETICÆ Medicinæ ex Hippocratis etiam veterumque decretis, ac therapeuſi propugnandam, aduerſus cuiuſdam Anonymi Phantaſmata Reſponſio.

CAP. I.

De legitima Authoris Vocatione, & Medicinæ Hermeticæ antiquitatis compro batione.

VERITAS odium parit, (dicebat ſummus ille Orator Cicero) quo fit, vt ad eam pauci anhelent, atque niſi quos æquus amauit Iuppiter, attingantque eius faſtigia montis. Idcirco vix liber à me nuper libere editus, prodiit in lucem, quum ab Anonymo quodam veritatis oſore, extemplo iaculis eſt impetitus: & quo minus fructum ferret, qui tenebras mentis diſcutiat, nullum non lapidem mouit, ac indies movet, vt ex conſortio hominum excludatur. Is partim in argumentum ipſum libri, partim in me authorem, tanquam ἀνίατρον, aut ἀπια-

do Academiæ illi præſtito, obſtrictum eſſe, ad partes Aſclepiadarum tuendas, cuius infractor viderer, niſi me Aſclepiadis diſcipulum agnoſcerem, & magno illi Dictatori noſtro Hippocrati, cuius doctrinam ſequor, & ſcientiam ſuſpicio veneror q;, debitum honorem, quem voui, tribuerem. Fateor enim, ab ipſo omnium primo inſtauratam, ac corroboratam fuiſſe medicinam, quæ alioqui caduca, imbecillis, totaque velut diſſuta ac lacera, iacebat. Cuius veſtē partesque vndequaque collegit & reſarciit, ipſamque in eum ordinem redegit, vt ex certis illius conſtitutis præceptis, iisque ſubtiliſſimis ac acutiſſimis, corpus quoddam eius conſtituerit. In quorum tamen Præceptorum explicatione, aut bona eorum parte, altero Oedipo aut Doctore, intellectu ac iudicio acutiſſimo prædito, ſit opus. Quæ idcirco tenebris inuoluit, ne vulgo aut plebeculæ, hoc eſt, profanis & indignis hominibus innoteſcerent: ac ab iis medicina, ex qua tantam gloriam, à primis vſque patribus ac maioribus, lōga ſerie, tota ſtirps reportauerat, vt ad cœlos etiam ſupremos eueheretur, ac diuinitatis titulo ſuſpiceretur, cognita indigne exciperetur, tandemque ignominioſe proculcaretur ac defœdaretur.

Verum quidem eſt, Hippocratem, totamq; eius ſtirpem (quod & plerique alii præclari celebresque Philoſophi factitarunt) ab Ægyptiis, pulcherrima & præſtantiſſima quæque ſcientiarum dogmata, hauſiſſe & mutuatos eſſe. Cui idcirco genti prima debetur gloria cognitionis Aſtronomiæ, curſuum & cōuerſionum aſtrorum cœleſtium, totiuſq; diſciplinæ Mathematicæ, aliarumque id genus ſcientiarum, vt & Medicinæ, quibus tam præclara dona accepta ferenda ſunt. Generalis vero totius vniuerſi cognitio, vni illi præ aliis omnibus admirādo Hermeti Trimegiſto, à Strabone L. Geographiæ vltimo adſcribitur. Cum ſic loquitur, Thebanos

cham, ex aureo ſuo ſuggeſto docentem, audirent, quo tunc temporis in Hermetica diſciplina verſatiorem & exercitatiorem nullum ferebat orbis. Quam quidem deinceps doctrinam temporis ſucceſſu, & perpetua ſeculorum ſerie, non tantum celeberrimi quique Philoſophi, ſed nobiliſſimi etiam Viri Principesq; primarii, tum Græci, tum Arabes & Latini magno ſtudio amplexi ſunt, infinitique Doctores, Profeſſores, Celeberrimi Medici, hodie quinetiam amplexantur.

Attamen certum eſt, veteres vtique, quamuis magnos eos & fortes agnoſcamus Athlantes, nec potuiſſe nec dixiſſe ita omnia, vt nihil intactum reliquerint: Quin multorum ipſi ignari & imperiti fuerint, aut in his quæ calluerunt & præſtiterunt, multa reprehendi & emendari poſſint. Nam (vt boni illius Guidonis vtar verbis) Infantes ſumus, humeris illorum inſignium Gigantum altis ſuperuecti & geſtati, vnde non tantum ea, quæ eis viſa ſunt, intuemur, ſed plura quoque alia perſpicimus. Abſit enim vt confingamus, artem medicam ſupremum perfectionis verticem attigiſſe. Quod ne ipſe quidem magnus Dictator Hippocrates agnouit, quum in ea, quam ad Democritum dedit, Epiſtola ſubſcribit, & ingenue fatetur, nuſpiam abſolutam Medicinæ ſpeciem inueniri, nec in quoquam ſe vnquam perfectam deprehendiſſe.

At dicet Anonymus, Celebrem illum Pergamenum, ſexcentos circiter poſt annos ab Hippocrate natum eam extremam manum appoſuiſſe, quæ ad integram & omnibus ſuis numeris abſolutam perfectionem requirebatur. Nolim ego minorem, quam tu Anonyme vel alii multi, tanti viri meritis honorem tribuere, Cuius & ingenii acumen & ſubtilitatem, nec non ſcientiæ altitudinem admiror ac ſuſpicio. Attamen, ſi ad ſuperos redierit, nullo pudore, ad pleroſque magnos doctoſque

ſtatim errori ſubdere, vel quod temperata reſolutione placari poterat, velle ſubuertere. At docti contradicente Veritate non verentur ſæpenumero priſcis contradicere, & perinde atque propoſitis gloriæ pręmiis, cum ipſorum magnitudine certare.

Sed ne falſi ab Anonymo noſtro inſimuler, quod tot, tantos, tam graues doctosq; viros, Hermeticos inquam Medicos, etiam hodie florere & viuere dixerim, qui tantum abeſt vt aſpernentur aut damnent (quod cum noſtro Anonymo quidam alii temere & citra Cauſæ cognitionem faciunt) tam elegantes arcanorum veræ & antiquæ Chymiæ, aut Spagyricæ artis inquiſitiones, quæ ſemper fuit Medicinæ noſtræ decori & ornamento, vt eam tanquam genuinam, & Medicinæ partem neceſſariam non minoris faciant, nec ſegnius laudent, quã illaudatam illam & adulterinam agyrtarum, ſufflonum & Empiricorum, atq; id genus aliorum, reſpuant & explodant. Attexam hic Catalogum illorum, qui mea ætate floruerunt, & cum quorũ multis in peregrinationibus meis, conſuetudo familiaris mihi interceſſit, vel coram, vel per mutuas literas, aut per eorum Commentarios.

At hic primum ordiar à clariſſ. Viro N. Brichmanno, olim apud Colonienſes Doctore Medico celeberrimo, quo hoſpite ac hoſpitio ad decem menſes apud ipſum vſus ſum, & cum quo mutuas manus in opus & vigilias tam præclaræ artis contuli. Cui ingenue, vt & magno illi Petro Seuerino Dano, prima & elegantiora meorum in hac ſcientia ſtudiorum rudimenta accepta fero. His duobus luminibus duo alia lumina adnectam, Cratonem Imperat. Archiatrum, & Guinterium Andernacum Imperatoris Medicum, vtrosque viros de re medica bene meritos. Quorum alter ex profeſſo ſcripſit librum de Veteri & noua Medicina,

quemque familiariter Argentinę noui, ab ipſoque multa arcana chymica decerpſi. Adiungam præterea Theodorum Zuingerum, Felicem Platerum, Iſaacum Kellerum, Nicolaum Stupanum, omnes in celebri Baſilienſi Academia Medicinæ Doctores & Profeſſores, literatis omnibus ex recondita ſua doctrina, & multiplici ſcientia venerandos & admirandos, ac omnibus paſſim, Medicorum noſtri ſeculi Coryphæos habitos ac decantatos, quos ego pariter, vt venerandos meos Præceptores agnoſco & colo. Præter illos Baſileæ etiam cognitus mihi eſt Arrogoſius Imperatoris Medicus. Ruſcalonius Medicus Illuſtriſs. Principis Electoris Comitis Palatini, Bulſſius, Sterpinus, Auberius, Benardus, Pænotus, Genandius, Camillus à Camillis, percelebres omnes ac præclari Phyſici Mediciquę, partim in Heluetia, partim in Italia, quorum nonnulli defuncti ſunt vita, reliqui vitali aura adhuc perfruuntur. Quos vero alios aut coram, aut ex fama, & doctiſſimis eorum ſcriptis, noui, quorum adhuc maxima pars in Germania floret, ij ſunt, qui ſequuntur: Duncanus Leldelius Med. Doctor & Profeſſor Acad. Helinſtadenſis, Vecherus, Ioann. Ratzenberger Med. Henrici Iulii Ducis Brunzuicenſis. Henricus Faber Med. Ducis Saxoniæ Ioannis, Guillelmus Venatenus D. Med. Moguntinenſis. Iacobus Alſtein de Haldesleben vtriuſque Med. Doctor percelebris, mutua amicitia mihi coniunctiſſimus. Franciſcus Parcouius Med. Ducum Brunzuicenſium. Ioannes Linck Med. in Zeith. Andreas Libauius Halenſis Sax. Medicus Doctor celeberrimus, rerumque naturalium perſcrutator fidiſſimus & diligentiſſimus, veræ Chymiæ defenſor acerrimus, cuius doctiſſima ſcripta, ſi Anonymus noſter perlegiſſet, non ita in verã Chymiam debacchatus fuiſſet. Hieronymus Reuſnerus Medicus clariſs. qui librũ de

Scorbuto vere aureum nuper edidit, in quo inter reliqua enucleatur, quo modo iuxta Hippocratis Galenique Therapeuſin, ſelecta ſpagyricorum magiſteria tuto adminiſtrari poſſint. Ioannes Montanus Strigiæ in Sileſia D. Medicus. Martinus Coppus Med. Magdeburgenſis. D. Medicus. Lauinius, arctiſſima mihi amicitia iunctus, vir vtique literatiſſimus, qui poſt multas peregrinationes cum illuſtriſs. Barone à Zerotin peractas, ſedem ſuam tandem Pragæ fixit, Imperatoris Cæſaris Auguſti Medicus. Heliſcus Roſſlin, Medicus & Phyſicus Haganoæ Alſatiæ. Ioannes Ludouicus Hauuenreitterus Argentinæ Doctor & Profeſſor Phyſicus. Eberbergier Argentinæ etiā ordinarius Phyſicus. Item Nithmanmerus Argentinæ quinetiam Doctor Medicus. Ioannes Schenchius à Graffenberg Friburgi Briſgoniæ Medicus. Ioannes Mochius in eadem Vniuerſitate Profeſſor. Ioannes Hartmanus Bergerus D. Medicus Francofurti ad Mœnum. Nicolaus Molanus Medicus Illuſtriſs. Principis Landgrauii in Heſſia. Martinus Rullandus, eiuſque filius Ratisbonæ. Eliſeus Roſlin Hagenoniæ. Carolus Worſelius Phyſicus in Repub. Vratiſlauienſi. Ioannes Heyden, Illuſtriſs. Principis Anhaltini Medicus. Hermanus Brichmānus, Coloniæ Doctor Medicus. Crollius, D. Med. inſignis amicus meus. Henricus Conradus D. Medicinæ Hamburg. Ioannes Kume Gaſtronii. Franciſcus Rentzius Pomeranus in Morauia. Fridericus Egſius Alſata in Reinfelden. Ioannes Terrentius Sueua, & multi alii mihi vel familiaritate vel nomine noti, viri tamen clariſſimi, & omnes celebratiſſimi doctiſſimique Medici. Quid? ſilentione præteribo noſtri ſeculi duo lumina, Ioannem & Caſparum Bohinos, ſumma mihi amicitia coniunctos, hunc quidem Illuſtriſſimi Ducis Wirtenbergenſis Medicum; & Botanicorum dictatorem: alterum vero in Academia Ba-

ſilienſi Anatomicum Profeſſorem? In extremo hoc Germanorum Hermeticorum ſeu vere dogmaticorum agmine collocandi mihi veniunt celeberrimi duo viri, ætate quidem iuuenes, at in hac ſcientia prudentiſſimi ſenes, ac in hoc certamine generoſiſſimi fortiſſimique Athletæ, omnium Medicorum duo futura Lumina, Iacobus Zuingerus, magni illius Theodori olim, inter ætatis ſuæ ſydera fulgentiſſimæ ſtellæ filius, qui amicitiæ paternæ heres, ſicuti bonorum, & virtutum, ſui amoris me participem fecit. Quibus nominibus clariſſima illius fama, non ſolum in Germaniam, ſed & Italiam peruolauit. Alter eſt Henricus meus Kerlerus, qui mecum degit per aliquot annos, meique vel in peregrinationibus meis, vel in fano meo Spagyrico, ἐργοδιώκτου officio fungebatur: ac mihi tanquam fidus Achates ſemper aſtitit. Qui à me diſcedens, cum luſtra quina nondum ſuperaſſet, in Galliæ noſtræ percelebri vrbe, & veterum Romanorum Colonia illa Nemauſenſi, Philoſophiæ publicus Profeſſor, ſub Regis ſtipendio incredibili omnium applauſu, militauit. Atque etiam vt eruditione, & partibus omnibus Medicinæ clarus, doctiſſimis & maximis quibuſque huius æui luminibus, tum Monſpeſſuli, tum alibi innotuit, qui præter diuerſarum linguarum ſtudium, Spagiricæ etiam artis, ac ſcientiæ Hermeticæ, Hippocraticæque Medicinæ nucleum contrectauit, Doctorque Medicus magno cum honore Baſileæ proclamatus, receptuſque fuit. Nam inter alias gentes, quæ literarum omnis generis, ſtudiis, ac præſertim Spagiricæ arti incubuerunt, vna ſemper Germania, omnium ſeculorum memoria, clariſſimis id genus viris feliciſſima fuit, matrixque ac mater maximorum totius orbis ingeniorum feraciſſima ſemper habita eſt. At qui non ſit eiuſmodi viris fæcunda? quum Imperatores & Prin-

cipes ſemper habuerit huius ſcientiæ fautores & Mecænates, nuncque adhuc habeat Rhodolphum huius nominis Secundum Imperatoria Maieſtate auguſtum: qui & ipſe tam raræ, pulchræ, atque elegantis ſcientiæ & artis amantiſſimus eſt: nec non Sigiſmundum Regem Poloniæ, Sereniſſimos item Principes, Archiepiſcopum Colonienſem, Ducem Saxoniæ: Marchionem Brandeburgenſem, Sacri imperii Electores: Illuſtriſſimos quinetiam Principes, Carolum, Ducem Sueciæ, Henricum Iulium, Principem Brunſuicenſem, Mauritium Landgrauium Haſſiæ. Vdalricum Megapoloniæ Principem. Ferdinandum Ducem Bauariæ, Marchionem Badenſem. Principes Anhaltinos omnes. Iulium Epiſcopum Herbipolenſem, Ducem Franconiæ, & alios pleroſque magni nominis Heroes, tam exquiſitæ ſcientiæ propugnatores, ac ſedulos cultores.

Nec alia Regna, nationes, prouincias doctiſſimis eiuſmodi Viris (etſi rarioribus) orbatas autumandum eſt. Siquidem Italia ſuos habet, Iulium nempe Cæſarem, Claudinum Profeſſorem Bononiæ; Herculem Saxoneum Profeſſorem Pataulii primarium: Ioannem Baptiſtam à Porta, Neapoli, pluresque alios Medicos, doctrina & experientia claros. Scotia & Anglia ſuos alunt Hermeticos, Ioannem Dee: Antonium L'eſcapia Silliuetanum: Laurentium de Laune: Ant. Cobel: Muffetum; Ioannem Starfeldium: Iacobum le Cadet: Andream Sellim: Silbertum Guilliermum, inſignes omnes Medicos & Philoſophos.

Taceo Gallos pleroſque, quorum res præclare geſtæ ſatis ſuperque famam & exiſtimationem nomini ipſorum conciliarunt, adeo vt facile elogio noſtro carere poſſint.

Atque hæc eſt illa multorum Philoſophorum ac Medico-

Medicorum ſeries & numerus mihi cognitus, quorum permulti, ac fere omnes, Hermeticam doctrinam amplexantur. Alii vero non pauci, qui quamuis in ea non adeo verſati ſint, amantiſſimos tamen illius, ne dum vt infeſti ſint hoſtes, ac tot, tamque egregiarum præparationum, quæ ex arte hac perdiſcuntur, ſtudioſiſſimos ſeſe præbent, iiſque perpetuo inhiant.

CAP. II.

Quo induſtria antiquorum Medicorum explicatur, in concinnandis etiam propria manu medicamentis.

LOngius forſitan progreſſi ſumus, quam inſtituti argumentum poſtulabat, in noſtræ legitimæ Vocationis explicationem, & Hermeticæ Medicinæ, aut (vt verius loquar) dogmaticæ & Hippocraticæ antiquitatis probationem, vbi tot tantorumque virorum, ac vbiuis totius Europæ Academiarum, medicæque profeſſionis Coryphæorum ſeriem nominatim produximus, qui dum viuerēt, veræ chymiæ ſtudium amplexati ſunt, ſuperſtites colunt, vt de veritate & antiquitate artis Spagiricæ, cui non tantum aſtipulantur, ſed eam quam doctiſſimis Commentariis indies exornant, ambigi nuſquam poſſit aut debeat.

Quid igitur nouitatis hæc dogmata inſimulet Anonymus, & tanquam ex cerebro noſtro recēs natam medicinam arguat, cum à primis propemodum conditi mundi ſeculis originem ducat, & tot poſtea longo ordine ſuccedentibus ætatibus, à prǣſtantiſſimis omnium Medicis comprobata ſit?

Sed quibus tandem fuſtibus librum meum caſtigandum ſuſcepit? Gratiſſimum vtrique fuiſſet, ſi ſingula moderato animo, quæ reprehenſione digna iudicabat, notaſſet,

taſſet, non autem Thraſonica quadam *ἀλαζωνίᾳ* in hæc verba, rubrica vtique & minio ſignanda prorupiſſet *Intereſt Reip.*(inquit) *Medicum à Pharmacopæo ita diſtingui, vt vnus præſcribat, alter operetur, quia niſi eſſent diſtincti artifices, poſſet vterque quando lubet, ægrum impunè occidere, poſſent ſinguli fel pro melle, venenum pro remedio propinare.*

Et paulo poſt ſubiicit: *Attamen operatio Pharmacopæis relinquenda erit, indigna Medici Maieſtate, cuius eſt præſcribere, non operari.*

Hic incertus ſum quid agam: an tantas iſtius hominis ineptias rideam, num meam ſortem apud me lugeam, qui in hoc ſtudii genus ingreſſus ſim, tanta imperitia & inſcitia ſcatens, vt illis ratio & experientia (firmiſſimæ tamen ac tutiſſimæ Medicinæ columnæ) obruantur, iiſque ſubiici ac cedere iniquiſſime cogantur?

Antiquitas, qua Anonymus iſte noſter gloriatur, contraria prorſus nos docet, nec vſq; adeo deſides Medicos facit, vt omni labore illos liberet.

Hippocrates ipſe eorum faciem conſpuiſſet, qui præparandorum ſuorum remediorum ſcientiam illi detraxiſſent, quorum vtique veteres tam vigiles fuerunt cuſtodes, vt ea nequaquam publica facerent omnibus, ſed magna cautione ſibi aſſeruarent, & filiis ac nepotibus ſeriatim tandem committerent, ac per manus traderent. Quod adhuc noſtro ſeculo, in quibuſdam familiis, inter Danos atq; alibi obſeruari videmus, vbi nonnullæ familiæ hoc à parentibus longo ordine traditum habent, vt morſuum canis rabidi curationem calleant: aliæ epilepticum affectum ſanent: aliæ fracturas ac luxationes reponant, atque id genus affectiones priuatim curent.

Celſus Latinorum omnium Medicorum facile princeps,

ceps, atque altera Hippocratis ſimia in præfatione ſui libri ſcribebat, vt Hippocrates ſui ſeculi lumen (quod diuina eius ſcripta vbique teſtantur) inter primos fuerit, qui Medicinam à Sapientia vel Philoſophiæ ſtudio diſtinxerit, quam ante ipſum Pythagoras, Empedocles & Democritus (ipſius Hippocratis Pręceptor) tanquam Philoſophi profeſſi erant. Hippocratem ſequuti ſunt, (vt refert idem Celſus) Diocles, Careſtius, Praxagoras, Chryſippus: deinde Herophylus & Eraſiſtratus, qui tam varie medicinam exercuerunt, vt ab eo tempore illa in Diæteticam, Pharmaceuticam & Chirurgicam diuiſa ſit, nec tamen illi ſingularum ſuarum ſectarum duces ac præclari Medici, ſeorſim vel Pharmacopæorum, vel Chirurgorum, vel Diæteticorum nomen aut titulum aſſumebant, ſed Medicorum, qui in officiis trium illarum partium ſedulò verſabantur, etſi Diætetici Medici primum locum obtinebant, quod potiſſimum rerum naturalium ſcientiæ incumberent, citra quam mutilam ac imperfectam medicinam iudicabant, quos tamen vt nec ceteros pudebat aut tædebat, pharmacis manus intingere, quorum delicatuli multi ne oculis quidem præparationem intueri audeant, aut dignentur. Dioclem & alios illius ſeculi Medicos ſequutus eſt Serapio, qui priuatam Empiricorum ſectam inſtituit, ſe ipſum Empirici nomine inſigniens, euidentium cauſarum & experimentorum fundamento innitens. Quæ quidem ſecta non paucos habuit diſcipulos, nec infimæ notæ homines. At eam amplexi ſunt Apollonius, Glaucius, Heraclitus, Tarentinus, ac alii complures. Qui quidem inſignes Medici omnes non abhorrebant à remediorum præparationibus & eorum adminiſtrationibus, prout ex illorum formulis, apud Græcos authores paſſim deſcriptis, colligere licet, ipſorum nominibus inſignitis. Quin illis parandis & exhi-

bendis

bendis ſumma cura ipſimet inuigilabant: eaque experientia probata alii nemini, quam ſuis in manus tradebant, aut mutuo ſibi impertiebantur, nec niſi multis precibus expoſtulata: adde etiam illorum quam plurimos ſic ſibi ſolis ea aſſeruaſſe, vt non niſi poſt obitum ſuum, copiam vlli fieri religioſe vetuerint: nedum ea Pharmacopæis publice euulgarint, aut illorum præparandorum aut exhibendorum curam eis commiſerint. *Attamen*(cõcludet adhuc ſic Anonymus)*operatio Pharmacopæis relinquenda erit, indigna Medici Maieſtate, cuius eſt præſcribere non operari.*

Sicci-ne perſonata Medicorum Maieſtate, & fallaci pompa morbi profligabuntur? Quid ſi rus iſtiuſmodi farinæ Medici ad inuiſendos ægros accerſantur, vt ſæpe fit vbi deſiderantur Pharmacopæi & Chirurgi, ibiq; morbus vigeat, nec vllas patiatur inducias, ſed promptum auxilium expetat? Quid iſthic agat medica maieſtas venerabilis Doctoris? An illum faſtum morbus reformidet, à quo iugulari ægrum neceſſe ſit, ſilente ſic turpiter Medico? Meretur ne ignarus iſte Medici celebris nomen? Quis tibi Anonyme tuæ profeſſionis homo hoc concedat? quin potius, quis te non laceſſat & iure criminetur, qui videat talia verba ore tuo excidiſſe? Nunquid is, qui venam opportune ſecare, & apte apoſtema aperire, vlcus aut vulnus tractare, chirurgiq; officio, cum vrget neceſſitas, defungi nouit, aliaſque id genus operationes exercere; quique & Medicamentorum præparationes callet, eaque ſemper parata ac experientia tuta in promptu habet, & ſecum circumfert, verius celebris Medicus dicatur & agnoſcatur? An maieſtas & põpa, helleniſmus & latiniſmus medici nomine tenus, non re, (vt qui & morborũ curandorum rationem ignorat, & remediorũ vim ac præparationem) Medicum reddet aliquem, qui præcipuis aliis dotibus, &

veluti

veluti medicinæ anima, quæ in appoſite, cito & tuto curando poſita eſt, careat & plane ſit deſtitutus? Nunquid forma facit id, quod res eſt, non ſimulachrum adumbratum rei?

Quid igitur agant Medici, quorum non eſt operari, vbi pro regionis, locorum, perſonarum, affectuum ratione, varianda ſunt medicamenta, eorum præparationes, concinnationes, formæ: vt pro circumſtantiarum conditione auxilia mutentur & conuenienti forma ac grata ægris exhibeantur? Quæ quidem obſeruationes non niſi longo vſu ac operationum experientia comparatæ, quum in iſtis Pſeudomedicis deſiderentur, quid ab illis expectetur aut ſperandum ſit? Faceſſat igitur faſtuoſa iſta Maieſtas, nec non κενολογία iſtius Cenſoris, cum ad rem nihil, quam ad aucupandos loculos faciũt. Sic enim ſentiebat Celſus, quum ſcribebat, ingenium & facundiam vincere, morbos autem non eloquentia ſed remediis curari. Quæ ſi quis elinguis vſu diſcreta bene norit, hunc aliquanto maiorem Medicum futurum, quam ſi ſine vſu linguam ſuam excoluerit. Idem alibi dictat, verum eſſe ad ipſam curandi rationem, nihil plus conferre quam experientiam. Quæ quidem experientia non leui aliqua induſtria, aut ex ſedentaria arte, ſed perpetuis vigiliis, aſſidua operatione prudentique obſeruatione, inter arma, Xenodochia & peregrinationes longinquas, ad colloquia cum variis Doctoribus ac præclaris viris incunda, ſuſceptas, comparatur. Sed iſta inaudita ſunt Anonymo noſtro, cuius anima etiam, vt coniicio, non ſecus bombardarum tonitru diſcutitur, ac nolarum ſeu campanarum ſonitu nimbi diſperguntur ac diffugiunt. Idcirco libenter ab armorum ſtrepitu, Xenodochiorum ſordibus, & peregrinationum laborib. ſemper receſſit, inſigni pietate ductus, vt videlicet lares domeſticos perpetuo coleret, atq; ſic

nullo negotio tot laborum in comparanda alia quam vulgari ſcientia, iugum excuteret. Latiorem viam etſi erroneam, alioq; quam par eſt deflectentem, vt tutiſſimam iudicans, quod breuis & citra moleſtiam incedatur. Venia vtique dignus es Anonyme, ſi plura, quam vires ingenii tui ferant, præſtare non valeas. Attamen ne ἀναπολόγητος inſcitiæ, in Apologia tua prorſus videare, rationem plenis buccis, & aureis literis conſignatam ſubiungis: *Attamen* (inquis) *operatio Pharmacopæis relinquenda erit, indigna Medici Maieſtate, cuius eſt præſcribere, non operari.* Deus bone, quanta iſthæc arrogantia eſt! Si oculos Anonyme in antiquitatem & bonos authores defixiſſes, nunquam talem ſententiam effudiſſes. Sed occidant iſta, vt orta ſunt.

Scribonius Largus in ſuo de Compoſitione Medicamentorum libro, Caio Iulio Caliſto dicato, ſic loquitur: *Inter maximos quondam habitus Medicos Herophilus Cai Iuli Caliſte, fertur dixiſſe medicamenta diuinum munus eſſe, & id quidem non ſine ratione, vt mea fert opinio. Prorſus enim quod tactus diuinus efficere poteſt, id præſtant medicamenta, vſu experientiaque comprobata. Animaduertimus itaque ſæpe inter deliberationes, contentionesque Medicorum authoritate præcellentium, dum quæreretur, quidnam faciendum, aut qua ratione ſuccurrendum eſſet ægro, quoſdam humiles quidem, & alioqui ignotos, vſu vero peritiores, & (quod fateri pudet) longe ſummotos à diſciplina medicinæ, ac ne affines quidem eius profeſſionis, medicamento efficaci dato, protinus velut præſenti numine omni dolore periculoque liberaſſe ægrum. Quamobrem ſpernendi ſunt, qui Medicinam ſpoliare tentant vſu medicamentorum, non à medendo, ſed à potentia effectuque medicamentorum ita appellatam: probandi autem qui omnimodo ſuccurrere periclitantibus ſtudent. Ego certe aliquoties magnum ſcientiæ titulum conſecutus ſum ex vſu proſpere datorum medicamento-*

rum: Multosque ex eâdem cauſa non mediocrem gloriam tuliſſe memini. Eſt enim hæc pars Medicinæ, vt maximè neceſſaria, ita certè antiquiſſima, & ob hæc primùm celebrata ac illuſtrata.

Paulò poſt autem, vbi declaraſſet ex quorundam teſtimonio, Aſclepiadem non vſque adeò firmam remediis, à ſola diætetica medendi ratione petitis, fidem habuiſſe, vt prorſus quæ à Pharmacia impertiri poſſunt aſpernaretur, hæc quæ ſequuntur adiicit de ipſo Aſclepiade, in libro παρασκευαστικῶν inſcripto, id eſt, præparationum, vbi contendit vltimæ ſortis eſſe Medicum, ſeu indignum Profeſſione Medicinæ, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternasque compoſitiones, & expertas protinus paratas habeat.

En quæ ab ipſo Aſclepiade & Scribonio Largo noſtri Anonymi Maieſtati in faciem exſpuuntur, vt qui Medici nomine prorſus indignum iudicet eum, qui omnium operationum ad Medicinam facientium prorſus expers ac imperitus ſit: Qui ſi inſolentiùs in ſui defenſionem prioris ſuæ tam præclaræ ſententiæ clypeum opponat, quæ fert Intereſſe Reipub. *Medicum à Pharmacopæo ita diſtingui, vt vnus præſcribat, alter operetur: quia niſi eſſent diſtincti artifices, poſſet vterque quando lubet, ægrum impunè occidere, poſſent ſinguli fel pro melle, venenum pro remedio propinare.* Quid aliud, quàm omnium Medicorum & Pharmacopæorum iras in ſe exacuat, quos tam improbæ fidei notat, vt, ſi ſeorſim operentur ac medicentur, non ſaluti ægrotantium reſtituendæ, ſed morti accelerandæ, de induſtria ſtudeant? Quis huiusmodi calcipodiatorem ſuo calceo alios calceantem ferat? Nunquid omnis Medicus famæ ſuæ integræ ac ſinceræ conſcientiæ ſtudioſus in capillitium hominis inuolet, vt oculos etiam eruat? Satis Argumenti Anonymus toti Academiæ Medicæ ſuggeſſit,

geſſit, vt in ipſum omnibus neruis inſurgat, qui tàm iniqua de Medicis & Medicina (ſanandi non nocendi ſcientia) non comminiſci modò, ſed publicè etiam promulgare auſus eſt: quaſi verò non potuerit cogitare, etſi præſcribit ſalubria Medicus, poſſe à Pharmacopæo in perniciem ægri adulterari, ſi malæ mentis homo eſt, & Medicus procul abfuerit. Quaſi verò longè nobilior & verior ratio diſtinctionis vtriusque officii afferri non potuerit, vt nempe rebus præparandis ac peragendis Pharmacopæus adeſſet, & leuaret tanquam miniſter tædia & moleſtias Medici, qui tot diſcerpi occupationibus nequit, vt ſimul multos ægros inuiſat, & illis ſua remedia paret. Quibus officiis vnus Medicus par & ſatis eſſe nō poteſt. Quis auſit animo cōcipere, præter Anonymum noſtrū, Medicos vſq; adeò eſſe ſceleratos, vt ad necandum potiùs, quàm ſanandum, Medicinæ incumbant? Nunquid ſanius, & magis Chriſtianum, ex regula charitatis fuerit, eos iudicare, artem ſuam magnis laboribus & ſumptibus didiciſſe, vt humanæ Reip. proſint, cùm omnes alii artifices eò ſuas artes candidè referant?

Idcirco dicebat idem Scribonius eadem epiſtola: *Nec hoſtibus quidem malum medicamentum dabit: Sed perſequetur eos, cum res poſtulauerit, vt miles, & ciuis bonus omnimodè, quia Medicina non fortuna neque perſonis homines æſtimat, verùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia ſua opitulaturam ſe pollicetur, nullique vnquam nocituram profitetur.* Hippocrates Conditor noſtræ Profeſſionis initia diſciplinæ à Iureiurando inchoauit: quo ſancitum eſt, ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptus protrudi poſſit aut detur aut demonſtretur à quoquam Medico, longè præformans animos diſcentium ad humanitatem.

Tantum igitur abeſt Anonyme, vt operandi peritia Medicos ſpolies, & ad Pharmacopæos medicamento-

rum præparationes, tanquam Medico indignas transferas, vt contra ad pecudes ille ſit ablegandus, ne dum illuſtri Medici titulo inſigniendus, qui medicinam iactitat, cuius vſum in auxilium ægrotantium neſcit, & omnis remedii, operationis ac præparationis eſt ignarus.

Longe aliter res ſe habebat antiquorum Medicorum ſeculis, quos operationes ſuas (ne dum vt eas maieſtate & nomine ſuo indignas putarent, vt iudicat Anonymus) tanti feciſſe conſtat, vt celeberrimi quique Medici, nec non Reges ac Principes medicinæ ſtudioſiſſimi, præparationes, operationes ac compoſitiones medicamentorum, quas ſuis manibus ipſi elaborabant, nominibus ſuis tanquam à ſe profectas, inſigniri voluerint, adhucque nomen retinuerint, quibus indies ipſi vtimur. Cuius rei fidem faciunt tot remedia, celeberrimis totius antiquitatis Medicis attributa, tāquam eorum authoribus, inuentoribus ac artificibus, Hippocrati nempe, Chryſippo, Herophilo, Aſclepiadi, Serapioni, Apollonio, Glaucio, Heraclidi Tarentino aliiſq; compluribus, quibus non tantum illa, quæ diximus, ſed infinitæ compoſitiones, tanquam eorum geniture, acceptæ ferendæ ſunt, vt diuerſæ illæ Hierarum ſpecies, quæ Antiocho, Galeno, Archigeni, Traliano, Longadio, Iuſto, Conſtantino adſcribuntur, quod ex eorum officinis profectæ ſint, quemadmodum Mithridatum à Mithridate, Theriaca Andromachi ab Andromacho, Athanaſia Adriani ab Adriano, Philonium à Philone, Elect. Iuſtinum à Iuſtiniano, & id genus infinita alia ab aliis excogitata & elaborata ſunt: qualia ſunt etiam Recentiorum auxilia ac compoſitiones, ex eorum nomine cognitæ & nobis vſitatæ, à Meſue, Nicolao Myrepſo aliiſque deſcriptæ, quarum inuentio & adminiſtratio Græcis, Arabibus & Latinis arrogatur, vt ex eorum ſcriptis

ptis videre eſt: quarum tamen cognitio non niſi multo poſt illorum obitum prodiit in publicum.

Sed videamus, quid Scribonius Largus ſeorſim de Hiera Pachii magni nominis Medici ſcribat, qui Romæ temporibus Tyberii floruit; qui quidem Scribonius 23. *cap. de Compoſ. medicamen. libri*, breuiter tractans ac diſſerens de Hiera Pachii, admirandiſque eius effectis, in cura variorum ac grauiſſimorum affectuum, quos ordine enumerat, ac eodem capite deſcribit, ſic loquitur; *Fecit* (inquit de Pachio ſcribens) *magnos quæſtus ex ea, propter crebros ſucceſſus in vitiis difficillimis. Sed ne hic quidem vlli, dum viueret, compoſitionem dedit. Poſt mortem autem eius, Tyberio Cæſari per libellum ſcriptum ad eum, in publicis bibliothecis recondita, venit in manus noſtras, quam antea nullo modo extrahere potuimus, quamuis omnia fecerimus, vt ſciremus quæ eſſet. Ipſe enim incluſus componebat, nec vlli ſuorum committebat. Plura enim quam recipit ipſa contundi iubebat figmenta, fallendi ſuos cauſa, hanc poſtea nos ſciuimus: quæ* (vt ſane in libello ipſe fatetur) *non à ſe inuenta, ſed vſu exactiore comprobata data proficeret.*

Addamus & quod idem Scribonius de remedio quodam in colicum affectum ſcribit, à Caſſio Medico, quodque de pleriſque aliis auxiliis refert, vnde videre liceat ab antiquis Medicis celeberrimis, ſua propria manu remedia parari, nec aliis eorum præperandorũ commiſſam fuiſſe curam, quod pretioſiſſima, & tanquam ſingularia arcana haberent, & ſibi ſolis aſſeruarent. Qui ſi hodie viuerent, ſcilicet tam graui iſti noſtri Anonymi ſententiæ ſuffragarentur, ac ſubſcriberent: qua imperioſe ſic tonat magiſter noſter: *Attamen operatio Pharmacopæis relinquenda erit, indigna Medici Maieſtate, cuius eſt præſcribere, non operari.* Sed de iſtius præcipitis hominis tam præclaro iudicio, vel etiam ad ipſos, qui eum in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

noſtri libri Cenſuram delegerunt, libenter prouoco, vt ſcilicet conſultiùs in poſterum ſagaciores & modeſtiores eligant, qui ſi in malè dicendo ſibi temperare non poſſint, ſaltem in ſcribendo de arte honorifica, in errores non incidant iuueniles, qui vitio toti collegio verti poſſint.

CAP. III.

De vſu & præſtantia Chymicorum remediorum aduerſus Contemptum & Comparationem ab Anonymo inſtitutam.

ANtequam iſtius tàm elegantis remediorum Chymicorum cum vulgaribus Comparationis (vbi patefacturi ſumus ingenii hominis ſubtilitatem) examen aggrediamur, quædam capitula huc & illuc libelli eius tanquam ſcopæ diſſolutæ inſperſa, nobis excutienda ſunt, àc primo loco ex illo quærendum, cur ſeorſim caput inſcripſerit, An ars poſſit aurum efficere? Et paulò poſt; An aurum ſit finis omnium metallorum? Quid ad rem? Aut in quem finem iſta? Quorſum de Transmutatione Metallorum tam multa garrit, cùm, niſi aliò mentem diuertiſſet, facilè videre potuerit, quícquid de Medicina vniuerſali libro noſtro, quem caſtigandum ſuſcepit, ediſſero ad tranſmutationem metallorum, à me nullo modo referri: ſed ad tuendam aut reſtituendam deperditam hominum ſanitatem, prout antiqui omnes præclariſſimi Medici, quos ſequor, in eum ſcopum toti collimarunt, reuocari? Sat eſto Anonymo noſtro, canendi triumphi ante victoriã, anſam omnem eripuiſſe, ad cuius velitationes, cùm probè nunc mihi tam peritus Iaculator ſit cognitus, tutiùs ob metam inſtar Diogenis me ſiſtam, cùm nihil minus quàm ad ſcopum collimet. Etenim cùm tàm obliquè aberret à ſenſu verborum meorũ, & quem ſibi propoſuit attingendum

ſcopum,

ſcopum, longo à latere interuallo eum deſerat ac deuitet; quis iam illius tela reformidet? Quis coniiciat ex ſcriptis meis transformationem metallorum illis innui? Cùm enim expono, cur antiqui vniuerſalem illam Medicinam vocarint eſſentiam quintam, Elixir, aurum potabile, lapidem & cœlum Philoſophorum. En verba quibus vtor: *Lapis vocatur, non vt ille, cuius contactu metalla transeunt in aurum, hoc enim auaritiæ inuentum eſt, atque opus non Medicorum vel Medicinæ, ſed propter perpetuam atque inuictam durationem, aut quod de natura ſit ſalis, ſalis inquam rerum vitæ, in quo tanquam duriſſimo firmiſſimoque corporum fundamento, reliquæ virtutes conquieſcunt.* Cur de ſuo addit Chymiam, niſi inuidia quadam motus, quod fundamentum ſcripti mei, aut eius argumentum, omnibus bonis viris gratiſſimum, nusquam adoriri, vlla ratione, ne dum conuellere poſſet, vtpote viribus noſtrarum rationum, quæ captum eius ſuperant, impar: ex illa voce (chymiam) quam adiecit, arripuerit voluntariam occaſionem, liberè exſpatiandi in Alchymiæ campum; eamque non ſuis armis, ſed aliundè ab illis, qui eam antea oppugnarunt, non expugnarunt tamen, collectis impetendi ac laceſſendi? Sic ſequutus doctiſſimum quidem virum Eraſtum, eiusque arma ſuffuratus, ea in me, aut potiùs in artem transmutandi imperfecti metalli in aurum, quibus ille in Alchymiam ac tam nobilis artis propugnatores inſultauit, euibrare contendit, vt ſi fit maiore doctrina non polleret, alienis ſaltem à re nugis ac ineptiis apalectoronicis apologiam ſuam conſarcinaret ac infarciret. Non eſt quod à nobis Anonyme vagos eiuſmodi proceſſus & obliquos expectare debeas. Quin potiùs ad ſingula tui ſcriptuli capita tùm vniuerſim, tùm particulatim reſponſione noſtrâ auditurus ſis. Nec intactum à me puta prętermittendũ

præcipuum iſtud, quo tui cachinni nituntur, quoque ignorantia tua ac ineptiæ apertius per me notabuntur: hoc nimirum quod dixerim ſupra & inculcauerim, ſalem rerum vitæ idcirco lapidem vocari & eſſe, quod in eo tanquam duriſſimo corporum fundamento reliquæ virtutes conquieſcant. Rides enim quod dixerim, in ſale vitam eſſe rerum, in eoque tanquam ſuper rupe firmatas omnes virtutes reliquas inconcuſſas ſitas eſſe. At quid mirum? Inſuetæ ſunt tuis libris eiuſmodi lactucæ, carduos prætuliſſes, & auidius excepiſſes: Veruntamen quam aperte apteque iſta dicantur, & omnium oculis, niſi tui ſimilibus, iſta ita eſſe pateat, facile ex noſtris rationibus vtrique in meis ſcriptis licet cognoſcere, non abſurde videlicet à nobis ſtatui firmum hoc principium vitalibus ac potentibus qualitatibus ſeu virtutibus eſſe inſtructum.

At noſter iſte Anonymus non exſaturatus tam friuolis rationibus, nihilque ad rem pertinentibus, libellum porro ſuum infarcit commentis, ac falſis etiam additionibus locupletat, quibus animi ſui virus vndique euomat, & nos obruat, ſi poſſit. Quid enim ab eleganti ingenio, à docto, probo, & ſapiente viro magis alienum eſt, quid magis abſurdum, quam in proximum clam palamque debacchari, & eiuſdem ſortis ac profeſſionis ſocios etiam aliqua familiaritate antea coniunctos proſcindere, à quibus nullam vnquam iniuriam, ſed encomia & laudes contra accepit? Quid iniuſtius quam ex inſtituto ementiri, vnica illa noſtra medicamenta, eſſe Antimonium ſcilicet præcipitatum, aquas quaſdam & olea ſtillatitia, perpetuum Epyreuma redolentia: eaque ab vno Paracelſo, hoc eſt, ex Diaboli officina, vt loquitur, in perniciem humani generis deriuata, falſo calumniari? quum nihil tale in libro meo legatur, vnde illud eruat? Nunquid iſthæc mala eſt mens, maluſque animus?

animus? quum præſertim in aliis meis ſcriptis, potiſſimum in Aubertum quendam editis, Antimonium vitreum & præcipitatum a me prorſus explodi ac damnari videat ac legat? Quam iſta ſint ab vſu meo, & medendi ratione aliena, ſatis præterea docent, tum Pharmacopæa mea Dogmata, tum Conſilia iam à nobis edita, & quæ mox in lucem fauente Deo proditura ſunt. Sed vſque adeo attentus eſt & iudicioſus lector, noſter Anonymus, vt explodere & damnare perinde ſit illi, ac recipere & admittere. Quis enim prudens Medicus vitrificatum illud Antimonium, tot ſimptomatum exitialiū parens, & mercurium præcipitatum tot ſpiritibus acribus ac rodentibus ferocientem laudauerit? vbi apud me & veros Philoſophos, qui aſſiduè occlamant, Cauete à vitrificatione, iſta probantur & in vſum veniunt? Non negamus tamen ex Antimonio & Mercurio, vt ex aliis metallicis corporibus, præſtantiſſima educi poſſe medicamenta. Quod etiam natura, in thermis vel aquis metallicis & medicatis, ipſa nos docet, ex tot tamque elegantibus ac admirandis effectis, quæ ex illis indies producuntur, tum omnibus vacuationum modis corpora purgando, vomitione, deiectione, inciſionibus, abſterſionibus, ſudoribus, vrinarum profluuiis; tum etiam obſtructiones ſoluendo, deriuando, auertendo, corroborando, intemperiem corrigendo: deploratiſſimos denique quoſque morbos curando, vt quæ abundent medicatæ aquæ, tum ſalibus nitroſis, aluminoſis, gemmeis, vitriolatis, tum ſpiritibus ac diuerſis ſubſtantiis metallicis, ſulphureis, bituminoſis, antimonialibus, mercurialibus, plumbeis, ferreis, cupreis, & reliquis id genus, à quibus prædictæ aquæ & nomina & vires mutuantur: quas aquas medicatas, quæ remedia metallica, natura liberali ſua manu in hominum ſalutem variis in locis abunde ſuppeditat. Quid mirum igitur, ſi in Anti-

monio, ſi in Mercurio & reliquis ſubſtantiis metallicis tales virtutes comperiantur. Quis rerum tàm vtilium inueſtigationem improbare poterit?

Sed quàm falſum ſit crimen, quod in me contorquet iſte Anonymus, de Antimonii vitrificati, & Mercurii præcipitati exitiali vſu, Audite pauliſper, quid de illis iam olim in ſpagirica mea Pharmacopæa ſcripſerim. Ibi enim poſtquam obſcuram de quibuſdam remediis, quæ ex Antimonio extrahuntur, nec non de eius tinctura, quæ inſtar panaceæ omnibus propè morbis medetur, ſolis ſudoribus, ac diaphoreticis perſpirationibus citra vllam moleſtiã, aut nocumentum: ſic corpus ac inprimis totam ſanguinis maſſam expurgans ac defæcans: hacque ratione medicamentum vtique, ſcrophulis, variolis, morpheæ, malo mortuo, cancris, lupis omnium generum, phagædenis ac malignis vlceribus curandis opportunum ac præſentiſſimum: Audite, inquam, quid ſcribam cap. de Antimonio. *Tinctura illa expurgat atrum ſanguinem, & vitioſos quoſque humores, idque ſine euacuatione manifeſta, ſed ſola prauorum humorum Correctione.* (addo) *Ne quis autem exiſtimet, me de illo Antimonii vitro verba facere, quo hodie multi imperiti maximo cum damno vtuntur. Pernicioſum enim eſt medicamentum, quod ſuo arſenicali ſpiritu, facultatem irritando expultricem, per ſuperiora & inferiora magna cum perturbatione ducit euacuatque. Quod ego probare nullo modo poſſum. Non enim violentis quibuſdam purgationibus morbi omnes curantur, ſed conuenientibus &c.*

In eodem libro cap. de Argento viuo ſequitur, quod de præcipitato loquor: *Neque certè præcipitatus Mercurius vnquam vtile remedium eſſe poterit, quàm diu corrodens vis, ab aqua forti accepta, ipſum comitabitur: quæ tamen non communibus, vt multi putant, infringitur ablu-*

ablutionibus, *ſed longè aliis præparationibus & dulcoramentis, quibus ignotis nihil boni præſtari poteſt.* Idem in meo Sclopetario pronuncio, vbi præcipitati Mercurii vſum ſentio potiùs ad externorum vlcerum curationem adhibendum eſſe, quàm intus exhibendum.

In Conſilio de Lue Venerea, ad calcem libri mei nuper editi (cui obſtrepit noſter Anonymus) addito, ſatis ipſe arguitur mendacii malæque mentis. Sic enim ſcribo de eodem Mercurio præcipitato, poſtquam illius variam præparationem vſumque docui, contra etiam Fernelii opinionem: *Tandem eò vſque* (inquam) *experiendi audacia proceſſit, vt etiam interius exhibeatur; vnde factæ ſunt Pilulæ de Barbaroſſa dictæ, poſtmodum præcipitati præparatio in aqua forti, eiuſque vſus inuentus eſt. Quod præcipitatum Argentum viuum à nobis omnino improbatur, quamuis diuerſis aquis ablutum ad eliciendam omnem aquæ fortis acrimoniam, ad X. vel XI. grana, à nonnullis exhibeatur cum theriaca mixtum.* Deinde, vbi abvſum etiam illorum oſtendi, qui ipſum crudum, extinctum tamen vtcunque, vel ſaliua vel limonum ſucco aut terebinthinæ modico, theriacæ adinixtum exhibent, addito, in correctionem illius, puluere aliquo cardiaco. Ex quo tamen præſtantiſſimæ curæ ſequuntur virulentarum gonorrhearum & nonnullarum Luis venereæ, minus malignæ ac mitioris ſpecierum. Hæc adſcribo vt conſtet, quàm abhorreat animus ab eiuſmodi medicamentis, præſertim ſi ab imperitis, & agyrtis præparata fuerint. *Hæc* (inquam) *& ſimilia Empiricorum ſunt ſecreta, quæ buccinatorum inſtar pro maximis myſteriis promulgant, cū eorū pars maxima, quid aut cur exhibeat, nullā rationē reddere poſſit, &c.* Si benè iſta legiſſet Anonymus, & peruidiſſet ex noſtris libris, quos nūquā vt patet, euoluit, at ne inſpexit quidem, an nobis nunc

obiiceret iſtorum medicamentorum vſum vnicum nobis eſſe præſidium? Nunquid improba illius fides hic innoteſcit? Quum ea audiat tam ſtrenue à nobis oppugnari, cur ſibi & aliis inique perſuadet ſola illa eſſe nobis purgantia? At contra legant omnes æqui iudices ſcripta noſtra, ſi aliquod aliud præſidiũ, quam ex ſchola dogmaticorum petitum agnoſcant. Sed quorſum præterea de diſtillatitiis quibuſdam aquis ac oleis verba facit? quæ vt ſola, vel præcipua ſaltem Chymicorum remedia eſſe contendit, cum *ex cap. 4. & 5.* Pharmacopææ dogmaticorum reſtitutæ, paulo poſt tractatum primũ libri mei, quem carpit, deſcriptæ, potuerit didiciſſe, diſtillationem vnum tantum eſſe operationis chymicæ membrum, idque non vſquequaque eiuſdem cum aliis membris dignitatis, qualia ſunt calcinatio, digeſtio, fermentatio, ſublimatio, circulatio, fixatio? Cum etiam ibidem varia deſtillationum diſcrimina & ſpecies longe à vulgaribus iſtis diuerſas, quas nobis putat eſſe familiares, quasque alioqui tanquam Phlegma inutile reſpuendas ducimus, comperiat? Exhalationes videlicet, exaltationes, circulationes, rectificationes, corroborationes: nec non ibidem legat, potiſſimum vſitatum Operationum in digeſtionibus, coctionibus, ac fermentationibus, à nobis conſtitui, quibus tam præclaris ac egregiis artificiis, ars naturæ imitatrix, puri ab impuro ſeparationem facit, actiuas virtutes à paſſiuis qualitatibus diſcriminat, vtilia denique à noxiis ſecernit: quas ſic ſeparatas ſubſtantias Philoſophus Medicus nouit denuo in vnionem reuocare, ac in vnum corpus aggregare, vnde ſumma Virtus remedii ſic elaborati, & veluti quinta illius eſſentia in vnum centrum coacta, admirandarum virium, ex repurgatis omnibus ſordibus ac impedimentis eniteat. Sed Anonymus iſta capere nõ potuit, quamuis omnia aperte & dilucide ſatis expoſuerim; qui ſi vel tantil-

tantillum iudicii habuiſſet, eſſetne adeo egregias ſpeculationes, Philoſophis ſolis dignas, ex leui aquarũ inutiliũ ſtillicidio vel ipſis mulierculis, ac famulis omnibus familiari, tam inepte interpretatus?

Sed cur etiam æque ad rem, ac cetera, Paracelſum nobis opponit in libro de Morbis inuiſibilibus? quem Deum teſtamur, nunquam nobis nec lectum nec viſum etiam fuiſſe: nec credo Anonymo noſtro ſenſum huius libri eſſe perſpectum, qui in rebus leuioribus diiudicãdis careat iudicio, quod ſatis etiam ipſemet indicat, cum eum, in quo nulla fit tranſmutationum metallorum mentio, nobis tamen obtrudat improbationem artis tranſmutatoriæ, quaſi ab illo mutuati ſimus tranſmutandorum metallorum ſcientiam. Sed falſo etiam iudicat, cum putat ex diſciplina Paracelſi me hauſiſſe, quicquid de Medicina vniuerſali diſſero, cum diſerte affirmem non nouam hanc eſſe Medicinam, ſed antiquitus ad nos deriuatam ab Hebræis, Chaldæis, Ægyptiis, Perſis, Græcis, Latinis & Arabibus, ex quibus magnum doctorum celebrium Catalogum texui, ex quorum ſcriptis liquet, quam ſedulam huic tam præclaræ Medicinæ & huius argumenti tractationi operam nauauerint, vbi accurate tria illa prima rerum omnium principia, de quibus agimus, & quæ ab illis ſumus mutuati, non à Paracelſo ipſorum diſcipulo, dilucide explicata ſunt, Mercurius videlicet, ſulphur & ſal: de quibus inter alios doctiſſime diſceptauit Iſaacus ille Holandus, magnus Philoſophus, cuius imprimis ſectator fuit Paracelſus, non exiguum tamen ex ſe lumẽ illis & ornamentum adiiciens, Medicinamque iis innixam, abunde ac profuſe, magna ingenii dexteritate locupletans. Nec vero dixeris Anonyme, me Paracelſicæ doctrinæ eſſe ſequacem: at arcanorum illius admiratorem ſi dixeris, veriſſima loquaris. Is enim inter alios omnes vberri-

vbertimos huius Medicinæ, quam tantis laboribus, vigiliis & peregrinationibus ſibi conciliauit, fructus poſteritati reliquit. Neque enim tantum flores ex Iudæis, Arabibus, Græcis, quos diſcendi cauſa maximis impenſis & moleſtiis adiit ac conſuluit, ſed integras plantas etiam cum firmis radicibus reportauit, quas in noſtros hortos magno animi candore inſereret ac implantaret. Præcipuè verò ſi chymicam artem ſpectemus, in qua præclarè emicuit & nobis præluxit. De his ſic adhuc Iuuenis in reſponſione mea ad Aubertum ſcripſi: *Hoc quidem concedo quorundam imperitorum ac etiam interdum improborum culpa & impoſturis factum, vt peſſimè Chymici audiant. Sed damnari propter abuſum, res præſertim tanta, quantam hanc eſſe ſcio & defendo, profectò nec iure poteſt nec debet. Tot enim illa nobis Dei opt. max. opera patefacit, tot pandit naturæ arcana, tot antea ignotas Pharmacorum præparationes, Herbarum denique, animantium, mineralium, ac omnium penè rerum abditos, & in ipſo naturæ ſinu reconditos vſus depromit, vt in humanum genus ingrati ſint, qui ſepultam illam velint. Ad Paracelſum verò quod attinet, equidem mihi nequaquam propoſui, ipſius Theologiæ patrocinium ſuſcipere, neque ipſi in omnibus aſtipulari vnquam cogitaui, tanquam in eius verba iuraſſem. Sed præter id teſtimonium, quo Eraſmus illum quibuſdam Epiſtolis ornauit, auſim ego dicere & tueri, multa illum penè diuinitus in re medica docere, & quæ nunquam ſatis admirari ac prædicare grata poſſit poſteritas.*

Sexto etiam cap. Pharmacopææ meæ, cuius fragmentum nuper emiſi in lucem, Anonymus noſter apertè videbit Chymicas noſtras operationes ementitis iſtis diſtillationibus & oleis, quę perpetuò mihi obtrudit, longè quid diſſimile habere, ac maiore digeſtionū, coctionum & fermentationum cura & moleſtia elaborari: quarum beneficio impura quæque defæcantur, mali-

gna

gna corriguntur ac emendantur, amaraq; edulceſcunt, citra quas operationes vel ipſe panis ac vinũ, præcipua noſtri alimenti fercula, nobis noxia & pernitioſa futura ſint. Si enim crudis tritici granis veſceremur, aut illis etiam ſoli aquæ incoctis vteremur, quot quantiq; inde morbi eſſent in nobis naſcituri? Purum igitur ab impuro, vt ea ſint nobis vtilia, ſeparamus, farinã nempe à furfure, quam aqua diluimus, fermentamus, pinſimus, coquimus, vnde magiſterium magnum oritur, panis nimirũ, nutritioni aptus, & in carnẽ noſtrã hoc artificio trãſiturus: in cuius elaboratione ſi vel tantillum peccetur, nõ vſquequaq; gratus ac cõmodus futurus eſt, vt videre eſt in malè fermẽtato, malè piſto, aut malè cocto pane, quem reſpuimus, ſi quid iſtorum deeſt, aut perperam ac negligenter factum. Eædem in vino perficiendæ operationes, ſi ipſum nobis cõmodo vſui eſſe optamus. Separandum enim purũ ab impuro, coctionibus, digeſtionibus ac fermentationibus excernendo ab acinis & cute, granorum purum liquorem, qui in muſtũ traductus, & vaſis ſuis impoſitus, nouas ſeparationes, fermentationes, digeſtiones & coctiones efficit, diſgregans fæces & tartarum à pura vini ſubſtantia, quæ ſic ſecreta, tandem clareſcit, & potui in nutrimentum apta redditur, cùm alioqui, ſi crudior & ſic permixta ebiberetur, dyſenterias potiùs, alui profluuia, calculos, capitis dolores, & id genus alios morbos ac incommoda procrearet. Quas quidem operationes ad imitationem naturæ fieri, & ex eius ſchola ac luce depromi, abundè eodem capite docuimus, vt hinc diſcant Medici & Pharmacopœi, ſi citra periculũ eduliis imparatis, inconditis & crudis, etſi nobis affinib. ac analogis, vti non poſſumus, quãto magis Pharmaca & remedia, cũ ſuis impuritatib. & malignis fæcib. oblata, nec depurata arte, ægris iã plus nimio debilib. & quaſi proſtratis nocitura ſint, vt inde etiã

ægris

Si qua nouo aut velato ſcribendi genere dixerit, non probo nec improbo. Non probo, ſi animo prorſus celandi id fecit. Probo vero ſi propterea id fecit, ne, quod in Prouerbio eſt: Perlas obiiciat porcis, myſteria ignorantibus, ſapientiam contemtoribus. Si quid ſecus, improbo, imo deteſtor, vt iam feci publico ſcripto in libello noſtro iam ante viginti quinque annos edito.

Tandem vbi iudicaui, quantas ſibi iniurias complures Medici faciant, qui ceu Thraſones quidam, ſuperbi ac audaces potiùs, quàm modeſti ac humani ſeſe mutuis proſcindunt dicteriis ac conuitiis tùm verborum aſperitate, tùm ſcriptorum petulantia ſeſe configentes, idque modò publicè, modò verò clam: expoſuiq; eiuſmodi iurgia ac rixas honeſtis viris, nedum Medicis ac Philoſophis Chriſtianis, prorſus eſſe indignas, quaſi ſubodoratus caſuras in me procellas & fulmina conuitiorum noſtri Anonymi, quibus nunc contra naturæ meæ motum ac ſtudium conor propugnacula mea opponere. Sic tandem de ornamento agens, quod ego cum aliis doctis viris conor Medicinæ adferre, concludo in hæc verba: *Sanè ſi Hippocrates vel ipſe etiam Galenus nunc ad ſuperos reuocentur, ſummo gaudio vtiq; perfundantur, ſi videant artem tanto & tàm nobili acceſſorio ditatam, & manus porrigant ac geſtiant de iis omnibus, quibus ars hodiè aucta eſt, quæque illis priſco æuo incognita atque inexperta fuerunt. Multa fortè etiam ſuorum placitorum, præ nouis vel ipſimet reiicerent, aſſueti vtique maximi illi viri ſummique Philoſophi, rationi cedere & experientiæ. Nam patet ex eorum ſcriptis, quàm in multis ſæpè hæſitent, in aliis fluctuent, propter fundamenti, cui ſuperſtruxerunt, imbecillitatem. Quæ tamen eorum ædificia penitus diruere, vel quomodocunque quatere, candoris noſtri non eſt. Quin potiùs fulciamus ea ſtrenuo ingenii noſtri & experientiæ niſu, vt & conſtet poſteritati nos non fungos eſſe, ſed noſtro etiam in-*

genio præditos fuiſſe, & mentem nobiliori illo ſale conditam habuiſſe. Quod fiet ſi Maiorum ſcripta non repudiantes nouis interim inuentis ornemus atque ditemus. Traduntur enim artes veluti per manus, & quiſque ſuam nouis inuentis adornat, quo quiſque altero eſt ingenioſior, vel magiſtro etiam in aliquibus ſuperior Inuentis, inquies, facilè eſt addere. Quid tum? Inuentoribus gratiam habeamus, & ditatorib. qui nunc ſunt aut fuerunt, eandem referamus, noſtraque, ſi quæ ſunt, etiam conferamus, vt à grata poſteritate benè merendi de omnibus voluntas noſtra prædicetur.

Atque hæc ſatis ſint, Anonyme, pro falſarum tuarum criminationum in me confictarum reprobatione ac confutatione. Si vel limis oculis librum meum inſpexiſſes, aut Iudicio valuiſſes, ab iſtiusmodi fortaſsè calumniis ſuperſediſſes, nec ita temerè Paracelſum in medium produxiſſes, cui adhærentem me facis, cùm ſatis ex his, quæ attuli, eluceſcat, me illorum quæ dixerit perperam, aut ſcripſerit, aſſertorem nunquam aut ſectatorem fuiſſe. At eos tantùm elegantes flores ex eius hortis inſtar apum, in Hymeto ex floribus mel legentium, decerpſiſſe, & in hunc hortum meum traduxiſſe, vt dulcedinem ex illis extraherem, nec me ſimilem erucis fuiſſe exiſtimes, quæ econtrariò, quicquid ex optimis herbis exugunt, in naturæ virus commutant.

CAP. IV.

In quo præter ieiuna Anonymi eccoprotica variorum Pharmacorum ab antiquis vſurpatorum vſus docetur.

EX capite libelli Anonymi quarto, cuius frontiſpicium tàm magnifico oſtentamento decorat, Chymicorum nempè remediorum cum ordinariis & con-

ſuetis accuratior cōparatio: ex tam tumido (inquam) tituli cortice putaui ſuccoſum aliquem nucleum me extracturum, & fœtum aliquem ex ingenii Anonymi noſtri, parturientibus montibus prægrandem naſciturum: Sed nihil præter ridiculum murem excludi animaduerti, mihique perinde euenit, ac iis, qui ex affixis vbique in vrbis compitis agyrtarum elegantibus picturis, miranda promittentibus, nihil niſi fumos aut auram ex illorum theatris reportant, ridiculisque tantùm extremæ fabulę actibus eluſi, cùm aliquid ex graui aliqua Tragœdia fructuoſius expectarent, ieiuni ac famelici prorſus lares repetunt. Quod idem mihi contigit, nec ſecus, poſt lectionem ſuperbi iſtius capitis, à capite ad calcem: à quo nil niſi pudorem ac verecundiam ridiculaque omnia retuli.

Ex duobus aut tribus primis illius capitis verſibus, quantus ſit hominis animus cum grauitate coniunctus, primo appulſu innoteſcit, dicas enim, ſi legeris, mirabilia omnia toto huic vniuerſo mox patefactum iri. Sic enim limen ſuæ orationis ingreditur, *Quæcunque mundo ſublunari continentur &c.* At cùm ſit anhelōſus, nec longos poſſit ſpiritus ducere, ſtatim ſubiicit, hoc ſuæ ſufficientiæ, vt ita loquar, & capacis eruditionis encomium: *Alexipharmaca enim ad venena reuoco.* Vbi notanda occurrit inſignis Tyronis noſtri in Ethymo Græcæ dictionis, *Alexipharmaca*, (quæ vel minimo Pharmacopæo cognita eſt) eruditio, vt qui Alexipharmaca vocet deleteria venena ac credat, cùm contrà aduerſus Venena remedia ſint. Quærerem libenter ex illo, quotum caloris, frigoris, ſiccitatis & humiditatis gradum occupet hoc ſimplex Alexipharmacum, vt deleterium ſit? His perfectis ſtatim intuli iſtum hominem vtriuenculum, meras tantùm laruas & fucos exhibentem; vltimique actus fabulæ ludibrionem. Quod vt re

ipſa pateat potiùs quàm verbis, videamus quî elegantem iſtum tractatum ordiatur. Inter alimenta, medicamenta & venena diſcrimen conſtituit, vbi videre eſt, confuſum quid & non ſatis diſtinctum, de alimentis medicamentoſis, & medicamentis alimentoſis ab eo dici: cuius rei tractatio dilucidior habetur, & faciliori methodo traditur initio Pharmacopææ meæ dogmaticorum, quo lectores relegamus.

Pergit poſtea lectorum oculos, ac aures auditorum paſcere, dum ex ſuggeſto imaginatur ſe diſcipulos ſuos docere, & lectionem illis enarrare de diuiſione ac differentiis medicamentorum purgantium, vbi dicit eorum alia eſſe alimenta, inter quæ tamarindos, mannam, caſſiam recenſet: poſtea ſubiicit alia eſſe Venena: Tertii verò generis medicamentorū nullam facit prorſus mentionem, ex memoriæ fortaſſis lapſu. Nolim tantæ hoc illius ignorantiæ tribuere, quem puto tenuiſſe quidem, at non ſatis commodè exprimere potuiſſe. Hanc, ni fallor, longè meliùs & faciliùs ex his quæ adhuc iuuenis ſcripſi, in lib. *de ſpagyricorum medicamentorum præparationibus, tractatu de Vegetabilibus. cap. 4.* quod vltimum eſt, diuiſionem licebit inuenire, vbi de cauſis & ratione præparationis ſimplicium medicamentorum purgantium ago. Illic ego conciſè ſatis de cauſis purgationis locutus, ex doctrina dogmaticorum, & pro ea eruditione, quam pro ætate mea tum eram adeptus, partitus ſum medicamenta purgantia in tres ordines, quorum primus eſt vehementiſſimorum, ac malignorum purgantium, quæ ſemper maiori ex parte ſunt acri ac virulenta ſeu maligna aliqua qualitate referta, quæque non minus nocere quàm prodeſſe idcircò poſſint, niſi debitè præparata ſint, correcta, conuenientique pondere ac menſura adminiſtrata. Huiuſmodi ſunt inter radices & herbas helleborus, e-

ſula,

ſula, peplum, atque omnia tithymalorum genera: cucumer aſininus, aſarũ, thymelea, chamælæa, & id genus alia: ſcammonea & euphorbium inter lacrymas, lathyris, colocynthis inter fructus & ſemina: Inter lapides Armenius, Cyaneus. In hunc ordinem retulerunt alii hermodactilos, turbith, cuius nomen ipſum perterret, quod à turbando videatur eſſe dictum. Ego verò inter violenta nolim illa annumerare, vt neque hydragoga illa, quæ ex ſeminibus extrahuntur, aut vino ebulino, atque id genus aliis excipiuntur, quæ quidem tamen, ſi ſegniùs in nobis operentur, & in corpore reſtent, citra eam purgationis perfectionem, ad quam erant deſtinata, poſſunt quidem noſtrum corpus immutare, conturbare & immoderatè calefacere, vt quæ ſint à noſtra natura admodum aliena, vt docet ipſe Galenus.

Alter ordo eſt benignorum, quæ ſic dicuntur, quòd blandè ac ſuauiter, citraq; moleſtiam humores noxios, non quidem vniuerſi corporis, ſed partium duntaxat quarundam vacuent, aluumque leniendo ſubducant, atque minus ab alimento naturæ deficiant. Quin imò alimenta medicamentoſa dici poſſunt, cuiuſmodi ſunt herbæ, malua, violaria, mercuriaris braſſica, beta, roſa, ſerum lactis, pruna, tamaridi, manna, caſſiæ medulla, & ſimilia, quæ nulla alia egent præparatione quàm vulgari, vt tutò exhiberi poſſint.

In tertium ordinem reuocantur aloë, agaricus, cuius ſenna, centaurium minus, & inter radices rhabarbarum, polypodium, iris, raphanus ſylueſtris, gentiana, Eupatorium Meſuæ, ſanicula Dodonæi, mechoacam recens comperta, cuius purgandi vires & effectus radix vitis albæ admodum æmulatur: ex qua matrici maximè congruens remedium conficitur, quod feculam Brioniæ vocant.

Multa reſtarent adhuc nobis huc congerenda medicamenta, ſed ſingulorum ordinem recenſere, tædioſum, nec huius loci eſt: ea tantùm quæ communiora & vulgatiora ſunt, explicaſſe ſit ſatis.

Atque hæc eſt medicamentorum Partitio, quam iam pridem inſtituimus, & in lib. noſtro de ſpag. præpar. deſcripſimus. Quem ſi vel raptim Anonymus noſter aliquando decurriſſet, effugere iſtum laborem facilè potuiſſet. Qui ſi etiam quid illo eodemque capite continetur perlegiſſet, iſta nobis nunc non obieciſſet, quæ de ſpagyrica purgantium præparatione adhuc in dubiũ reuocat: quòd illic ſibi ſatisfactum fuiſſe, & omnium, quas in ſuo ſcriptulo mouet, quæſtionum ſolutionem deprehendiſſet: quam & hic cogemur repetere, etſi abundè iam iſta omnia expoſuerimus.

Non ſatis ſubtiliter igitur delineata iſta ab Anonymo noſtro medicamentorum purgantium diuiſione, in alimentoſa & venenata, in qua perperam & malè exercet iſtud theorema vulgare: Qui benè docet, benè diſtinguit: redactiſque in venenatorum claſſem antimonio & præcipitato, quibus Chymicos affirmat vti, vel in præcautionem etiam morborum: inde infert illos temerè citra iudicium, citra temporum, morborum, perſonarum obſeruationem, ſed vltrò citròque ſanis & ægris promiſcuè ea exhibere, quaſi aliorum purgantium cognitione deſtitutos: inſignem vtique illorum non ignorantiam tantùm, ſed & improbitatem etiam notat. Quibus quidem verbis cùm tacite me impetat (vt coniicere non eſt difficile) quis non videt quantæ peruerſitatis ſit iniquum crimen mihi imponere ac ementiri? cùm ex meis ſcriptis vbique liceat contrarium colligere. Quod & poſthac apertiùs ſum demonſtraturus, ipſiùsque calumnias detecturus.

Qui

Qui ſi in genere de omnibus loquatur Chymicis, nec vitare ſic improbi ac ignari crimen poſſit, qui doctos Medicos ab inſciis, veros à Pſeudochymicis, agyrtis, ac circulatoribus, (quos reiicimus ac damnamus) non nouit diſtinguere. Videat Anonymus quid & quantum in eiuſmodi impoſtores fulminet Libauius, quamque procul eos falſamque illorum artem abiiciat ac deprimat. Contrà verò quibus laudibus ac commendationibus veram ac legitimam chymiam cum eius cultoribus, vtpote vnicum totius noſtræ Medicinæ ornamentum, proſequatur. Reuoluat etiam doctiſſimum illum Reuſneri librum de ſcorbuto. In cuius exercitationibus eruditiſſimis in eum maximum morbum elaboratis, quicquid egregium ac elegans eſt in noſtra Medicina, contineri reperiat: In curaque illius morbi ab eo deſcripti, præſtantiſſima quæque remedia, varias omnis generis præparationes, varia purgantia, ſudorifica, corroborantia, correctoria ac ſpecifica, tùm dogmatica, tùm Hermetica aut Chymica conſpiciat, in quorum album duorum inquam illorum tantorum Scriptorum, nec non tàm multorum magni in Germania nominis Doctorum, alibique florentium, ſi me auſim inſcribere. Legat etiam noſtrum illum de ſpagyricis præparationibus librum, vbi de purgantibus medicamentis ago, vt iam dixi. Euoluat etiam conſilia mea iam edita & mox edenda, Pharmacopææ meæ reliquum mox etiam excudendum, quod Typographus integram illam, ob cauſas ab ipſomet allatas, in libro meo recens edito, non potuerit tum emittere. Ex quibus ſcriptis tum clariſſimorum illorum virorum, tum noſtris addiſcat Anonymus, non eſſe nobis ignota communia illa vulgi medicamenta, ſed longè etiam melius, breuius, facilius, vtiliusque à nobis digeri, com-

C 4 poni,

poni, variiſque modis elegantioribus præparari, vt tres illos ſcopos attingant ab Hippocrate deſideratos, tutò, citò & iucundè agere.

Redeamus ad Anonymum noſtrum, ac remediorum, quæ nobis proponit, excellentiam excutiamus, vbi primò notent iuniores Medici, ſibi tantùm ab illo duorum generum medicamenta proponi, purgantia videlicet & alterantia, vt vocat: De reliquis, hydroticis nempè, aut ſudorificis ac diaphoreticis, nec non de Alexipharmacis (quæ putat eſſe venenorum ſpecies) variis antidotis, opiaticis, corroborantibus, ſpecificis, variis affectibus congruis, & id genus aliis innumeris, altum eſt hominis ſilentium, vtpote in vulgari praxi verſatiſſimi: cui ſatis eſt noſſe eccoproticum aliquod, aut lene aliquod alteratiuum, modò crebris Phlebotomiæ repetitionibus totum ægrotantis ſanguinem exhauriat, quo etiam euacuato aliis non ſit medicamentis opus.

Quid autem nobis de purgantibus, à quibus ordi-tur, explicet, & quàm digna ſint cum chymicis comparari, ac etiam anteponi, videamus.

Nos, inquit, præferimus benigna & amica naturæ, quæ eccoprotica & minoratiua vocantur, aliis omnibus: ac in teſtimonium citat autoritatem Meſuæ, qui parum illi fauet, ſiquidem illius Canon aut Axioma non ad curam grauium morborum, ſed ad prophylacticem eorum ſpectat, qui nondum fixas habent intus radices, ſed ſtomachum tantùm & primam corporis regionem obſident, aut leue quid moliuntur, ne in peius ruant. Qui enim altas in intimis viſceribus radices ac mineras egerunt, eccoproticis non auelluntur, nec deturbantur, nec eiuſmodi lenibus medicamentis curam adſcribit Meſue.

In

In quem vſum autem eccoprotica illa referenda ſint,& quando ac quomodo eiuſmodi minoratiua ſint vſurpanda, videbit in conſiliis noſtris Anonymus, ſi diſciplinæ & eruditionis capax eſſe velit. Idque iuxta Methodum, quam ab Arabibus primis didicimus, quàmque methodum boni omnes Medici in Praxi hodie ſequuntur, vt videlicet primo loco primam corporis regionem omnibus impuritatibus expediant. Deinde præparantibus vtantur digerentibus ac attenuantibus, morbum aut morbi cauſam ſpectantibus, quod vulgò ſyrupis, decoctis, apozematibus præſtatur: idque ſic agant, ne craſſæ illæ impuritates, ſi julepis illis corpus non exhauriretur, vaſa obſtruant, corrumpant ac magis noceant, eò vi ac ſubtilitate digerentium & attenuantium pertractæ, à quibus nullum immineat periculum, ſi prius deturbatæ fuerint.

Poſt præparantium vſum (celebratâ etiam maturè phlebotomiâ, ſi res poſtulauerit) tranſitur ad purgationem, morbi cauſam & radices auulſuram, modò ex infuſo aut decocto ſennæ agarici, rhab. concinnatam: adiecto pro delicatioribus ſyrupo roſato ſolutiuo, prout lene fuerit malum & radicum debilium aut ab humore tenui, non craſſo, facilisque motus ſuſcitatum; modò iuxta naturam mali fortioris ac contumacioris, & fixis radicibus hærentis; aut pro ægrotantis natura validiore aut robuſtiore, adduntur purgantibus remediis, vel tabellæ diacarthami vel de citro: elect. de ſucco roſarum, diaphænicum, tryphera perſica, confectio hamech. elect. Indum maius & minus: vel etiam in peruicacioribus ac rebellioribus affectibus adiiciuntur Hiera Lozadii, Pacchii, & id genus alia, de quibus iam fecimus mentionem, & quarum hierarum admi-

randos effectus prædicat Scribonius loco iam citato, in omnibus vel deploratiſſimis morbis ac etiam in debilitate ipſiusmet ventriculi. Ita vt nunquam tantis laudibus vel aurum ipſum potabile à circulatoribus (cuius vera præparatio id genus hominibus ignota eſt) celebretur. Interim tamen ſi huiuſmodi remediorum deſcriptionem, ingredientia præparationem, correctionem, ſaporem intueamur, horrenda in plurimis videamus, quæ ſatiùs eſt ſupprimi, quàm exprimi, cùm adhuc nobis nauſeam moueat eorum recordatio.

Modo etiam electuariorum eiuſmodi mollium aut ſolidorum loco ad radicem euertuncandam vſurpantur pilulæ: quas & gummi admodum calida nec non ſcammonea colocynthis atque euphorbium ipſum, tanquam etiam baſis malagmatis, ingrediuntur, vel interdum decocta parant, ſeu apozemata ex rad, fructibus, ſeminibus & floribus morbo congruentibus aptisque purgantibus, vt vna eademque via ac methodo humores noxii tum præparentur, tum deturbentur, idque per Epicraſim, vt vocant.

Atque hæc eſt vulgaris ac quotidiana faciendæ Medicinæ methodus, quæ tantam in morbis varietatem non admitteret, ſi Anonymi noſtri ſententia locum haberet, qui officinis Pharmacopæorum leue aliquod tantum eccoproticum contentus eſt includere, aut alia quædam parui momenti in difficilibus morbis à ſe expreſſa. Dicit autem illa eccoprotica ſiue ſennam, rhab. agar. aut alia, conſeruis à ſe ſuiſque immiſceri in opiatam: aut ſaccaro in aqua conueniente ſoluto excepta in tabellas redigi, quos præparationis modos veſtris inquit extractis aut diſtillatis præferimus, quia diſtillatione perit vis purgatrix. Quàm ſitis noſtro Anonymo deuincti D. Pharmacopæi,

pæi, ſatis exprimi non poteſt. Numquam enim tantum Meſue aut Nicolaus vterque, etſi Patroni veſtri, priſcique iam pridem Patres ac Præceptores de vobis bene meriti ſint, vt qui grauius onus vobis impoſuerint, multis laboribus addixerint, multas pixides variis & inviſibus Pharmacis ac cōpoſitionibus non ſine magnis impēſis & tēporis iactura onerare coegerint. Quibus omnibus vno momento hic Anonymus vos explicat, omniaque iſta tam moleſta opera in vnam caſſiam rhab. ſennam, agaricum contrahens, omni tædio ac moleſtia vos liberat. Perſuaſum enim vobis eſſe vult, hæc quatuor remedia (quæ tamen probamus & laudamus) inſtar omnium eſſe, atque idcirco inanes ac ſuperuacaneas eſſe veſtras omnes compoſitiones, quibus tantoperè inſudatis. Nunquid magnum eſt iſtud beneficium, quo vos ſibi deuincit? num graui vos leuat onere? Fruſtra fit pluribus, quod paucioribus fieri poteſt. En facilem Methodum, facilemque præparationem vobis candidè impertit, & arcana ſua reſerat; nihil ſibi ſoli aſſeruat, nihil diſſimulat. Promptum ſtatim vobis fuerit infuſiones purgantes ex rhab. decocta purgantia ex ſenna aut agarico, pulueres laxatiuos, ex noui iſtius Myrepſi formulis, vel vno momento poteritis vobis comparare. Hos non vultis pulueres in opiatas componere, en pulueres cum conſerua aliqua commiſcete, ſi mollem vultis compoſitionem. At ſi ſolidam, ſaccaro in aqua congrua ſoluto, pulueres excipite, & tabellos concinnate. Atque hæ ſunt egregiæ illæ formulæ tam præſtantis Medici, cholagogæ, phlegmagogæ & melanagogæ ex rhabarbaro, agarico & ſenna paratæ, ad tres humores vacuandos idoneæ, quæ vos hierarum omnium componendarum Galeni, Archigenis, Logadii, Iuſti, Ruffi, Pacchii, electuariorum de ſucco roſ.

nicol.

nicol. electũ. roſ. Meſuæ, electuarii de Pſyllio montagnanæ, ad bilis feruorem contemperandum, ac euacuandam bilem idoneorum omnium moleſtia poſthac leuaturæ ſint. Nec non etiam quæ in locum diaphænici diacarthami benedictæ laxatiuæ, ad craſſum & frigidum humorem pituitoſum deturbandum aptorum ſuccedant. Quinetiam & confectionis hamech electuarii, Indi maioris & minoris, & pulueris diaſennæ atræ bilis vacuationi congruentium officia præſtituræ ſint. Quæ quidem methodus noſtri Anonymi, vtpote facillima, tribus verbis ter repetitis ad maiorem commendationem abſoluitur, rhab. ſcilicet agarico & ſenna: ex quibus fiunt infuſiones, decocta aut pulueres, aut electuaria vel mollia, vel duriora in tabellas redacta. Quibus ſi addidiſſet, vt ex illis iiſdem decoctis fierent ſyrupi, vel eorum pulueribus pilulæ, veſtris fuiſſet valedicendum ſyrupis omnibus tum præparantibus, tum purgantibus, vt & cataportiis de rhab. de agarico, de ſenna, de aloë, de hiera, de hermodactylis, de colocynthide, fumaria, eupatorio, myrobalanis, aggregatiuis, arabicis, aureis, cocciis benedictis, ſiue quibus: quas omnes in omnium humorum expurgationem paratas habetis, & aſſeruatis vt præſtò ſint, vel ſeorſim, vel mixtæ exhibendæ, cum id neceſſitas poſtulat: prætereà & fortioribus aliis ac vehementioribus calidioribusque cedendum fuiſſet, pilulis nempe fœtidis de opopanace, de ſagapeno, de euphorbio, de lapide lazuli ſiue cyaneo: quæ vt ſunt incendentes aut plus æquo calefacientes & venenoſæ, vt aſſentitur noſter Anonymus, ſic non niſi grauiſſimis morbis expugnandis deglutiendæ offeruntur: quales ſunt læpra, epilepſia, paralyſis, arthritis, febris quartana, & alii id genus affectus, qui radices altiſſimè egerunt, quibus noſter Anonymus citiùs

tiùs blandiatur, & inducias diuturnas illis in corpore ægrotantis concedat, quàm validiori medicamento auſit radices illorum defigere ac conuellere. Nam Medici (inquit) qui ex Græcorum & Arabum doctrina faciunt Medicinam, ſunt amici naturæ, maluntque benignis vti remediis, quàm deleteriis: ac malunt bis aut ter benignè, quam ſemel violento medicamento purgare. O fidum naturæ amicum, qui eam in ſuis ægritudinibus retinet, nec vllum præbet auxilium. Quorſum enim eccoprotica ſola afferat, quæ tantùm expediendæ & purgandæ primæ corporis regioni proſint, quæque ſimul omnia congeſta, ne tantillum quidem leuaminis, etſi centies exhibeantur, conferre poſſint, cum inualidiora ſint, quàm quæ morbi ſeminaria penitus adoriantur? atque hinc nata eſt neceſſitas, ad alia validiora remedia confugiendi, quæ tenaciori morbi cauſæ eradicandæ apta ſint, hoc eſt, fæci cuidam tartareæ vaſibus impactæ, diſſoluendæ ac deturbandæ idonea, quæ talia quidem erunt, ſi arte ad penetrandum ad intimas vsque partes, neruos, iuncturas & penitiſſima viſcera, vbi ſedes morbi deliteſcit, aptentur, quò vsque eccoproticis, vt nimium debilibus, penetratio denegatur. Neque etiam hæc opera remedii vehementis perficiuntur, ſed apta ac concinna ſpecifici auxilii præparatione, & propria diſſoluendi, liquefaciendi, ac vacuandi gummoſas eiusmodi & tartareas impuritates, craſſas, terreſtres, viſcidas ac tenaces, quæ morbos contumaciſſimos in nobis procreant. Attigi iſta tractatu meo de ſignaturis rerum internis, demonſtratione gummatum ſulphureorum, nec non ſulphuris oleo ſolubilis, quòd ſit eiusdem naturæ vtque aquea gummata aquis diſſoluantur, fæces tartareæ & ſales ſalibus. Hoc vnum tantum deſideratur, vt nobis probe cognita ſint

ea,

ea, quibus & ſolutiones & liquefactiones fieri queant, & quomodo aptanda ſint, vt effectus citra detrimentum & moleſtiam conſequatur. Hoc enim eſt probi Medici officium, qui in curatione morborum moras non captat, qui illis non blanditur, ſed qui (cognitis morbi cauſis) illis ſtatim profligandis ſtrenue incumbit, quærere nimirum ſalutaria tutaque remedia cita ac ſpecifica. Illa autem deſerere, quæ nullius ſunt vſus, quæque ſpecie amicitiæ naturæ morbos protrahunt, aut etiam eos incrementum capere, potiùs quàm tollere hac tædioſa expectationis dilatione ſinant.

CAP. V.

De eiuſdem Argumenti continuatione, vbi etiam vſus Helleborum ab antiquis frequentiſſimè vſurpatus, oſtenditur.

QVAERERE M hic libenter ex noſtro Anonymo, qui ſe Græcorum atque Arabum Medicorum doctrinam & in praxi veſtigia ſequi gloriatur, quique tantus eſt naturæ amicus, vt lenibus ac benignis remediis, vt pote rhab. agar. ſenna, caſſia (quæ illa ſunt quatuor ſpecifica remedia tàm illi exquiſita, vt aliorum nullam mentionem faciat) quàm deleteriis vti malit. Num iſtorum aliqua in toto Hippocrate deſcripta & in morbis vſurpata legerit? Quin potiùs in omnibus ferè morbis vel acutiſſimis, etiam febrium penè ſemper incendio ſtipatis, ab illo ea in auxilium remedia adhibita eſſe, quæ Anonymus ipſe exitialia & venenata eſſe iudicat, atque imprimis Helleborum, quem Hippocrates vſque adeò extulit, vt cui, quando, quomodo, & aptè exhibitus fuerit, ei iuuentutem reſtituerit: omnibusq; qui eo vtantur incolumem ſanitatemconſeruet, & quā diutiſſimè tueatur.

Bonus

Bonus ipſe Meſue, cuius ſupra Anonymus noſter Canonem citauit, vt probaret quò benigniora ac familiariora naturæ medicamenta ſunt, eò tutiora & ſalubriora, ſic de Helleboro ſcribebat, de nigro ipſo loquens, lib. de ſimpl. cap de Helleb. Ipſum videlicet tantæ eſſe virtutis medicamentum, vt impuritates omnes & viſcerum corruptiones corrigere ac emendare poſſit, nec non magna facilitate ac facultate tenuem ac vitioſum humorem craſſæ pituitæ, & atræ bili permixtum deturbare ac educere: totam ſanguinis maſſam defæcare ac depurare, venas quaſcunque penetrare, & à venis in omnes corporis partes introire, quas ab omnibus ſuis ſordibus repurget. Quin & addit idem Meſue, tantæ eſſe virtutis ac energiæ, vt nulla pars corporis vel abditiſſima & in profundo latens, aut remotiſſima vel ad cutem vſque vires & operationes eius non experiatur. Vnde conſtat ſpecificum eſſe ac præſentiſſimum auxilium toti capiti, cerebro, omnibuſque ſenſuum inſtrumentis, neruis, viſceribus omnibus, nec non ipſis etiam articulis feliciſſimè ac mirè ſuccurrens. Hinc fit vt nullũ epilepſiis, maniis, melancholiis, paralyſibus, vertiginibus, hemicraniis, ſpleneticis, febrib. quartanis, articularibus morbis & id genus chronicis affectibus contumacibus ac deploratis promptius ac vtilius remedium offerri poſſit. Quid reſtat denique quod Helleborus non præſtet? Nihil prorſus, ſi Meſuæ credimus. Cutaneas enim infectiones omnes delet, morphæam ſcabiẽ, lentigines, impetigines, porrigines, vt mire etiã cutẽ ipſam natiuis colorib. decoret, vtique halitum ſuauiſſimum ac oderatiſſimũ cõciliet. Poſtremo, ſi mihi ipſius Meſuę verbis vtendum eſt, Helleborus, inquit, eſt ſicut theriaca & Medicina per antonomaſiam (hoc barbaro vocabulo vtitur) ad lepram, cancrum, & ſpeci-

cies Herpetis,& bothor,& qui ſe comedunt.

Perpendite an vnquam agyrta vllus tantoperè vel aurum potabile commendarit, ac Meſue ſuum Helleborum laudat ac prædicat.

Deſinat igitur Anonymus Græcorum & Arabum diſciplinam profiteri, proximaque illorum ementiri, cùm Meſue Arabs tantis laudibus celebret in praxin Helleborum, quem iſte, vt alia validiora medicamenta præter ſuum rhabarbarum,agaricum,ſennam & caſſiam vt deleterium & venenum reſpuit. Vbi tot laudes caſſiæ,ſennæ,rhab.agarico adſcribuntur? Quam igitur grauioribus morbis operam ferant, ſi ſtercus tantùm deturbant? Diſcite iuuenes egregiam Praxin Anonymi, & tutis eius receptis confidite. Sic in celebres Medicos euadetis.

Sed quid reſpondeat amplius Anonymus noſter, ſi exemplo cuiusdam morbi, quod in purgationis operationem illi proponemus, (quemadmodum & ille vnum nobis ad alterationem pertinens produxit in medium) ſubiiciam illius oculis & tactui, longè ipſum euagari à doctrina Hippocratica,nihilque minùs quàm Græcorum imitatorem eſſe? Sumamus pleuritidem in exemplum, morbum vtique frequentiſſimum, & de quo certatim omnes propè Medici ſcriptant & loquuntur: in cuius praxin & theoriam nusquam aliorum morborum frequentiùs magisque peccatur. Sed hic tantùm ea attingemus, quæ ad purgationem faciunt,de qua nunc agimus:reliqua in conſilium meum de pleuritide reiiciemus, vbi oſtenſuri ſumus, quot erroribus hic morbus à nonnullis Medicis circumferatur, præſertim in miſſione ſanguinis, quam iuniores (non ſeniores Medici & doctiores quos excipio) liberiùs & fortaſſe audaciùs quàm par eſt, profuſiusque celebrant,nulla habita ſpecierum pleuritidis diſtinctio-

ne,

he, an ea ſit ſuperiorum coſtarum, quam ſuperam vocat, occupante ſcilicet ſuperiores coſtas dolore, & ſanguine per venam intercoſtalem affluente? An verò ſit pleuritis mediaſtini ſeu ſepti recti & muſculorum intercoſtalium, quam mediaſtinam vocant, quæque ſit per mammariam venam? an verò ſit pleuritis, thoracica vocata, in qua dolor in baſi ſcapulæ adhæret, quæ fit per venam thoracicam, quæque eſt omnium peſſima? an denique ſit inferiorum coſtarum, quam hypochondriacam aut inferam appellant, quod dolor ad hypochondria vſque pertingat? Quæ diſtinctiones apprimè notandæ, quòd tres priores pleuritidis ſpecies venæ ſectionem deſiderent, non tantùm ad reuulſionem, ſed etiam ad materiæ iam fluxæ, vt loquuntur, hoc eſt, ſanguinis iam collecti extractionem & ablationem, quæ cauſa morbi coniuncta eſt. At contrà in hypochondriacâ ſanguinis eductio fieri non debet, præterquam ad cauſæ antecedentis reuulſionem. Citiùs enim alioqui totus ſanguis exhauriatur, quàm materia coniuncta detrahatur? Habenda porrò eſt temporis ratio, quò vena opportunè ſecetur: nec non ætatis, temperamenti, ægrotantis, virium, quæ rarò à multis obſeruantur, qui modò ſit dolor lateris pungens, cum quadam anhelitus difficultate, citra vllam cautionem, ſanguinis miſſioni audacter incumbunt: quam etiam nonnulli iuuenes inexperti vnicam iudicant ſoluendi morbi Medicinam, non habita, vt diximus, ratione, an morbus ſit in fieri, vt aiunt, an in facto, an ſit in tempore remiſſionis, nec ne: citra etiam conſiderationem naturæ, an ad laudabilem aliquam anacatharſin parata ſit, quę optima eſt metaſtaſis, & pleuriticis tutiſſima: quàmque vtiliùs ſit, pectoralibus remediis, fotibus, vnctionibus, & id genus aliis auxiliis, vt docebat Hippocrates, ſollicitare, quàm debiles iam vires ægrotantis immoderata

(vt plerumque fieri ſolet) ſanguinis miſſione proſternere.

Sed vt ad Hippocratem venerandum illum ſenem redeamus, qui maturo iudicio præditus, poſt fotus illos ſtatim in nonnullis pleuritidibus purgationi manum admouebat, idque morbi initio iuxta aph.29.lib. 2. quod tunc temporis materia turgeat, vt idem docet aph.2.lib.3.

Quam autem purgationem inſtituebat? An aliquam eccoproticam iſtarum, quas Anonymus noſter profert in medium? An aliquid quod naturæ familiare ſit, & tanquam medicamentū alimentoſum blanditur? Nihil minus. At excipis Anonyme, tunc temporis defuiſſe tua eccoprotica, rhabarbarum nempè, agaricum, ſenniam & caſſiam: quæ exceptio, vt nihil certi demonſtrat, ſic nec poſſit fidem facere, veteres illos caruiſſe ſimilibus medicamentis, quæ morbis blandirentur, ac ægris arriderent. Legimus Regi Antigono ad ſubducendam aluum ab Hippocrate Mercurialem, quinetiam braſſicam fuiſſe præſcriptam, vt valetudini conſuleret. Sed interdum ſimilia prudenter reſpuit, vt fallacia, quod ad multos abigendos morbos nihil conferant. Videat Anonymus quæ in cura pleuritidis remedia ſeligat idemmet Hippocrates, & in temperamento bilioſo lib. 2. de diæta in acutis, etſi multa alia haberet cognita. Præ aliis omnibus veratrum nigrum & peplum deligit, vt ad purgandam & euacuandam per aluum cauſæ coniunctæ materiam præ aliis omnibus aptiſſima, ſiue ea materia ſit vitioſa, ſiue ſeroſa, putrida & maligna, quæ morbum parit.

At mihi audire videor Anonymum obſtrepentem, Hippocratem ipſum incuſare temeritatis aut audaciæ, qui ex tam violentis, acerbis, vrentibus & maleficis medicamentis periculo mortis tot hominum vitas expoſuerit,

fuerit, præſertim in tàm ardenti morbo ab inflammatione excitato, quem frigidiora recreare debeant, aut ſaltem illius impetus temperare ac remorari? Sed ſus ne doceat Mineruam? ſciatque Anonymus non citra iudicium delecta à prudentiſſimo ſene eſſe eiusmodi præſidia, qui alibi apertè docuit, extremis morbis extrema eſſe adhibenda remedia. At nec in omnibus pleuritidibus iisdem vtitur purgationibus: at quibus nouit ea congruere: Siquidem vbi iis non videt eſſe opus, ſed phlebotomiam deſiderari, ad eam circumſpectè in aliquibus pleuritidibus recurrit. Ita enim ſingula in hoc morbo, vt in aliis omnibus, cum iudicio examinat, vt etiam vſu ptiſanæ aliquando ægris pleuriticis interdixerit, præcipuè vbi nimiam reſpirandi difficultatem animaduertit, quod ptiſanæ viſcoſitas ac tenacitas gutturi adhærens difficultatem augeat; Quin etiam in nonnullis pleuritidibus reformidauit vſum oximellis ob anacatharſin, nec non vini aut aquæ exhibitionem, niſi magna cautione, aut opportunè aptéque adminiſtrentur.

Notaui in Centuriis Mart. Rullandi, inchoatam ſemper fuiſſe ab illo pleuritidis curationem à purgatione, quam ſtatim initio præmittebat, dilutam aqua eius benedicta, quæ ſemper vomitum aliquem lenem preliciebat, vt ipſe refert. Hanc deſcripſit licet obſcuris verbis, cuius baſim conſtituit crocū metallorum, quem aqua vlmariæ, aut cardui benedicti (vnde nomen ei imponit benedictæ aquæ) diluebat. Hunc crocum metallorum credidi eſſe illam magneſiam, quæ prima eſt origo & radix metallorum, cum nitro calcinatam, calcinatione Philoſophis veris chymicis nota, qua nigrum ſuum colorem in rubeum commutat, croco non diſſimilem, vnde etiam nomen croci adepta eſt. Qui quidem crocus etſi omni ſapore deſtitutus eſt, non caret

Digitized by Google

tamen per inferiora purgandi viribus leuem ſimul atque vtilem vomitum interdum excitans. Nec miror inter ſpecifica illius remedia iſtud ab illo vſurpatum in pleuriditum curatione, præſertim peſtilentialium. Siquidem in multis pleuriticis ea iugulatis etiam ſenibus, quorum corpora poſt obitum aperienda curaui, deprehendi magnos interdùm lumbricorum cumulos in ventre aut abdomine collectos: ex quorum ſordida & putrida materia, ſeu virulentis ac acribus vaporibus, pectus inficiebatur atque incendebatur. Vnde conſtat quàm aptè purgatio potiùs quàm venæ ſectio morbi principiis congrua præſcribatur in illis pleuritidibus. Hanc eandem obſeruationem iuuenes quidam, optimæ & maximæ ſpei Medici, quorum nomen mihi excidiſſe doleo, notarunt & teſtati ſunt, quod in reditu ex Italia, vbi in Xenodochio Ferrarienſi, obſeruauerant, & per Heluetios, vbi tum degebam, iter facientes, mihi illis occurrenti explicauerunt, certiſſimamque iſtorum fidem fecerunt. Quod cùm, vt iam dixi, certa experientia iam confirmaſſem, non difficile fuit mihi perſuaderi. Hinc ſubiit iudicare crocum iſtum metallorum, eiuſmodi virulentis putrilaginibus abigendis maximè proprium, & congruentiſſimum eſſe ſpecificum remedium, conuenientiusque ac tutius Helleboro & Peplo, quod careat violentis iſtis ardoribus, quibus Helleborus corpus incendit, quamuis ſi Helleborus arte debitè præparetur, vt docemus in Pharmacopæa noſtra dogmaticorum, inter vegetabilia præſtantiſſimum purgans medicamentum futurum ſit, tùm in pleuritidibus iſtis, tùm aliis grauiſſimis ac peſtilentialibus morbis & venenoſis, quò eccoprotica Anonymi noſtri non pertingunt, quę altiùs in radices morborum penetrare nequeunt. Vt tandem deſiſtat Anonymus ſuis leuibus medicamentis adhærere, & valentiora pur-

gantia

gantia reiicere; videat quantis laudibus Scribonius Hieram Pacchii efferat, de qua iam ſupra loquuti ſumus, cuius inter ingredientia præcipuum locum occupat Colocynthis, ſoluturum vtique violentiſſimum ac calidiſſimum, quam comitantur gummi ammoniacum, aromata piperata ſeu ſpecies etiam admodum inflammantes ac adurentes. Ipſam tamen vocat compoſitionem admirandam ad omnem lateris dolorem, ſiue cum febre, ſiue ſine febre fuerit: vbi etiam videre eſt, quantos effectus illius experientia notauerit variis in morbis, iisque deploratiſſimis, quibus deſcribendis aut recenſendis tempus deficiat, ac verba defuerint. Præterea ne diutius Anonymus benigna ſua eccoprotica fortioribus illis medicamentis ſtomacho noxiis anteponat, audiamus quid porrò idem Scribonius loquatur: *Illud verò ſupra opinionem eſt,* (inquit, de Hiera Pacchii verba faciens) *quod ſtomachicis euidenter conuenit, cum ſit viroſiſſimum medicamentum aduerſus ſtomachum, ne ad leuia quidem & ſimplicia medicamenta diſpoſitum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior vſus, ratione eſt: expertus enim vnusquisque intelligit, ſtomacho quoque hoc medicamentũ eximiè prodeſſe.* Tandem prædicatis iſtius medicamenti laudibus in variorum & grauiſſimorum morborum curam, ſic demum concludit caput ſuum: *Illud vtique credas, velim, mihi, dum in aliis expertus perſuadeam hoc medicamentum non ſolum non nocere ſtomacho, verùm etiam reficere ac confirmare eum ſupra omnem opinionem.* Hinc diſcat Anonymus antiquos Medicos in grauiſſimis ac deploratiſſimis morbis tùm curandis, tùm corroborandis, & reſtituendis malè affectis ac eneruatis ventriculis, ac ſtomachis non ſemper lenibus illis eccoproticis, ſed vehementioribus ac acrioribus medicamentis, qualis eſt colocynthis & id genus alia, vſos eſſe, cùm non niſi eiusmodi remediis ſatis intelli-

nicol. electu. roſ. Meſuæ, electuarii de Pſyllio montagnanæ, ad bilis feruorem contemperandum, ac euacuandam bilem idoneorum omnium moleſtia poſthac leuaturæ ſint. Nec non etiam quæ in locum diaphænici diacarthami benedictæ laxatiuæ, ad craſſum & frigidum humorem pituitoſum deturbandum aptorum ſuccedant. Quinetiam & confectionis hamech electuarii, Indi maioris & minoris, & pulueris diaſennæ atræ bilis vacuationi congruentium officia præſtituræ ſint. Quæ quidem methodus noſtri Anonymi, vtpote facillima, tribus verbis ter repetitis ad maiorem commendationem abſoluitur, rhab. ſcilicet agarico & ſenna: ex quibus fiunt infuſiones, decocta aut pulueres, aut electuaria vel mollia, vel duriora in tabellas redacta. Quibus ſi addidiſſet, vt ex illis iiſdem decoctis fierent ſyrupi, vel eorum pulueribus pilulæ, veſtris fuiſſet valedicendum ſyrupis omnibus tum præparantibus, tum purgantibus, vt & cataportiis de rhab. de agarico, de ſenna, de aloë, de hiera, de hermodactylis, de colocynthide, fumaria, eupatorio, myrobalanis, aggregatiuis, arabicis, aureis, cocciis benedictis, ſiue quibus: quas omnes in omnium humorum expurgationem paratas habetis, & aſſeruatis vt præſtò ſint, vel ſeorſim, vel mixtæ exhibendæ, cum id neceſſitas poſtulat: prætereà & fortioribus aliis ac vehementioribus calidioribuſque cedendum fuiſſet, pilulis nempe fœtidis de opopanace, de ſaggapeno, de euphorbio, de lapide lazuli ſiue cyaneo: quæ vt ſunt incendentes aut plus æquo calefacientes & venenoſæ, vt aſſentitur noſter Anonymus, ſic non niſi grauiſſimis morbis expugnandis deglutiendæ offeruntur: quales ſunt læpra, epilepſia, paralyſis, arthritis, febris quartana, & alii id genus affectus, qui radices altiſſimè egerunt, quibus noſter Anonymus ci-

tiùs blandiatur, & inducias diuturnas illis in corpore ægrotantis concedat, quàm validiori medicamento auſit radices illorum defigere ac conuellere. Nam Medici (inquit) qui ex Græcorum & Arabum doctrina faciunt Medicinam, ſunt amici naturæ, maluntque benignis vti remediis, quàm deleteriis: ac malunt bis aut ter benignè, quam ſemel violento medicamento purgare. O fidum naturæ amicum, qui eam in ſuis ægritudinibus retinet, nec vllum præbet auxilium. Quorſum enim eccoprotica ſola afferat, quæ tantùm expediendæ & purgandæ primæ corporis regioni proſint, quæque ſimul omnia congeſta, ne tantillum quidem leuaminis, etſi centies exhibeantur, conferre poſſint, cum inualidiora ſint, quàm quæ morbi ſeminaria penitus adoriantur? atque hinc nata eſt neceſſitas, ad alia validiora remedia confugiendi, quæ tenaciori morbi cauſæ eradicandæ apta ſint, hoc eſt, fæci cuidam tartareæ vaſibus impactæ, diſſoluendæ ac deturbandæ idonea, quæ talia quidem erunt, ſi arte ad penetrandum ad intimas vsque partes, neruos, iuncturas & penitiſſima viſcera, vbi ſedes morbi delitescit, aptentur, quò vsque eccoproticis, vt nimium debilibus, penetratio denegatur. Neque etiam hæc opera remedii vehementis perficiuntur, ſed apta ac concinna ſpecifici auxilii præparatione, & propria diſſoluendi, liquefaciendi, ac vacuandi gummoſas eiusmodi & tartareas impuritates, craſſas, terreſtres, viſcidas ac tenaces, quæ morbos contumaciſſimos in nobis procreant. Attigi iſta tractatu meo de ſignaturis rerum internis, demonſtratione gummatum ſulphureorum, nec non ſulphuris oleo ſolubilis, quòd ſit eiusdem naturæ vtque aquea gummata aquis diſſoluantur, fæces tartareæ & ſales ſalibus. Hoc vnum tantum deſideratur, vt nobis probe cognita ſint

ea,

ea, quibus & ſolutiones & liquefactiones fieri queant, & quomodo aptanda ſint, vt effectus citra detrimentum & moleſtiam conſequatur. Hoc enim eſt probi Medici officium, qui in curatione morborum moras non captat, qui illis non blanditur, ſed qui (cognitis morbi cauſis) illis ſtatim profligandis ſtrenue incumbit, quærere nimirum ſalutaria tutaque remedia cita ac ſpecifica. Illa autem deſerere, quæ nullius ſunt vſus, quæque ſpecie amicitiæ naturæ morbos protrahunt, aut etiam eos incrementum capere, potiùs quàm tollere hac tædioſa expectationis dilatione ſinant.

CAP. V.

De eiuſdem Argumenti continuatione, vbi etiam vſus Hellebororum ab antiquis frequentiſſimè vſurpatus, oſtenditur.

QVÆREREM hic libenter ex noſtro Anonymo, qui ſe Græcorum atque Arabum Medicorum doctrinam & in praxi veſtigia ſequi gloriatur, quique tantus eſt naturæ amicus, vt lenibus ac benignis remediis, vt pote rhab. agar. ſenna, caſſia (quæ illa ſunt quatuor ſpecifica remedia tàm illi exquiſita, vt aliorum nullam mentionem faciat) quàm deleteriis vti malit. Num iſtorum aliqua in toto Hippocrate deſcripta & in morbis vſurpata legerit? Quin potiùs in omnibus ferè morbis vel acutiſſimis, etiam febrium penè ſemper incendio ſtipatis, ab illo ea in auxilium remedia adhibita eſſe, quæ Anonymus ipſe exitialia & venenata eſſe iudicat, atque imprimis Helleborum, quem Hippocrates vſque adeò extulit, vt cui, quando, quomodo, & aptè exhibitus fuerit, ei iuuentutem reſtituerit: omnibusq; qui eo vtantur incolumem ſanitatemconſeruet, & quã diutiſſimè tueatur.

Bonus

Bonus ipſe Meſue, cuius ſupra Anonymus noſter Canonem citauit, vt probaret quò benigniora ac familiariora naturæ medicamenta ſunt, eò tutiora & ſalubriora, ſic de Helleboro ſcribebat, de nigro ipſo loquens, lib. de ſimpl. cap de Helleb. Ipſum videlicet tantæ eſſe virtutis medicamentum, vt impuritates omnes & viſcerum corruptiones corrigere ac emendare poſſit, nec non magna facilitate ac facultate tenuem ac vitioſum humorem craſſæ pituitæ, & atræ bili permixtum deturbare ac educere: totam ſanguinis maſſam defæcare ac depurare; venas quaſcunque penetrare, & à venis in omnes corporis partes introire, quas ab omnibus ſuis ſordibus repurget. Quin & addit idem Meſue, tantæ eſſe virtutis ac energiæ, vt nulla pars corporis vel abdiriſſima & in profundo latens, aut remotiſſima vel ad cutem vſque vires & operationes eius non experiatur. Vnde conſtat ſpecificum eſſe ac præſentiſſimum auxilium toti capiti, cerebro, omnibuſque ſenſuum inſtrumentis, neruis, viſceribus omnibus, nec non ipſis etiam articulis feliciſſimè ac mirè ſuccurrens. Hinc fit vt nullũ epilepſiis, maniis, melancholiis, paralyſibus, vertiginibus, hemicraniis, ſpleneticis, febrib. quartanis, articularibus morbis & id genus chronicis affectibus contumacibus ac deploratis promptius ac vtilius remedium offerri poſſit. Quid reſtat denique quod Helleborus non præſtet? Nihil prorſus, ſi Meſuæ credimus. Cutaneas enim infectiones omnes delet, morphæam ſcabiẽ, lentigines, impetigines, porrigines, vt mire etiã cutẽ ipſam natiuis colorib. decoret, vtique halitum ſuauiſſimum ac oderatiſſimũ cõciliet. Poſtremo, ſi mihi ipſius Meſuę verbis vtendum eſt, Helleborus, inquit, eſt ſicut theriaca & Medicina per antonomaſiam (hoc barbaro vocabulo vtitur) ad lepram, cancrum, & ſpe-

ciem

cies Herpetis,& bothor,& qui ſe comedunt.

Perpendite an vnquam agyrta vllus tantoperè vel aurum potabile commendarit, ac Meſue ſuum Helleborum laudat ac prædicat.

Deſinat igitur Anonymus Græcorum & Arabum diſciplinam profiteri, proximaque illorum ementiri, cùm Meſue Arabs tantis laudibus celebret in praxin Helleborum, quem iſte, vt alia validiora medicamenta præter ſuum rhabarbarum,agaricum,ſennam & caſſiam vt deleterium & venenum reſpuit. Vbi tot laudes caſſiæ,ſennæ,rhab.agarico adſcribuntur? Quam igitur grauioribus morbis opem ferant, ſi ſtercus tantùm deturbant? Diſcite iuuenes egregiam Praxin Anonymi, & tutis eius receptis confidite. Sic in celebres Medicos euadetis.

Sed quid reſpondeat amplius Anonymus noſter, ſi exemplo cuiuſdam morbi, quod in purgationis operationem illi proponemus, (quemadmodum & ille vnum nobis ad alterationem pertinens produxit in medium) ſubiiciam illius oculis & tactui, longè ipſum euagari à doctrina Hippocratica,nihilque minùs quàm Græcorum imitatorem eſſe? Sumamus pleuritidem in exemplum, morbum vtique frequentiſſimum, & de quo certatim omnes propè Medici ſcriptant & loquuntur: in cuius praxin & theoriam nusquàm aliorum morborum frequentiùs magisque peccatur. Sed hic tantùm ea attingemus, quæ ad purgationem faciunt,de qua nunc agimus:reliqua in conſilium meum de pleuritide reiiciemus, vbi oſtenſuri ſumus, quot erroribus hic morbus à nonnullis Medicis circumferatur, præſertim in miſſione ſanguinis, quam iuniores (non ſeniores Medici & doctiores quos excipio) liberiùs & fortaſſe audaciùs quàm par eſt, profuſiusque celebrant,nulla habita ſpecierum pleuritidis diſtinctio-

ne,

he, an ea ſit ſuperiorum coſtarum, quam ſuperam vocat, occupante ſcilicet ſuperiores coſtas dolore, & ſanguine per venam intercoſtalem affluente? An verò ſit pleuritis mediaſtini ſeu ſepti recti & muſculorum intercoſtalium, quam mediaſtinam vocant, quæque ſit per mammariam venam? an verò ſit pleuritis, thoracica vocata, in qua dolor in baſi ſcapulæ adhæret, quæ fit per venam thoracicam, quæque eſt omnium peſſima? an denique ſit inferiorum coſtarum, quam hypochondriacam aut inferam appellant, quod dolor ad hypochondria vſque pertingat? Quæ diſtinctiones apprimè notandæ, quòd tres priores pleuritidis ſpecies venæ ſectionem deſiderent, non tantùm ad reuulſionem, ſed etiam ad materiæ iam fluxæ, vt loquuntur, hoc eſt, ſanguinis iam collecti extractionem & ablationem, quæ cauſa morbi coniuncta eſt. At contrà in hypochondriacâ ſanguinis eductio fieri non debet, præterquam ad cauſæ antecedentis reuulſionem. Citiùs enim alioqui totus ſanguis exhauriatur, quàm materia coniuncta detrahatur? Habenda porrò eſt temporis ratio, quò vena opportunè ſecetur: nec non ætatis, temperamenti, ægrotantis, virium, quæ rarò à multis obſeruantur, qui modò ſit dolor lateris pungens, cum quadam anhelitus difficultate, citra vllam cautionem, ſanguinis miſſioni audacter incumbunt: quam etiam nonnulli iuuenes inexperti vnicam iudicant ſoluendi morbi Medicinam, non habita, vt diximus, ratione, an morbus ſit in fieri, vt aiunt, an in facto, an ſit in tempore remiſſionis, nec neſcitra etiam conſiderationem naturæ, an ad laudabilem aliquam anacatharſin parata ſit, quę optima eſt metaſtaſis, & pleuriticis tutiſſima: quàmque vtiliùs ſit, pectoralibus remediis, fotibus, vnctionibus, & id genus aliis auxiliis, vt docebat Hippocrates, ſollicitare, quàm debiles iam vires ægrotantis immoderata

(vt plerumque fieri ſolet) ſanguinis miſſione proſternere.

Sed vt ad Hippocratem venerandum illum ſenem redeamus, qui maturo iudicio præditus, poſt fotus illos ſtatim in nonnullis pleuritidibus purgationi manum admouebat, idque morbi initio iuxta aph.29.lib. 2. quod tunc temporis materia turgeat, vt idem docet aph.2.lib.3.

Quam autem purgationem inſtituebat? An aliquam eccoproticam iſtarum, quas Anonymus noſter profert in medium? An aliquid quod naturæ familiare ſit, & tanquam medicamentũ alimentoſum blanditur? Nihil minus. At excipis Anonyme, tunc temporis defuiſſe tua eccoprotica, rhabarbarum nempè, agaricum, ſenniam & caſſiam: quæ exceptio, vt nihil certi demonſtrat, ſic nec poſſit fidem facere, veteres illos caruiſſe ſimilibus medicamentis, quæ morbis blandirentur, ac ægris arriderent. Legimus Regi Antigono ad ſubducendam aluum ab Hippocrate Mercurialem, quinetiam braſſicam fuiſſe præſcriptam, vt valetudini conſuleret. Sed interdum ſimilia prudenter reſpuit, vt fallacia, quod ad multos abigendos morbos nihil conferant. Videat Anonymus quæ in cura pleuritidis remedia ſeligat idemmet Hippocrates, & in temperamento bilioſo lib. 2. de diæta in acutis, etſi multa alia haberet cognita. Præ aliis omnibus veratrum nigrum & peplum deligit, vt ad purgandam & euacuandam per aluum cauſæ coniunctæ materiam præ aliis omnibus aptiſſima, ſiue ea materia ſit vitioſa, ſiue ſeroſa, putrida & maligna, quæ morbum parit.

At mihi audire videor Anonymum obſtrepentem, Hippocratem ipſum incuſare temeritatis aut audaciæ, qui ex tam violentis, acerbis, vrentibus & maleficis medicamentis periculo mortis tot hominum vitas expoſuerit,

fuerit, præſertim in tàm ardenti morbo ab inflammatione excitato, quem frigidiora recreare debeant, aut ſaltem illius impetus temperare ac remorari? Sed ſus ne doceat Mineruam? ſciatque Anonymus non citra iudicium delecta à prudentiſſimo ſene eſſe eiusmodi præſidia, qui alibi apertè docuit, extremis morbis extrema eſſe adhibenda remedia. At nec in omnibus pleuritidibus iisdem vtitur purgationibus: at quibus nouit ea congruere: Si quidem vbi iis non videt eſſe opus, ſed phlebotomiam deſiderari, ad eam circumſpectè in aliquibus pleuritidibus recurrit. Ita enim ſingula in hoc morbo, vt in aliis omnibus, cum iudicio examinat, vt etiam vſu ptiſanæ aliquando ægris pleuriticis interdixerit, præcipuè vbi nimiam reſpirandi difficultatem animaduertit, quod ptiſanæ viſcoſitas ac tenacitas gutturi adhærens difficultatem augeat; Quin etiam in nonnullis pleuritidibus reformidauit vſum oximellis ob anacatharſin, nec non vini aut aquæ exhibitionem, niſi magna cautione, aut opportunè apteque adminiſtrentur.

Notaui in Centuriis Mart. Rullandi, inchoatam ſemper fuiſſe ab illo pleuritidis curationem à purgatione, quam ſtatim initio præmittebat, dilutam aqua eius benedicta, quæ ſemper vomitum aliquem leuem preliciebat, vt ipſe refert. Hanc deſcripſit licet obſcuris verbis, cuius baſim conſtituit crocū metallorum, quem aqua vlmariæ, aut cardui benedicti (vnde nomen ei imponit benedictæ aquæ) diluebat. Hunc crocum metallorum credidi eſſe illam magneſiam, quæ prima eſt origo & radix metallorum, cum nitro calcinatam, calcinatione Philoſophis veris chymicis nota, qua nigrum ſuum colorem in rubeum commutat, croco non diſſimilem, vnde etiam nomen croci adepta eſt. Qui quidem crocus etſi omni ſapore deſtitutus eſt, non caret

gantia reiicere; videat quantis laudibus Scribonius Hieram Pacchii efferat, de qua iam ſupra loquuti ſumus, cuius inter ingredientia præcipuum locum occupat Colocynthis, ſoluturum vtique violentiſſimum ac calidiſſimum, quam comitantur gummi ammoniacum, aromata piperata ſeu ſpecies etiam admodum inflammantes ac adurentes. Ipſam tamen vocat compoſitionem admirandam ad omnem lateris dolorem, ſiue cum febre, ſiue ſine febre fuerit: vbi etiam videre eſt, quantos effectus illius experientia notauerit variis in morbis, iisque deploratiſſimis, quibus deſcribendis aut recenſendis tempus deficiat, ac verba defuerint. Præterea ne diutius Anonymus benigna ſua eccoprotica fortioribus illis medicamentis ſtomacho noxiis anteponat, audiamus quid porrò idem Scribonius loquatur: *Illud verò ſupra opinionem eſt,* (inquit, de Hiera Pacchii verba faciens) *quod ſtomachicis euidenter conuenit, cum ſit viroſiſſimum medicamentum aduerſus ſtomachum, ne ad leuia quidem & ſimplicia medicamenta diſpoſitum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior vſus, ratione eſt: expertus enim vnusquisque intelligit, ſtomacho quoque hoc medicamentũ eximiè prodeſſe.* Tandem prædicatis iſtius medicamenti laudibus in variorum & grauiſſimorum morborum curam, ſic demum concludit caput ſuum: *Illud vtique credas, velim, mihi, dum in aliis expertus perſuadeam hoc medicamentum non ſolum non nocere ſtomacho, verùm etiam reficere ac confirmare eum ſupra omnem opinionem.* Hinc diſcat Anonymus antiquos Medicos in grauiſſimis ac deploratiſſimis morbis tùm curandis, tùm corroborandis, & reſtituendis malè affectis ac eneruatis ventriculis, ac ſtomachis non ſemper lenibus illis eccoproticis, ſed vehementioribus ac acrioribus medicamentis, qualis eſt colocynthis & id genus alia, vſos eſſe, cùm non niſi eiusmodi remediis ſatis intelli-

gerant vim grauiorum morborum infringi poſſe, quibus abigendis leuiora imparia ſint.

Poſſem in hunc finem innumerabilia alia remedia proferre ex Græcis autoribus, Latinis ac Arabibus deſumpta: quibus fidem facerem, celebriores Medicos vehementiſſima illa remedia & fortiſſima ad curationem peſſimorum morborum non leuia illa ſemper adhibuiſſe, quorum tamen non erant ignari. Sed quorſum de his plura, cùm ſatis iam pudeat Anonymum noſtrũ ſuarum ineptiarum? Attamen in hoc ſuſtinendus eſt Anonymus, quòd non potuerit Palladem parturire: quæ bona fide accepit, bona fide illa nobis elargitur. Ergo qua in re culpandus, ſi paruum parua decent? At in hoc vtique reprehendendus, qui non omnia dixerit, cùm poſſet. Suppreſſit enim ſuorum eccoproticorum præſtantiſſimum, ne tantum arcanum vulgo patefaceret, ſibi ſoli illud aſſeruans, quod non eſt vtiq; fidelis amici & boni Chriſtiani officium. At quod nam illud eſt? Catholicum illud nempè tàm egregium, non Hiſpanicum quidem iſtud, quod ptyaliſmũ ridẽdo tantùm proliciebat, ſed vniuerſale illud, vnde nomen mutuatum eſt omnibus vitiis ac malignitatibus expurgandis idoneũ. Sed vt iam dixi tàm pretioſum medicamentum ad diem ſui obitus, ni fallor, ſibi recondebat, quemadmodum & ille Pacchius ſuam hieram, de qua diximus: ni forte ex venditione illius ingentem quæſtum ad ſe peruenturũ ſperet, quemadmodum mulier illa Africana ipſi Scribonio magna auri & argenti copia remedium ſuum in colicam, cuius non tantùm dolores ſtatim ſedabat, ſed morbum ipſum ne recurreret prorſus efficiebat, licitata eſt: Si quod pretium fuerit, quis quærat, legat cap. 23 li. ipſius Scribonii, vbi & pretiũ & ipſum arcanũ publico, ab ipſo traditũ nacturus eſt, Huius autem ſecreti præcipuum ingrediens eſt cornu ceruinum tenerrimum, in

cal-

calcem vi ignis ad extremam vſque albedinem redactum: vbi deprehendere licet iam illis temporibus, imò etiam longè ſuperioribus ſeculis calcinationẽ vnam ex Chymicis operationibus vſitatam fuiſſe & familiarem, quas tamen operationes Anonymus noſter damnat, ac reſpuit, ſic ſc. bonus veterum illorum imitator & ſectator, ac Scribonii æmulus in promulgando ſuo catholico. Quod etſi non tanto pretio emerit, quanto ſuum Scribonius, Reip. tamen Medicæ ipſum inuidet, vsque adeò humanus eſt ac beneuolus. Sed id fruſtrà cùm mihi ſatis perſpectum illud ſim mox publicè euulgaturus, vt quod recuſat Anonymus, ego benè de omnibus merear, & poſteritatis gratiam ineam. Sed quod tandem eſt iſtud tàm magni pretii arcanum? tàm ſuſpiciendùm myſterium? ſilerem vtique ni mihi ſtandum eſſet promiſſis. Audite igitur attentè lectores ſi vacat, idque Pythagorica aure: nam ſecretorum ſecretum eſt ter maximum, nempè catholicum, non craſſum illud & viſcidum, quale vulgò diſſolutionis forma ferè ſemper noxium in hauſtibus exhibetur: Sed tenuiſſima illius ſubſtantia tranſcolata, quam ex cochleari adacto, è catholici duabus tribusue vnciis traiiciunt, vt eius quod tenuius eſt, relicta craſſiore portione exeant dragmæ decẽ vel duodecim ſubſtantiæ tenuioris. Hoc eſt Anonymi extractum tranſcolatũ, cuius capiũtur drachmę decem ad minimum, vt cùm decocto Medicinæ fiat potio, in parua doſi, ſeptem ſc. vnciarum: Tranſcolatum iſtud ab Anonymo in magno pretio habetur, quòd vt ille putat tenuiſſimarum ſit partium, quippe per cetaceum tranſcolatum: vtinam & artẽ didiciſſet ille tranſcolandi eiuſmodi transſcolatũ per tranſcolationis naturæ viam. Atque vtinam vel miſceri ritè poſſit tranſcolatum iſtud cum tranſcolante tranſcolato, vt tranſcolantem ſtomachum ſaltem ſubleuaret. Sed relinquamus Anonymo iſtas ſuas nugas, nos verò his grauiora & meliora ſectemur.

Cap. VI.

De virtute medicamentorum purgatrice in ſpirituali eſſentia non materiali latente & repoſita aduerſus erroneam Anonymi opinionem, qui eam ſimilitudini ſubſtantiæ adſcribit.

PRopoſitis ab Anonymo noſtro eccoproticorum ſimplicibus, tandem apertè ipſe docet omnem propemodum eorum perſonandorum rationem, quâ ad purgandum vulgaris conſuetudo vti ſolet: in forma boli ſcilicet infuſionũ, decoctionum, puluerum opiatarum, & tabellarũ, nihil omittens præter ſui catholici tranſcolationem, vt quę etiam, tanquam nobilis margarita ſuibus & canibus non ſit temere obiicienda operatio. Subnectit porrò quę ſequuntur de ſuis perſonatis pręparationibus. Hos, inquit, præparationis modos veſtris extractis aut diſtillatis pręferimus: quia diſtillatione perit vis purgatrix. Recedit enim temperies, à qua ſubſtantiæ ſimilitudo efficiens cauſa purgationis.

En hominis argutias & ſubtilitatem, & quàm bellè & appoſitè loquatur de extractis, quę non niſi per trãſennam licuit vidiſſe, hoc eſt, ex aliorum ſcriptis obiter percurriſſe. Qui ſi attentè autores legiſſet, qui de iis ſcripſerunt, vidiſſet quàm exactis infuſionibus, decoctionibus ſimplicium, cum propriis & genuinis aquis, digeſtionib. ac puri ab impuro ſeparationibus, ea fieri ſoleant, quæ in eum coctionis modum tandem reducũtur, vt mellis conſiſtentiam vel ſyrupi vel etiam opiatæ & mollis electuarii formam adipiſcantur; nec non ſi vlteriùs lento igne decoquãtur in pilulas efformari poſſint, quarũ ſcrupulus in doſim ſatis ſit ad iuſtam expurgationem. Sed aſtutus ille, cùm vel à minimo quouis Chymico ſe conuinci poſſe videat, qui in extractis vim purgatricem manere facilè demonſtret, ſibique timens,

ne

ne ſuum catholicum trāſcolatum, quod extracti quoddam eſt genus ex coquinaria potius, quàm Philoſophica ſchola deriuati, ſibi opponeretur. Idcirco definit loqui in genere de extractis. Sed veſtris (inquit) extractis aut diſtillatis, ſeparans extracta ſua à noſtris, & noſtra diſtillata vocans, quibus immoratur, ſeorſim extracta deſerens: ratus in diſtillationis ſenſu vſurpato victoriam eſſe poſitam. Quia (vt infert) in diſtillatione perit vis purgatrix, quam in extractis perire non audet aſſerere: vbi acumen ingenii nempe ſophiſtici plus ſatis oſtentat. Cum enim virtutem purgantem ſatis ſciat in extractis non perire, vt ſit in diſtillatis, remedia noſtra meras diſtillationes vocat, quaſi ad purgandum inutilia ac inualida, quibus etiam ſolis nos oppugnat.

Sed notanda eſt dicti Philoſophi noſtri confirmatio, quæ talis eſt: *Perit* (inquit) *diſtillatione vis purgatrix. Recedit enim temperies, à qua ſubſtantiæ ſimilitudo efficiens cauſa purgationis &c.* Cuius dicto prompta eſſet reſponſio, niſi eam reiiceremus in librum noſtrum de recondita rerum natura: vnde veram cauſam purgationis efficientem diſcet non eſſe poſitam in ſimilitudine illa ſubſtantiæ, de qua poſt alios verbis euerberat auras. Difficile enim illi eſſet rem exactè definire, & quò ſimilitudo illa, quomodoque referri debeat, docere; An ad qualitates, an ad ſubſtantiam, num verò ad formam ipſam? Quā ſi ad qualitates referat, id ineptè & citra rationem faciat: Si quidem etſi quæcunque purgant, caliditate prædita ſint: non tamen ſequitur, quæcunque calida ſunt, vel ipſis etiam purgantibus calidiora, vim purgandi habere, qualia ſunt piper & Zinziber: minus etiam colori medicamenti vis purgatrix tribuenda eſt, ſiquidem nec croco, ideo quod rhabarbarum flauedine ſuperet, bilis flauæ purgatio adſcribi debet: maiore etiā inſcitia virtute illa purgatrix ad materiam referatur,

quòd hoc vel illud craſſius ſit aut tenuius ſubſtantia. Nulla enim hic eſt ſimilitudo, cùm craſſam pituitā vacuet agaricus leuitate ſua: rhabarbarum verò ponderoſum leuem bilem. Denique ſciendum materiæ proprium eſſe pati, non agere, purgationem autem eſſe actionem. Reſtat igitur vt ad formam reuocetur iſta ſimilitudo ſubſtantiæ: cui, cùm ab omnibus vis agendi tribuatur, eam idcircò Medici omnes virtutem ac proprietatem purgandi ſpecificam poſſidere, vno ore conſentiunt. Sed cùm etiam iſta pronunciant, grande nihil efferunt, vt qui generaliùs loquantur, nec ſatis ſpeciatim doceant, quæ ſigillatim ſumus in libro illo noſtro demonſtraturi, formam altiùs non arceſſentes quàm ex interna ipſius purgantis anatomia. Nec tamen negare velim à cœlo in hæc inferiora ſuas formas ac virtutes induci: in ſalem videlicet nitroſum, felleum & amarum, cuius proprietas eſt lixiuia facere, detergere & mundare naturam, cuius vi ad vrinæ excretionem prouocamur, idque eò frequentiùs & maiore conatu, quò nitroſiores ſunt & acriores vrinæ, eiuſmodi ſale ſcatentes: ex cuius acrimonia vrinæ crebrò naſcuntur ardores, & aſſidua meiendi cupiditas. Bilis flaua ſalis naturam & coagulationem induta, dum mediocriter exudat in ieiunum inteſtinum, facultatem expultricem irritans, nobis eſt quotidiani purgantis loco. Quæ ſi per totum corpus diffundatur, & quod ſatis eſt inteſtino deneget, icteritiam parit, & ſimul alui ſiccitatem. Si verò illa profusè in ventriculum inundet, facultatem habet medicamenti ſupernè ac infernè vſque adeò vehementer purgantis, vt cuiuſuis antimonii vim & moleſtiā exæquet: vnde naſcitur morbus cholera dictus, qui ſæpenumero non niſi morte finitur.

Si Anonymus noſter vel tantillum in Anatomia rerum interiori eſſet verſatus, cuius aliquem guſtum potuit

tuit tractatulus noſter de ſignaturis rerum ei conciliaſſe, atque ſi attentè expendiſſet fellis naturam; liberiùs ac animoſiùs de cauſis purgationis efficientibus poſſet diſſerere, nec tot rapſodiis ex ſimilitudine ſubſtantiæ diſputationem ſuam conſueret: de qua cùm tot ſint cõtrouerſiæ inter celebriores etiam Medicos agitatæ, quã paruo & caduco iſta nitantur fundamento, hinc ſatis certa fides eluceſcit: cùm enim vna & eadem ſit veritas ſemperq; ſui ſimilis, de ea ambigi & cõtrouerti non poteſt, nec licet, vbicunq; illa hæreat. Omnium igitur animalium fel eorum ſolutiuum aloë eſt, quo purgantur. Ex quo etiam animalium felle Medicus philoſophus purgans poteſt medicamentum inſigne extrahere, vt ex omni alio ſimplici aut indiuiduo felleo ac amaro, hoc eſt nitroſum ſalem felleumque continente ac referente. Quiq; ſi ingenioſè ac dextrè ſecretus ab aliis duabus ſubſtãtiis actiuis fuerit, à quibus eius virtus interpellatur, in prę̈ſtantiſſimũ purgatiuum cõcinnari poteſt. Sed iſta nõ niſi ab expertiſſimo & verſatiſſimo ergaſta præſtari queunt, quæ ab Anonymo noſtro mirum non eſt quòd reiiciantur, qui tàm egregiarũ operationũ ſit planè apeiricus, ac in tàm vtilibus ſpeculationibus vtroq; lumine animi & corporis priuus: quòd iſta ſc. indigna ſint maieſtate Medici ignaui, & imperitiæ indulgentis.

Omninò iſta Anonymi noſtri ſimilitudo, qua tanquam clypeo ſe protegit, & cuius ampullas aut verba ſeſquipedalia, velut aliquid metuendum aut ſuſpiciendum, oculis noſtris obiicit & opponit, ratus ſic nobis vocẽ faucibus hæſuram, addita ſimul magiſtrali & doctorali expoſitione, dum ſic loquitur: *Similitudo Medicamenti, cùm humore purgando diſtillatione diſſipatur, perit vis purgatrix, quam integram deponit in aquam decoctionis conuenientis.* Hæc inquam tàm elegans ſcilicet ſimilitudo, orationem meam de purgatione longiùs, quàm inſtitu-

inſtitutum ferebat, produxit, vt in comparatione ſua, communium ac vulgarium medicamentorum cum Chymicis, oſtentationem deprimerem. Quis enim ferat, vt, quæ vulgaria ſunt & omnibus trita, tanquam arcana præſtantiſſima in cœlos vsque euehat, quæ verò ſummis laudibus digniſſima, & quæ non niſi à ſagaciſſimis & ingenioſiſſimis viris attingi poſſunt, omnibus modis euertere ac diruere contendat? Sed faceſſat iſtius hominis eſſentia quinta, quæ nihil aliud quàm fœtidi copri eccoproticum redolet: vigeant verò Chymica extracta, & ſpirituoſæ eſſentiæ, licet vt porcis margaritæ quiſquiliæ illæ ſint Anonymo noſtro. Sed ad imitationem illius, paulò pòſt exactam, nos quoque eorundem inter ſe remediorum comparationẽ inſtituemus, quam proprio capite complectemur, vt quiuis æquus lector de vtrorumuis pręſtantia & excellentia iudicet, & quàm alia aliis ad ſtateram reuocata longè grauiſſimè præponderent. Poſſum tamen differre horum tractationem, & Anonymum ad librum illum noſtrum de recondita rerum natura ablegare. Veruntamen ne langueat expectatione, & tàm promptum reluctandi ſtylum, quo pollet infrequentia contradicendi, rubigine inficiat: breuem quandam argumenti, meo libro illo tractandi, ideam illi hic effigiabimus: Diſcet etiam ex hac breui Idea Anonymus, ſi volet, veriſſimam efficientem purgationis cauſam, quæ ad incertum illum aſinorum pontem, ſimilitudinem (inquam) proprietatum aut ſubſtantiarum, tot inter Medicos controuerſiarum autorem non referatur. Atque vt id faciliori via nobis innoteſcat, eminùs repetenda eſt hæc diſputatio. Quæ vt ad rem iſtam omninò illuſtrandam confert: ſic venia & excuſatione digna cenſebitur maiore, quò longior fuerit de purgationis aperiendis veris rationibus oratio.

CAP. VII.

CAP. VII.

Quo virtus medicamenti purgatrix Salinis rerum ſpiritibus potiſſimum vindicatur.

DIximus iam, quod & ſæpius repetituri ſumus poſthac, inter varia officiorum genera, quæ à tribus illis hypoſtaticis principiis in mixtionem omnium corporum naturalium concurrentibus exercentur, hoc quod de purgatione & mundificatione eſt ſali vni vendicari: quod veluti eſt generale totius naturæ lixiuium atque mundificatiuum: idque iuxta vocis (purgationis) ethymon, quæ pro omni mundificationis ſpecie ſumitur, ſiue vacuatio fiat impuritatum, aluum per ſeceſſum, aut ſtomachum per vomitum, renesq; per vrinas, aut vniuerſum corpus per ſudores purgans: ſiue obſtructiones reſerat, & qualicunque ratione eas detergat.

Hoc purgationis officium longè lateque diffunditur: cuius tamen partes etſi ad eundem ſcopum colliment, diuerſi tamen ac veluti etiam contrarii effectus earum ſunt, vt qui ab eodem ſubiecto profecti videri non poſſint. Vtque diuerſi ſunt effectus; ſic ſalis genus varium & generale admodum eſt: vtpote quod in varias etiam ſpecies diuidatur, quæ pro diuerſitate ſua ſingulæ diuerſos etiam ſapores, euacuationum ac deterſionum proprietates ac facultates varias poſſideant.

Veruntamen inter ſales, qui amarulentior ac magis felleus eſt, proprietatem ſuam hoc ſapore prodit per aluum & ſeceſſum purgandi. Huiuſmodi ſales Chymici nitroſos vocant. Saladinus de Eſculo antiquus olim & magnus Phyſicus ac Medicus, in ſuo Compendio Aromatariorum cap. de ſalibus ſic loquitur: *Dico quòd ſalis famoſæ ſpecies ſunt quatuor, ſc. ſal panis, id eſt ſal communis, ſal gemmæ, ſal napticus, & ſal indus* Addit poſteà hunc eſſe omnium amariſſimum & acerrimum ſeu violentiſſimum,

ſimum,atq; idcirco purgantiſſimũ. Omnem a. ſalem vocat calcar aliarũ Medicinarũ, cum quib. miſcetur: facit enim eas celeriùs & citiùs operari, & tandẽ addit: *Omnis ſal educit groſſos humores phlegmaticos &c.* In alio diſpẽſa- rio, quod vocãt, ſeruitoris Titulo inſcripto, qui Bulcaſis Benaberazerim Arabis librorum eſt vnuſ, idem comperietur, cap. inſcripto, Modus præparationis ſalium, & proprietates eorum in purgando & de aqua ſalſa: ita vt hinc pateat, me non eſſe autorem adſcriptæ ſalibus purgandi virtutis, & aliarum proprietatum, iam olim à doctis viris illis adiudicatarum, prout accuratiùs poſthàc docebimus, vt nos tueamur à cachinnis noſtri Anonymi, nos propter adſcriptionem eiuſmodi virtutum huic vitali principio meritò factam deridentis: Vbi ſuam ipſemet temeritatem ſatis ſuperque prodit.

Vt repetamus igitur noſtræ orationis curſum, aſſerimus ſpeciatim ſali, eique vel amariſſimo, vim purgatricem ſemper fuiſſe tributam. Nec per ſalis nomen Metallicos ſales intelligo tantùm: At ſalem illum, qui in rerum generationem vt tertium principium concurrit, quique ſignaturam ſuam & proprietatem amarore explicat, qui in omnibus purgantibus talis deprehenditur abundare. Qui quidem amarus ſapor naturam ſalinam redolens, ſi ſeorſim ſeparetur in aqua ſolutus, dein coaguletur, in purgans medicamentum reducitur & accommodatur.

Sæpè alibi diximus & adhuc dicturi ſumus, hac ſeparandorum principiorum via & methodo, ex ipſo opio, quod ſaporis eſt amari, ſubſtantiam vi purgatrice præditam elici poſſe, quam hactenus Anonymus ignorarit: quòd ſcilicet in toto opio, copioſiore aliarum ſubſtantiarum, ſulphurearum nimirum aut mercurialium mole, ſalina iſta & amara ſubſtantia ſolutiua obruatur: quæ tamen ab aliis ſecreta geminas vires exerit, vt alias

vt aliæ ſeorſim ſubſtantiæ ſuas quoque virtutes explicant. Sed Chymicorum eſt & Doctorum Philoſophorum de his iudicium facere. Soli enim illi iſta norunt, qui viuam rerum anatomiam callent, ab eaque non recedunt, vt proprietatum cuiuſuis indiuidui certam cognitionem habeant. At hi veri ſunt Medici, qui huiuſmodi principiorum aut ſubſtantiarum ſeparationis faciendę peritia pollent. Quorumque eſt de abſtruſis iſtis & tam elegantibus operationibus diſſerere, vt qui norint etiam ſedulam rebus operam nauare, non eos tanquam ſua maieſtate indignos labores effugere.

Notandum eſt tamen, cùm de vera cauſa efficiente purgationis loquimur, qua humores commouentur & detrahuntur ex corpore, nos non verba facere de ſimplici illa ventris lenitione aut ſubductione: nec etiam eam vim ſolùm in ſale, quatenus ſimpliciter ſal eſt, aut amarus, conſiſtere: ſed quatenus amaritudo illa ſtipatur irritante quodam ſpiritu, cuius vi ac energia eiuſmodi functiones obeuntur. Siquidem cùm ſpiritus ſpiritibus facilè connectantur, vitales expultricis noſtræ facultatis ſpiritus facilè à ſpiritibus ſalinis prouocantur ad eorum excretionem, à quibus irritantur. Salinos enim ſpiritus mordaces & acres benigni noſtri ſpiritus ferre nequeunt, quin illos tota vi commoti & irritati excludant: quibus expulſis pacati conquieſcant. Nec tamen expulſio iſta, collectis vndique viribus facta, citra intertrimentum vtilis ſubſtantiæ corporis cum vitioſa coniunctæ abſolui poteſt. Dum enim vtrique ſpiritus concertant, vndequaque cogit ſibi copias natura, quibus hoſtem oppugnet, atque vtrinque ita confligitur, vt penes quos ſpiritus inclinet victoria, ſæpe dubitetur. Quo fit, vt dum natura ſpiritibus ſuis per ſuperiora ac inferiora hoſtem extra muros ſuos deiicit, victoriam quidem, ſed cruentam tamen ſibi pariat: aut contra ab

trà ab hoſtibus deuicta, tota tandem, ac ſępe ſuccũbat. At parta victoria, cum hoſtibus deturbatis, varia etiam prauorum humorum ſarcina ſimul liberata eſt, quorum expulſio verè purgatio dicitur. Sed non parùm ad hæc confert magna prudentis Medici induſtria: cuius auxilio, ſapientia, ac rerum gerendarum imperio, natura ita plerunque iuuatur, vt facilè hoſtem proſternat, & confiniis ſuis cum omnibus impuritatibus extrudat. Quod vtique feliciter ſuccedere non poteſt, niſi Medicus hoſtis naturæ vires rectè cognitas habeat, cui copias & arma ſua opponat, nec plus adiiciat, quàm quod ſatis eſſe poſſit. In hoc enim ſummè congrua doſis ac iuſta menſura deſideratur à Medico, qui aptis auxiliis morbum velit profligare: alioqui ſi ea medendi dexteritate careat Medicus, cùm propugnator naturæ eſſe deberet, ſeſe non alium quam naturæ proditorem & carnificem prodat.

Cùm itaque multos tanquam domeſticos hoſtes foueamus, qui intemperata viuendi ratione, & innumeris aliis erroribus, rebelliores ac contumaciores alii aliis redduntur, quique ſi diutiùs nobis immorentur, ac firmam ſedem figant, non facilè coërceantur, quò plus detrimenti & noxæ multum corpori inferant. Hinc circumſpectus deſideratur Medicus; qui pro ſua prudentia dextrè gerat omnia, modò naturam leni claſſico excitans, modò ſecuriùs ſibi indormienti excubias imperans, modò hoſtem leuis armaturæ in ipſum promouens & concitans, hoc eſt, lene aliquod eccoproticùm præſcribens, quoad ſibi cauendum à grauiore hoſte ſollicitetur: ſic primùm impuritates hoſtiles intra muros deliteſcentes deiiciens, primam corporis regionem repurgat, hoc eſt leuiores hoſtes excludit, cùm iiſdem fortiores & vehementiores expugnari non poſſent. Itaque aduerſus violentiores & crudeliores hoſtes, qui

qui corporis etiam præcipua propugnacula occupârunt: imperiti fuerit ducis, hoc eſt, inconſulti Medici, qui aſſulis & feſtucis, aut leui ad arma conclamatione, eos deuinci ac extrudi poſſe putauerit, quos niſi vi grauiſſimorum armorum expugnari poſſe certiſſimum ſit.

Duo igitur Medico attentè conſideranda veniunt: Naturam videlicet poſſe ab interno & externo hoſte diuexari. Sed hæc vnicè præuidere debet, ne ab externo hoſte natura torqueatur: quod tùm accidit, cùm medicamentum crudum, impurum, tamque naturæ noſtræ & ſpiritibus contrarium & deleterium exhibetur. Deinde contrà, vt qui ſint domeſtici in corpore hoſtes conuenientibus & idoneis armis opportunè debellentur. Nam ſi minùs aptum præbeatur ſubſidium, ab vtroque hoſte oppugnatur natura, tùm ab externo medicamento, tùm ab interna impuritate, quæ etiam in corpore diutiùs commorans, in venenum tranſit, ni præceps auxilium afferatur.

Ceterùm extranei illi hoſtes quos vocamus, illi ſunt medicamentorum ineptorum ac minimè congruentium ſpiritus virulenti, qui noſtris ſpiritibus omninò contrarii ſunt, vimque naturæ inferunt. Nomen autem Spirituum illis tribuimus, quòd re vera tenues ſint, & inſtar fumi aut vaporis volatiles, quos tamen corporeos eſſe conſtat, vt qui ſenſus non fugiant. Sed de iis fuſiùs & apertiùs in Conſilio noſtro de Epilepſia mox in lucem prodituro diſſeremus, de quibus & eorum poteſtatibus tantùm hæc obiter & in genere dicta ſint, vt pateat ipſis ſpiritibus potiùs, quàm qualitatibus primis, aut etiam ſoli craſi, omnium actionum cauſas meritò eſſe abſcribendas.

CAP. VIII.

Quo docetur, omnem vim medicamentorum purgatricem in ſpiritibus mercurialibus, antimonialibus & arſeni-

arſenicalibus, iuxta propriam vniuscuiusque naturam præſertim contineri, & ex illis proficiſci.

SEd cùm de ſpiritibus purgationem cientibus hic priuatim agamus, his tantùm explicandis immorabimur: atque vt meliùs & faciliùs res iſta concipiatur, hoc eſt, tanquam viſui & tactui ſubiiciatur, origo nobis purgationis arceſſenda eſt altiùs, quàm à vegetabilium familia, ac tranſeundum in naturam mineralem, vbi tanquam in prima ſua ſcaturigine apertè conſpici poteſt.

In hac igitur mineralium familia tria ſpirituum genera à prima origine ſeſe primò conſpicienda offerunt: mercuriales nempè Spiritus, arſenicales & antimoniales: qui ſuapte naturà, verè ſimplices, formales, ignei ac miris dotibus inſtructi admirandæque ſunt efficaciæ, ac in operando promptitudinis. Qui quidem inter ſe diſtinguendi vt diuerſi, vt qui etiam à tribus principiis, iiſque diuerſis oriantur. Si quidem mercuriales vt ſubtiliſſimi, vaporoſi, aërei & aquei, ex mercurio. Arſenicales, vt qui magis halituoſi, ignei ac calidiores, mediocriter volatiles ex ſulphure. Antimoniales omnium craſſiſſimi ac magis corporei & terreſtres ex ſale ſuam originem ducunt. Mercuriales à Sole, Luna & Mercurio cœleſtes ſpiritus mutuantur, iisque imprægnantur ac animantur. Arſenicales Martis Venerisque Spiritus excipiunt, vt antimoniales Iouis & Saturni proprietates ſpirituales ac virtutes concipiunt. Ex quibus cœleſtium Spirituum virtutibus, ſingula principia, ex ſibi conuenientibus imprægnata & iis aucta, potentiores vires, in ſuo vnumquodque genere, naturamque correctiorem ac temperatiorem conſequuntur. Si quidem mercuriales tanquam ex benignioribus & ſalubrioribus Spiritibus perfuſi, benigniorem conſequuntur naturam

turam, vtpote medicamentoſam alimentoſam. Antimoniales ex intermediis, hoc eſt, partim benignis, partim malignis, peiorem naturam, hoc eſt, intermediam ſubeunt. At arſenicales, vtpote peſſimis & pernicioſiſſimis ſpiritibus agitati, exitialem naturam induunt, qua ſæpius multum detrimenti inferunt.

Qui idcircò poſtremi vsq; adeò natura ignei, vehementes ac violenti, metallicis & petroſis ſubſtantiis, duriſſimis ac ſemimortuis, formandis & coquendis, non autem benignioribus & mollioribus indiuiduorum naturis (quales ſunt vegetabiliũ & animalium) inſeruiunt, ac inſtar ignis ſunt, vitamq; ipſis elargiuntur.

Quin & ipſi ſpiritus corpora induunt naturis ſuis conſentanea, arſenicales, ſulphurei, auripigmenti & arſenici corpus; quæ duo metallica planè ſulphurea ſunt. Antimoniales, antimonii & magneſiæ corpus, quod inter metallica alia hæc ſunt corpulentiſſimæ & craſſiſſimę ſubſtantiæ, de ſtirpe Saturni & vitrioli, quęque ob id prima entia & principia ſint ceterorum metallorum.

Quorum corporum impedimento violentia & pręceps, vt ita dicam, actiuitas prædictorum ſpirituum quodammodo coërcetur: nec ita vehementes vires exerunt illi, ac cùm ad ſimplicitatem & ſpirituoſam tenuitatem redactis ſunt. Inter ſpiritus autem corporeos mercuriales benignitate ac ſuauitate ſuperant antimoniales & arſenicales, qui poſtremi alios duos violentia ac malitia vincunt. Hi enim toti propè ignei ſunt, vt iam diximus, ac idcircò pernicioſiſſimi.

Mercuriales autem cùm omnium ſint ſimpliciſſimi ac tenuiſſimi, atque hinc ad agendum promptiſſimi: nec non Mercurius ipſe totus homogeneis conſtet partibus, iisque ſpiritualibus: alios idcircò agendi promptitudine ſuperat, atque hinc vniuerſali purga-

tioni ac mundificationi redditur præ aliis idoneus, vtpote ex cuius ſubſtantia tota, citra vllam partium ſeparationem, egregiæ ac optimæ omnis generis purgationes, nulla etiam adhibita præparatione, quam cruditatis cuiusdam noxiæ correctione, & celeritatis ac promptitudinis eius in purgando nimiæ, retardatione, extrahi poſſunt. Quod coctione illius & fixatione præſtatur.

Spiritus autem, qui medio quodam fixi & volatiles ſunt, locum habent & ſe produnt præcipuè in auripigmeto ac arſenico. Ex quorum tota ſubſtantia, citra etiam exquiſitiorem ſeparationem, educuntur ſolutiui quidam ſpiritus, vsque adeò ſulphurei, ignei, violenti ac exitiales, vt meritò inter venena omnium lethaliſſima recenſeantur: quorum inſultus & violentiam natura animalis, vtpote delicatior ac debilior, ferre non poteſt, quin ſtatim corruat. Quorum tamen vehementia ac pernicies non poteſt non arte corrigi, ac ſic emendari, vt vtiliſſimus futurus ſit eorum vſus, vel in ipſorum etiam cancrorum cura.

At antimoniales Spiritus, vtpote aliis corpulentiores, craſſioresque, in Antimonio ſedem ſuam figunt, quòd metallorum omnium, quæ præ aliis rebus omnibus corpulentiſſima ſunt, prima ſit radix ac origo. Nec tamen ita ſeorſim manent, quin aliorum coniugio ſociati, mercurialium nempè & arſenicalium, ſeptem metallorum, illas ſpecies ex ſeſe procreent: Saturnum videlicet & Iouem, cùm ſpiritus antimoniales virtute & copia ſuperant: Martem & Venerem, cùm exuperant & vincunt arſenicales: Solem verò, Lunam & Mercurium, cùm mercuriales in alios victoriam obtinent: qui quidem mercuriales, præ aliis omnibus ſpiritualiſſimi ſunt, ac ſimpliciſſimi, ſummeque eſſentiales, quique ad perfectam coctionem ac fixationem deducti,

perfectiſſima duo metalla, Lunam nempè & Solem, omnis ſulphuris antimonialis ac arſenicalis pura putaque abſoluunt ac progignunt. Etenim illi nil niſi Mercurius ſunt fixus, & ad perfectam concoctionem perductus. Hæc autem Solis & Lunæ metalla, cùm penitùs fixa ſint ac corporea, & ſimplicitate ac tenuitate illa ſpirituum exuta, omni etiam agendi poteſtate deſtituta ſunt, nec niſi ad priſtinam ſpiritualitatem, hoc eſt, in primam ſuam materiam reuocentur, quicquam apertè operari & præſtare poſſunt.

Reliqua verò Metalla quatuor, hunc nondum perfectionis gradũ cõſecuta, puritatis videlicet, digeſtionis, decoctionis, ac fixationis, etſi ſenſu duriſſima eſſe videntur, ac ſolidiſſima; fixationẽ tamen nondũ attigerunt perfectam, vt quæ adhuc multo ſulphure impuro, aliiſq; id genus heterogeneis ſubſtantiis, ſpiritib. nempè arſenicalibus ac antimonialibus ſcateant: exiguamque admodum mercurialium ſpirituum, eorumque adhuc nimium impurorum porticnẽ poſſideant. Quo fit vt eorum quædam ignis examen non ſuſtineant, ſed illius vi in cineres & vitrum faceſſant, neç poſſunt vsquam quauis arte in naturam metallicam redire: alia, vt aliis magis volatilia in fumum expirent. Quod omnibus notiſſimum eſt, non tantùm Philoſophis, qui in inueſtigatione & exercitatione eiuſmodi operationum naturam metallorum contemplati ſunt: ſed cuiuis etiam mechanico artifici, vel mediocriter in his exercitato, quales ſunt aurifabri, argentariæ & numulariæ artis profeſſores, qui norunt cum ſuis cupellis eiuſmodi metalla in fumos diſperdere, quod Philoſophi variis aliis modis ac inſtrumentis efficere poſſunt.

Ex eiuſmodi autem metallis, volatilibus ſpiritibus præditis, purganda admirandarum operationum edu-

cuntur, idq; iuxta ſpirituum in ſingulis exuperantium ac dominantium naturam. Ex ſpiritibus ſeu floribus Iouis & Saturni, per ſublimationem elicitis, purgantia concinnantur, quæ & deiectionibus & vomitu, ſudoribus ac vrinis, variiſque id genus modis functiones miras obeunt: quæ inter mediocria, ac minùs damnoſa aut noxia cenſeri poſſunt, etſi à natura metallica deriuentur. Ex ferro & ære egregia cathartica educi poſſunt, veteribus non incognita.

Vt à metallis ad ſemiminetalia & ſuccos metallicos tranſeamus, infinita ex illis depromuntur etiam purgantia, prout ſpiritibus eiuſmodi vigent. Sic ex vitriolo, nitro, ſale gemmæ; ſale armoniaco, calchitide myſi, lapide Lazuli, lapide Armenio, compluribuſque aliis & mediocria & violenta ſolutiua eiici poſſunt.

Vt autem oſtendamus, omnem purgandi poteſtatem ac effectum, qui mercurio, arſenico, & antimonio, tribus illis metallicis ſpiritibus ineſt, quaque virtute partim etiam quatuor illa imperfecta metalla, nec non omnia ſalium, ſuccorum, aliarumque ſubſtantiarum metallicarum, genera fruuntur, ex huiuſmodi ſpiritibus præcipuè proficiſci, hinc liquet, quòd mercurius fixus, & nulla ratione à calore noſtro mobilis, ac ſpiritibus noſtris ſociabilis & communicabilis, nullam purgandi vim habeat, hoc eſt, vel deiiciendi, vel vomitum prouocandi: at ſudoribus & vrinis potiùs proliciendis ſit idoneus. At quatenus volatilis fuerit, ob miram ipſius, vt ita loquar, ſpiritualitatem ac ſubtilitatem, ſummum fit corporis mundificatiuum, partes illius & membra omnia, vt iam diximus, permeans ac penetrans. Sic vitrum antimonii, quatenus ſpiritus habet fumoſos & volatiles, non fixos, qui tùm in eademmet fuſione, tùm ex alba quadam illius exhalatione, dum fuſum marmori inditur, ſeſe produnt, vehementem

mentem quoque purgandi vim obtinet. Cuius fuſio & liquatio ſi toties repetatur, & tandiu, dum nulla amplius albedo ab eo exhalet, tūc omni purgandi vi prorſus deſtitui neceſſe eſt. Cui etiam purgatrix virtus penitùs deperit, ſi vitrum iſtud in alchool tenuiſſimum redditum ſoli ardenti exponatur, cuius calore tenuiores eius ſpiritus euaneſcant, & expirent, aut abſumantur. Tunc enim ſoluentis medicamenti loco Anodynum fit præſtantiſſimum.

Atque vt inuictis argumentis demonſtremus, in ſolis illis ſpiritibus volatilibus poſitam eſſe omnem purgandi facultatem, illisque ſolis acceptam eſſe ferendam, certum eſt ex antimonio & plumbo fieri poſſe vitrum, aliasque præparationes, tùm ex illis, tùm ex aliis metallicis rebus: ſiue ex illis flores ſublimatione efferantur, ſiue calcinatione cùm nitro crocus proliciatur: quæ ſi contrita in puluerē, aqua aut vino aliquot horas ad decem vel duodecim granorū pondus, aut amplius etiam, diluantur, effuſa poſtea aqua per inclinationem, & ſeparata à puluere, propinanda exhibeatur, admirandam inde purgationem conſequuturam, etſi de librato pondere pulueris ſiccati, nihil detractū ſit, quòd ſoli ſpiritus, qui nihil ponderis addunt corpori, in infuſione relicti ſint, vnde naſcitur ſumma illa purgandi vis, non imminuto etiam eius pondere à ſpirituum exhalatione. Qui quidem puluis multoties poteſt in aquam aut vinum infundi, in quibus deponat ſuos ſpiritus purgantes, idque ſi vel centies etiam id fiat, dum prorſus euacuati ſint ſpiritus, nihil tamen ſiccatus puluis de pondere ſuo quicquam deperdat: at vis purgandi illi perit, ſi prorſus ſpiritus exhauſti fuerint. Vidi ego hiſce oculis annulum ex vitro plumbeo infuſum, perpetuum fuiſſe quibusdam medicamentum ſolutiuum, quoties corpus purgare vellent: ſic aliis regu-

lumantimonii, globuli aut pilulæ vnius formæ vulgaris magnitudine, deglutitum, poſteà redditum per aluū, deinde optimè lotum ac mundatum, deuuò ventriculo ingeſtum, ſicque identidem lotum ac deglutitum, centies, quùm opus eſſet purgatione corporis, medicamenti ſolutiui vices præſtitiſſe, vt nec annulus nec regulus vllum ponderis ſui momentum deponerent. Hinc facilè colligere eſt, vim purgatricem deliteſcere in quibuſdam ſpiritibus, qui ea proprietate dotati ſunt, quemadmodum aliis ineſt vis & poteſtas alterandi vel alendi, & in ſubſtantiam noſtram tranſeundi. Cuius rei maior ſit fides ex docti atque experti artificis induſtria, qui vel confeſtim & vno momento poteſt adhibito quodam naturæ igni, vel abſumente vel fixante, mercurii & antimonii ſpiritus nimium acutos ac penetrantes coërcere, vim omnem purgandi illis detrahere, & de illis remedia aptare, quæ ſudorib. blandis ac lenib. tranſpiratione inſēſili, cōſumptione ſuperuacaneorū corporis noſtri humorū, nec non impuritatumomniū abſterſione potiùs, quàm violēta aliqua & aperta vacuatione cum corporis perturbatione, integram valetudinē reſtituant.

Quemadmodum autem vegetatiuum, mediæ, vt iam diximus, inter animale & minerale naturæ, hac participationis vtriuſque natura cōuertitur in ſenſitiuum, ſicuti ex pane videmus & vino ſanguinem progigni: ex ſanguine ſperma, & ex ſpermate hominē naſci; ſic minerale (ex generali illo rerum omniū inter ſe cōſenſu) tranſit in vegetatiuum: vegetabilibus videlicet per radices mineralium ſpiritus eſſentiales, metallicoſque exugentibus, quibus tota terra referta eſt, vt videre eſt ex tot mineris ferreis præſertim, tantaque lapidum & ſaxorum varii generis copia, quibus abundat & ex ſe producit, quæ nihil quàm metallicæ ſubſtantiæ ſunt.

At licet ſimplicia vegetantia, cum ſubſtantiis metal-

licis ſpiritus illos mercuriales, antimoniales & arſenicales naturæ purgantis hauriant, vnde purgantia medicamenta dicuntur, quòd felleo quodã amarore, ex ſpiritibus ſalis nitroſi, terreſtris & metallici, per radices in anatomiam vegetabilium ingreſſis, ſcateant: Non vsquequaque tamen violentum illum ac periculoſum ſpiritum habent, qualis in prima ſua minera & origine, vt pote indigeſtus & crudus tota natura eſt. Deponit enim virus in vegetabili varia illius coctione ac digeſtione, puriorque redditur, vt præter purgandi vim & effectum nihil retineat incommodi, niſi fortè immoderatiùs, & maiore quàm par eſt doſi exhibeatur. Alia autem aliis magis purgantia ſunt, in quibus videlicet maior eſt mercurialium ſpirituum copia: qui tamen naturæ noſtræ nullam vim inferunt. Si tamen quoddam vegetabile arſenicalem ſpiritum in ſe habeat, licet non æque pernicioſum, ac in ipſo arſenico, quod concoctione mitius redditum ſit; non caret tamen violentia & pernicie arſenicalis veneni, quales ſunt Napelli, Aconita, & inter lacrymas euphorbium.

Si antimoniali ſpiritu imbutum ſit vegetabile, aut vbicumque cum alio ſpiritu coniunctus ſit antimonalis & vomitus & ſeceſſus violentos inducet; qualia ſunt hellebororum & titymalorum genera, atque id genus alia; nec pro ratione ſpiritus violenti, quem in ſe incluſum habet vegetabile, commotionis & perturbationis eſt expers. Hinc videre eſt etiam eiuſmodi ſimplicia vehementis euacuationis, in montibus potiùs & ſaxoſis locis aut inter rupes, vbi natiua ſedes eſt metallicorum ſpirituum, quàm in pingui & fertili ſolo luxuriare. Quæ vt mitiora & correctiora reddantur, ac ſylueſtrẽ illam ſuam naturam exuant, in domeſticos hortos traducendæ ſunt, & tranſplantandæ. Aliam enim naturam & benignius nutrimentum, quo temperantur, inde

quod tamen nolim vbique & ſemper illi concedere, cùm poſſim, quoties libuerit, ex metallicis ſubſtantiis, ex vegetabilibus etiam diſtillatis, panis & vini interceſſione, præclara ſolutiua, ac ſpecifica optima extrahere ac diſtillatione ſeparare (quod vt dictum ſic factum iri credi velim) argutus iſte Diſputator à diſtillationibus tranſilit ad extracta. Quæ vt improbet ac reſpuat, ſic ratiocinatur: *Extracta verò ſunt calidiora, quàm vt conueniant febrientibus. Non eſt tamen acutus morbus ſine febre. Verè enim cathartica, eò quòd ſint calida, ſolent à nobis aliquo refrigerante temperari. Rheum, exempli gratia, quia calidum, ſiccum, hepatis calidioris mors eſt, niſi refrigerantibus temperetur. Vos tamen paratis illius extractum cum aqua vitæ. Ergo &c.*

Hæc ſunt Doctoris verba apprimè cohærẽtia, quàm bellæ Doctoris noſtri ſc. rationes ad explodendum extractionum à febribus vſum, quòd calidæ ſint. Iam pridem hanc, vt & alias quas proponit obiectiones Anonymus, diluimus ac confutauimus in libro noſtro de ſpag. præpar. cap. de cauſis & ratione ſpagyricæ præparationis ſimpl. purgantium in hæc verba: *Quamuis caryophylla, Zinziber & multa calida purgãtibus immiſceantur: tamen ipſis etiam febrientibus tutò exhiberi poſſunt, non quòd febris gratia feruidæ qualitatis medicamentum porrigatur: ſed quòd hinc vtilitas maior ſubſequatur, in extirpandis humoribus febrem excitantibus. Vtilitas enim* (inquit Gal.) *maior erit, moleſto humore detracto, quàm nocumentum ipſum ex purgantibus neceſſariò corpori illatum. Quod fiet adhuc commodiùs, ſi, quicquid lædebat, id ſine moleſtia detractum fuerit medicamentis præparatis & correctis.*

Diximus ſuprà in pleuritico morbo, ab Hippocrate helleborum & peplum medicamenta, ſi quæ ſunt, calidiſſima ac violentiſſima, delectu ipſo, non ignorantia temperatiorũ & minùs calidorũ, fuiſſe prę aliis vſurpata

& ad-

& adminiſtrata. Nec non attulimus laudes, ac commendationem Hieræ Pacchii, in doloribus laterum, etiam cum febre præſentiſſimi remedii: etſi eam colocynthis & calidiſſima gummi ingrediantur. Meſue, aliique Medici omnes rhabarbarum atque aloën hepatis animam eſſe volunt, Anonymus verò docet rhabarbarum, quatenus calidum & ſiccum eſt, hepatum eſſe deleterium & mortem: quæ tamen vtplurimum qualitatem illam calidiorem, ex obſtructionibus ea infarcientibus, contrahunt, quas vt ad ſanitatem iecur reuocetur, expediri & detergi congruis remediis neceſſe eſt. Cui rei mediocris rhabarbari calor magnoperè vſui eſt. Quod quidem rhabarbarum tantum abeſt, vt Meſue aliique, aliqua frigidorum ſimplicium mixtione corrigant & temperent, vt vult noſter Anonymus, vt contrà de eo medicamento ſic ſcribat Meſue: *Non prætermittatur*, inquit, *quin cadat in ſocietatem ſuam ſpica. Eſt enim proprii iuuamenti cum ipſo: Neque prætereant Medici additionem vini albi, odoriferi & clari in infuſionibus eius.* Et cap. de Aloë: *Acquirimus*, inquit, *ei citam & facilem operationem cum ſpeciebus Elephanginis, ſubtilibus & acumen habentibus, v. g. cum nuce muſchata, cinnamomo, cubebis, cal.aromat. &c.* Et cap. de Agarico: *Sal gemmæ cum agarico commiſcetur, vt ex eo trochiſci fiant.* Et ex Galeni ſententia, *fiant trochiſci ex eo, cũ vino infuſionis Zingiberis, in quo puluis ipſius ſæpè ſubmergatur, vt fiat operatio eius completa.* Et cap. de ſenna hæc ſcribit idem Meſue: *Eſt ſolutionis debilis & tarda, & ſtomachum debilitat:* verùm confortatur eius operatio, permiſcendo cum eo aliquid ex rebus acutis, ſicut Zingiber propriè & ſal gemmæ, & ſal Indum, quæ facilitant opus eius, & fiunt Medicinæ bonæ.

At videre etiam licet, quàm ſolliciti erant antiqui in acuenda & accelcranda virtute purgatrice rhabarbari, alio-

aliorumque purgantium medicamentorum, idque calidis admodum ſtimulis : quibus tamen Anonymus, tàm magnus Græcorum & Arabum doctrinæ ſectator ac diſcipulus, prorſus reluctatur, eorumq; methodum impugnat. Sed quorſum ita illis refragatur, niſi vt iſtis ſuis ſtrophis extractiones chymicas conuellat, quas alioqui non damnet, niſi calidioris exceſſus illas inſimulet, quòd vini ſpiritu calido perfectæ calidiores euadant, quàm benigno medicamento æquum ſit: Vnde noxium potiùs medicamentum, quàm ſalubre inſurgat: Calida enim ſatis per ſe eſſe medicamenta purgantia indicat, quæ adiecto calore in venena faciIè transeant, vſque adeò peritus eſt rei medicæ ratiocinator & artifex. Sed plurimùm fallitur, qui non ſatis nouit, quò magis medicamentum digeſtionibus & purificationibus crebris attenuatur, eò propiùs ad ætheream ſubſtantiam accedere, quæ, teſtibus omnibus Philoſophis, temperatiſſimæ naturæ eſt, & ſummæ bonitatis ac efficaciæ. Hinc fit, vt dum calorem noſtrarum extractionum damnat, Doctorũ ſuorum ſimul inſcitiam incautus arguat ac reprehendat.

In hoc etiam nobis imponit, quod extractiones noſtras ſola aqua vitæ parari dicat. Maxima enim illarum pars aqua lactis ſtillatitia præparatur: nec non ſero ipſius, aut etiam ſimplicium refrigerantium diſtillatis liquoribus, vt aquis cichorii, endi. bugloſs. roſ. & id genus aliis. Cuius rei fidem ſatis certã illi feciſſent exempla multa extractionum in noſtro libro paſſim explicatarum propoſita. Sed hoc indicat, ſe parùm meditatum ad nos confutandos acceſſiſſe, ſibique impugnandum quoddam ſimulacrum (non librum noſtrum) φανταστικῶς ſuſcepiſſe.

Apertiùs etiam hinc patefacit, ſibi librum meum eſſe incognitũ, alioqui, ſi vel tantillum illius euoluiſſet,

non

non vſque adeò excanduiſſet in nos, tanquam nil niſi cauſticas & igneas extractiones moliētes. Vidiſſet enim variis in locis, Aloës extractionem non igneis aquis & diſtillationibus feruentibus, ſed aquis endiuiæ (conſenſu ipſius, frigidis) idque in balneo Maris mediocriter calente, vt artis eſt, præparari. Siquidem puriſſima tantum aloës ſubſtantia in eiuſmodi aquis, (hoc balnei calore) rubicūdiſſimi coloris, rubini inſtar, ſoluitur: à qua ſi per diſtillationem aut euaporationem aquam lentè igne exhalent, reſtabit mellis aut mollioris opiatę conſiſtētia rubicundiſſima, & pellucida aloes eſſentia vera. Quòd verò ab aqua extractū non fuerit, aut ſolutum, arena aut mortua terra, vt vocant, ipſius aloes futura eſt, hoc eſt, fæx nullius vſus aut effectus. Atque hoc extractum & præparatio aloes longè maioris eſt vtilitatis, quàm vulgares & quotidianæ illius ablutiones, quib. quod tenuius eſt, ſubtilius atq; ſpirituoſius, vt ita dicam, ſecernitur ac abiicitur. Si cum noſtro aloes extracto, medicamēti bazim ſuſtinente, rhab. & ſennæ extractiones, iiſdem aquis endiuiæ abſolutæ commiſceātur, idq; cum ſyrupis, nullo ſaccaro conditis, ſed ex ſuccis ſuo tempore collectis, & perfectè purificatis ac mundatis Maris balnei calore, ſuccis, inquam, florum violariæ, perſicæ arboris, cichorii, bugloſi, roſarum pallidarum, & ſimilium. Inde fiet catholicum adiecto mirrhæ, & macticis ad corpus formandum, aut cremoris etiam tartari, modico, quod verum panchymagogum futurum eſt, cuius ſcrupulus ad ſummum ſufficientem vacuationē molietur: cùm alioqui duæ drachmæ ipſius aloes ſubſtantiæ crudæ aut non ita paratæ, aut catholici vulgaris ad purgandum vncia vna deſideretur, vixque ſatis ſit. Cuius tamen catholici vulgaris, vt & aliorum omnium communium purgantium, tùm compoſitorum, tùm ſimplicium, ingenioſus chymicus extracta

poteſt

poteſt educere, quorũ drachmæ pro ſingulis vnciis crudioris compoſitionis exhibitæ ſatis fuerint.

Tantum igitur abeſt, vt extracta & operationes chymicæ, damnari aut floccifieri debeant, cum ſummis cõtrà laudibus efferri dignæ ſint, & quibus cognoſcendis ac conficiendis, ſummè ex vſu eſt, vt incumbatur. Præter ornamentum enim, quod dogmaticæ Medicinæ, eiusq; præparationib. adiiciunt, ſexcenta etiam præſtantiſſima remedia, nouis iisq; vtiliſſimis præparationib. elaborata, conferunt, quæ tamen nouam artem non conſtituunt. An ſcilicet tot elegantibus agricultura cultibus & nouis inuentis, quibus decoratur ac augetur, idcirco noua conſtitui dicetur? Suis antiqui inuentis & ſtudiis eam ornarunt: Habuerunt & recentiores quibus eam cultiorem & ornatiorem redderent. Suis glandibus & caſtaneis excultis delectati ſunt antiqui. At qui ariſtæ, & tritici inuentionem, ſationem, & congruũ cultum excogitarunt, num ſunt reprehenſione digni, an ſumis laudib. potius extollendi? Faceſſat igitur Anonymus iſte, qui ſuorum errorum iter deſerere, ac rectioris viæ ingreſſum ſibi demonſtrari pati non poteſt.

Si quid vtiq; eſt in tota Medicina laude & commendatione dignum: inuentio certè nouorum remediorum, iucunditatem ac ſuauitatem ægris citra vllum tædium præbentium, præferenda: quorum etiam quàm minima ſit doſis, vtpote cum maior copia ægris ſit tædioſa & faſtidii plena: attamen quæ officio purgandi defungatur, nõ ſecus ac ſi maiore doſi exhibeatur. Huiusmodi Medicinæ naturam & elegantes qualitates iam pridem eodem libri noſtri de Spag. præpar. à nobis citato cap. in extractis poſitas eſſe diximus: aut eſſentiis à corporibus medicamentorum purgantiũ eductis. Quo eſſentiarũ nomine hic nõ ſunt audiendæ aquæ, aut ſtillatitia olea: at ne ipſe quidẽ crudæ & citra præparationem

nem medicamentorum ſubſtantiæ, imò potiùs κατά τι quàm ἁπλῶς eſſentię nomen intelligendũ eſt, ſcilicet pro re illa aut parte rei, in qua vis potior hæreat, vt quę ſit à terreſtriori fæce depurata, craſſiſque ac materiatis partibus, quæ quantitatis & corporeæ molis potiùs quàm ſubſtantiæ veræ complementum dant.

Extractiones igitur noſtræ in eam tenuitatem & puritatem adductæ, promptiùs propriam exercent actionem, quàm quæ craſſiora ac impura ſunt, ipſomet Galeno multis in locis teſte. Addo, in prædicto meo libro quæ in illos attuli, qui extractorum vſum improbant, quæque in Anonymum noſtrum retorqueri poſſunt, in hæc verba; Item quùm idem dicat Galenus, *cap.2.l.2.ſimpl Ea quæ paruam ſortita ſunt molem corporeã magis agere, quàm quæ magnam; laudanda eſt noſtra eſſentiarum extractio, qua tùm iſta omnia præſtantur, permanente tamen propria purgandi humoris facultate in medicamento, tùm quòd eò validius redditur medicamentũ, quo videlicet terra vel fæx inutilis ex ipſo ſeparatur, & admiſtis ſuis propriis menſtruis & correctiuis, qualitas omnis maligna adimitur*, Quod etiam præſtandum præcipit Gal. *lib. quo purgare docet cap. 8.* quùm admiſcenda refert ea ſemina medicamentis, quæ malignitatem ipſorum retundant, opus eorum non impediant, quæque attenuare & incidere valeant, & quæ craſſos humores ſecare, ac vias per quas educi debent, patefacere poſſint. Quæ omnia debitè fieri ex noſtris præparationibus & extractis docti omnes iudicabunt.

Ceterùm Anonymus noſter, vt oſtendat eiuſmodi extractiones & ſeparationes tenuiorum partium à craſſioribus & materiatis violentiorum purgantium, non eſſe neceſſarias, fortè citabit locum Actuarii à Paulo lib.7. confirmatum, vbi illis Actuarius, qui ventriculo imbecilliori afficiuntur, grana lathyridis xv. vel xx. adſum-

ſummum, integra deglutienda præſcribit, eaque docet, etiamſi minimè terantur, minimeque in corpus permeent, multùm tamen purgare: Sed iſte locus ſententiam noſtram potiùs aſſerit & confirmat, quàm infringit, & oppugnat. Ex eo enim conſtat, in tenuiori & ſubtiliori ſubſtantia vim purgatricem eſſe poſitam, eamque eò maiorem eſſe, quò a craſſitie corporis remotior fuerit. Vno & eodem conſenſu omnes idem Medici affirmant, quùm, quando maiore opus erit purgatione, mandi ipſa grana præcipiunt. Nolim egò ſanè eiuſmodi attenuatione, aut in puluerem comminutione rerum tàm acrium ac corrodentium vti, cuiuſmodi lathyris eſt, vt quæ proximè vires eſulæ æmuletur, iuxta Galenum. Leuiores ſunt & parùm vtiles iſtæ præparationes medicamentorum huiuſmodi, à quibus veri Chymici nôrunt puriorem ſubſtantiam cum ſero lactis extrahere, quod poſtea in electuarii aut opiatæ mollis formam, aut etiam vſq; adeo duræ, vt in pilulas effingi poſſit, quæ vel per ſe, vel aliquo liquore congruo ſolutæ, citra vllam ſtomachi debilitatem aut offenſionem exhibeantur. Cui pulueres, quòd adhæreant, plus officere quàm prodeſſe poſſint. At ſi liceat medicamentum hoc corrigere, aptiore & congruentiore additamento emendari non poſſit, quàm ſero, aut aqua lactis vel alio liquore, quibus extractum longè faciliùs vnitur ac commiſcetur, quàm puluis pulueri: ſicque functiones extracta longè feliciùs obeunt, quò attenuantur magis aut diluuntur liquoribus. Idcircò ſcribebat Aegineta de Colocynthide verba faciens, quòd inter alia medicamenta vehementiſſimum eſt ſolutiuum. *Leuigetur*, inquit, *lib. 7. c. 4. accuratè, quin etiam aſperitates ipſius intraneis adhærentes vlcera concitant, & neruos conſortii lege afficiunt. Quin & Meſue, Pauli ac Auicennæ ſententiæ adhærens, ſic quoque ſcribebat: Longam*, inquit, *decoctionem ſuſtinet,*

ſtinet, & quæ vel mihi cum Serapionis filio, videtur contra filii Zezar ſententiam pulueriſanda tenuiſſimè, vt eius facultas malefica alia illi exquiſitè permixta plenius obtundatur, vt quæ viſcera celerius permeet, neque in ipſis ob partium minus tritarum craſſitiem ceſſet: qua fortaſſis fit, vt in viſceribus pura retineatur, vt ea vlceret, præſertim cùm ſenſu perceptibiles fuerint eius particulæ. Hinc quiuis ſanæ mentis homo inferat, attenuationem ac correctionem, & quæcunq; alia ad præparationem colocynthidis requiruntur, longè commodiùs & tutiùs diuturnis macerationibus ſeu infuſionibus ac digeſtionibus, in lacte vel ſero lactis, in aqua maluarum, ſucco cydoniorum aut pomorum redolentium, & id genus aliis diſtillatis prȩſtitum iri, quàm ſi ſeorſim aut in puluerem tantùm trita, vel integra dentibus mandatur.

At ne videar tantùm verba dare, aut iſtis, quæ adhuc leuia ſunt & exigua, totus immorari, longè exactiorem tradam, eamque chymicã Colocynthidis præparationem, ac nobiliorem, quam velim, noſter Anonymus, cum vniuerſa familia medica, (quam totis viribus augere, ornare ac locupletare contendo) audiat. Sic enim ex pernicioſo veneno ea in præſtantiſſimum tranſit medicamentum.

Accipe igitur pulpam Colocynthidis, quam in balneo maris per aliquot dies maceratam cum vno aut altero ſu periorum liquorum aut aquarum ſtillatitiarum, quæ in correctionem illius vſui ſunt, fortiter prælo exprime. Expreſſio in matratium iniiciatur, ſeorſimq; reſeruetur ac fæci inſidenti illius recentes aquȩ aut liquores ſuperfundantur, iſtaq; rurſum digerẽda balneo maris reddantur, & digeſta denuò exprimantur. Poſtea expreſſiones ambæ iungundæ ſunt, vt in leni m. balneo omnia ſimul concoquantur ac digerantur: dum appareat hypoſtaſis in fundo vaſis aut fæcum à liquore pu-

tiore

riore ſeparatio: liquor purus per inclinationem à fæcibus ſeparetur, ac denuò in balneô tàm diu digeratur, & à fæce ſeparetur, dum puriſſimus reddatur, quod cognoſcetur, ſi nullas ampliùs fæces deponat. Eiusmodi concoctionibus & digeſtionibus ad imitationem naturæ elaboratis, tandem elicitur liquor, rubini inſtar rubicundiſſimus & ſplendidiſſimus, qui ingratum ferè omnem iſtum amarorem colocynthidis, noxiamque ſubſtantiam ac faſtidioſam exuerit. Proprium enim eſt digeſtionis munus, ſucceſſu temporis tùm rubefacere, tùm edulcorare ſubſtantias rerum omnium. Poſtremò liquor à reliqua materiâ, lento Bal. calore per alembicum extilletur: reſtabit in imo vaſe mellita quædam conſiſtentia, quod extractum eſt puriſſimæ colocynthidis ſubſtantiæ magnæ virtutis, ac præſtantiſſimæ innoxięque purgationis. Eiusmodi labore ac induſtria, ex quouis alio medicamento extracta fieri poſſunt & debent: quorum ſingulorum ſingulares ſunt & proprię virtutes ac operationes, ſingulariaq; ac ſibi congruentia menſtrua poſtulant, quibus elaborentur & vires ac proprietates ſuas conſeruent. Si tamen viridium ſimpliciũ, vt hellebori nigri, eſulæ minoris & aliorũ ſit copia, ex illis diſtillabitur aqua, quæ capiti mortuo (in imo vaſis relicto) ſuperfundi debet, vt mediatè proprio liquore tinctura ac eſſentia præcipua proliciatur, ſemper purũ ab impuro crebris digeſtionibus, ac repetitis concoctionibus ſeparando & tandem liquorẽ prædictũ diſtillando dum mellis cõſiſtentia aut opiatę in fundo reſideat, vt iam diximus. Huius extracti aut liquoris ſcrupulus, aut dimidia drachma, vel ſeorſim, vel diluta ſuâ propria aqua diſtillata, potens eſt & maximè innoxium ſolutiuũ. Cuius tamen medicamenti, ſi purgantes vires augere velimus, licebit relictas fæces poſt primam & alteram expreſſionem in cineres redigere, ex

iiſque ſalem extrahere cum proprio liquore: qui liquor ſuo ſale imbutus cum extracto coniungi debet, ac tandem per diſtillationem liquor ſeparabitur, & cum extracto ſal commiſcebitur, redderurque longè potentius pharmacum, & minore doſi exhiberi poterit.

Atque hę ſunt veræ Chymicorum extractiones: quarum ſpero quinquaginta aut plures etiam elegantes ac ſpecificas præparationes ac compoſitiones, in Pharmacopæa noſtra omnibus deſcripturum, quæ ſuis correctoriis & adminiſtrationis modo ac vſu non ſint cariturae. Ac confido, ab omnibus doctis probatum & laudatum iri laborem ac induſtriam noſtram, licet ignari & apeirici quidam, inuidia, etiam cum ignorantia ducti, reſpuant ac explodant. Sic ſolet elegantes ac pretioſas margaritas ſuillum genus, præ putrido pomo, aut ſtercore etiam reiicere, proculcare, ac præferre.

Præterea cùm dicit operationes noſtras longas ac moleſtas, nec non, niſi magnis impenſis perfici: non minùs hac in re, quàm ſuis aliis argutiolis hallucinatur. Neque enim laboris diuturnitas, nec pretii magnitudo deprecanda ſunt, vbi de corporis humani ſanitate agitur, ad cuius conſeruationem & deperditæ reſtitutionem omnes nerui ſunt intendendi. Quę etiam remedia ab iis, qui valent opibus, nullo non pretio diuendantur, & in pauperes charitatis Chriſtianæ gratia diſtribui & erogari oporteat. Addo præterea etiam tàm parua doſi extractiones, ob immenſam earum virtutem, ad generalem etiam & vniuerſalem vacuationem adminiſtrari, vt de iis, quod ſit ſatis, dimidio aureo emi poſſit: cùm tamen tædioſæ aut plerunque etiam noxiæ (ſi vehementiùs agant) illorum Medicinæ, aut inutiles, ſi leuiores ſunt, non niſi duplo aut triplo etiam veneant ac comparentur. Quod res ipſa in pharmacopæa docebit, vbi remediorum noſtrorum doſis non pluris

quàm

quàm decem aſſibus,aut minus etiã emi debeat. Quem laborem & induſtriam libenter in pauperum gratiam explicamus, vnde etiam Pharmacopæi diſcant in omnes eſſe benefici & liberales,nec cariùs,quàm par eſt, ſua,quæ vili pretio comparaturi ſunt, remedia diuendere. Etſi autem ſcio non omnibus gratum fore opus noſtrum:quid tùm, modò bono publico conſulam,eique proſim, cùm ſit illius vtilitas nonnullorum auaritiæ omnibus modis præferenda?Hic etiam parùm moror calumniatorum conuitia & maledicta, modò proximi mei, cuius vtilitati & commodo deuinctus ſum, ſalutem ac commoda promoueam, in quem ſcopum etiam collimo, omnia mea,quæ temporis diuturnitate, multiſque vigiliis ac ſudoribus à Deo conſecutus ſum benignè,ac facili methodo impertiens.

Hinc Anonymus videat,quàm falſa ſit eius argumentatio,cùm ex diuturnitate operationis, remedii caritate nimia, laboriſque tædio ac difficultate, inferre vult, noſtra extracta explodenda prorſus eſſe,& propter inanem illorum virtutem abiicienda: vbi ſatis mirari non poſſum hominis iudicium, quo præfert eccoprotica ſua noſtris extractis, & exilia ſua medicamenta, quæ tamen nos non damnamus, imò in vſum interdum reuocamus, in leuioribus morbis, interdum etiam grauioribus, vti dyſentericis rheum exhibemus. Ferre tamen non poſſumus eos, qui iſta tot purgantium ſpecificorum,ac celebrium compoſitionum generibus,quæ nobis vt ditiſſimos theſauros reliquit Antiquitas,præferenda eſſe cenſent. Quæque ego quidem non duxerim ex mea Pharmacopæa excludenda: quin potiùs vt pretioſa admittere voluerim, eaque prout iudicaui opportunum & vtile noſtris additionibus exornare, ac illuſtrare contenderim. Quæ præſtiterim,ex conſiliis noſtris diſcere poteſt Anonymus,& vt in Pharmacopęa

 noſtra,

noſtra, quàm elegantia & ſpecifica remedia præter eius ſimplicia eccoprotica, in grauiſſimos quoſque morbos tradiderim, quales ſunt ſyrupi noſtri hellebotati varij ad epilepſiam, maniam melanchol. ſyrupus de pæto, ad rheumata & aſthmata: ſyrupus de Centaurio minore ad febres, præcipuè tertianas: extractum eſulæ minoris, extractum iridis ad hydropes: extractum bryoniæ fæcula Brion. ad eoſdem morbos, nec non purgationem matricis ſpecificam, atque id genus alia, cognitu ac ſcitu à veris quibusque Medicis perquam neceſſaria, qui ſolummodo eccoproticis ſuis, quibus noſter acquieſcit Anonymus, medicamentis non adhærent.

Fateor longiorem fuiſſe de purgatione, ac Chymicorum remediorum, cum vulgaribus, comparatione, quàm Anonymus noſter voluiſſet, orationem meam. In qua ſi breuior fuiſſem, vtique & obſcurior. Vtvt ſit, non iis, qui breuitati ſtudent, nec aliis, qui orationis prolixitate delectantur, placere, ſed publicæ vtilitati inſeruire animus fuit. Attamen ſi in hac prima parte, vbi generatim, quæ propoſita fuerunt ab Anonymo, examina excuſſi, profuſior fui; Alteram huius libelli noſtri partem breuiorem contrahemus, vbi licebit citra verborum copiam ſigillatim omnia conciſè explicare. Quò antequam perueniamus, minutatim alter remediorum ordo, qui de alterantibus eſt, ab Anonymo noſtro propoſitus, paucis venit nobis expediendus.

CAP. X.

Vbi facultatum diſtinctiones explicantur: rerumq́ue proprietates non elementari materia, aut nudis qualitatibus, ſed eſſentia & forma adſcribuntur: nec non cõtradicentium argumenta etiam ex veterum Philoſophorum ſententia diluuntur.

DVM

DVM Anonymus noſter confinxit, à nobis veriſq; aliis Medicis, tum dogmaticis, tum chymicis, in purgatione ſola vſurpari præcipitatum & antimonium, quorum loco longè meliora doceat, vtpote leuia ſua eccoprotica: putauit certaminis victoriam ſibi ſecurè eſſe partam, nec ea cauſa poſſe excidere. At ſi doctis ac eruditis eorum, quos citauimus, ſcriptis legendis, ac reſponſioni in ſuam Apologiam attentus fuerit, quàm tota aberret via, facilè percipiet: hocq; in negotio, non ſecus ac omni alio therapeutices documento, à Chymia, chymicisq; Philoſophis indies ornamenta, auctiones & perquàm vtiles ſcholæ medicæ inuentiones conferri intelliget. Dum tamen talia de ſe putat, hoc eſt, penes ſe inclinaſſe victoriam credit, ac iſta gloria tumeſcit, en in quæ verba prorumpat? *Age verò, inquit, à purgantib. ad alterantia pergamus. Illa conferunt morbis depellendis, manifeſta, aut pr ma qualitate manifeſtà, vt prima & ſecunda: Occulta vt vi & proprietate ſpecifica. Nos morbis calidis, vt intẽperiei calidæ, inflammationi, eryſipelati, medemur refrigerantium vſu, quæ noſtro modo præparamus, malumusq; vti ſuccis aut decoctis, quando herbæ ſuppetunt, quàm aquis ſtillatitiis.* Hæc in ſumma eſt Anonymi noſtri de his, quæ alterantia ſunt, ratiocinatio, qui ſolis qualitatibus caloris & frigoris vim ac proprietatem efficacem calefaciendi ac refrigerandi, materialiter non formaliter, vt loquitur. Idem de ſecundis dicit qualitatibus, ſiue indurandum ſiue emolliendum eſt. Denique qualis in ore eſt, talem in pectore eſſe, hoc eſt, qualia profatur, talia operari certò concludẽdum eſt, vt ſit nimirum & multùm materialis, & parùm formalis,

Hoc caput vtriq; attentum examen & exactam meditationem poſtulat. Ex eo enim conſtabit, quò rerum omniũ proprietates ac facultates reuocandæ ſint. Cuius rei tractatio ac inueſtigatio præ aliis medicinæ capiti-

noſtra, quàm elegantia & ſpecifica remedia præter eius ſimplicia eccoprotica,in grauiſſimos quoſque morbos tradiderim, quales ſunt ſyrupi noſtri helleborati varij ad epilepſiam,maniam melanchol.ſyrupus de pæto, ad rheumata & aſthmata : ſyrupus de Centaurio minore ad febres, præcipuè tertianas : extractum eſulæ minoris, extractum iridis ad hydropes: extractum bryoniæ fæcula Brion.ad eoſdem morbos,nec non purgationem matricis ſpecificam , atque id genus alia, cognitu ac ſcitu à veris quibuſque Medicis perquam neceſſaria, qui ſolummodo eccoproticis ſuis,quibus noſter acquieſcit Anonymus, medicamentis non adhærent.

Fateor longiorem fuiſſe de purgatione, ac Chymicorum remediorum, cum vulgaribus, comparatione, quàm Anonymus noſter voluiſſet, orationem meam. In qua ſi breuior fuiſſem,vtique & obſcurior. Vtvt ſit, non iis, qui breuitati ſtudent, nec aliis,qui orationis prolixitate delectantur,placere,ſed publicæ vtilitati inſeruire animus fuit. Attamen ſi in hac prima parte, vbi generatim, quæ propoſita fuerunt ab Anonymo, examina excuſſi , profuſior fui; Alteram huius libelli noſtri partem breuiorem contrahemus, vbi licebit citra verborum copiam ſigillatim omnia conciſè explicare. Quò antequam perueniamus, minutatim alter remediorum ordo, qui de alterantibus eſt, ab Anonymo noſtro propoſitus, paucis venit nobis expediendus.

CAP. X.

Vbi facultatum diſtinctiones explicantur: rerumq; proprietates non elementari materia,aut nudis qualitatibus,ſed eſſentiæ & formæ adſcribuntur: nec non cõtradicentium argumenta etiam ex veterum Philoſophorum ſententia diluuntur.

DVM

DVM Anonymus noſter confinxit, à nobis veriſq; aliis Medicis, tum dogmaticis, tum chymicis, in purgatione ſola vſurpari præcipitatum & antimonium, quorum loco longè meliora doceat, vtpote leuia ſua eccoprotica: putauit certaminis victoriam ſibi ſecurè eſſe partam, nec ea cauſa poſſe excidere. At ſi doctis ac eruditis eorum, quos citauimus, ſcriptis legendis, ac reſponſioni in ſuam Apologiam attentus fuerit, quàm tota aberret via, facilè percipiet: hocq; in negotio, non ſecus ac omni alio therapeutices documento, à Chymia, chymicisq; Philoſophis indies ornamenta, auctiones & perquàm vtiles ſcholæ medicæ inuentiones conferri intelliget. Dum tamen talia de ſe putat, hoc eſt, penes ſe inclinaſſe victoriam credit, ac iſta gloria tumeſcit, en in quæ verba prorumpat? *Age verò*, inquit, *à purgantib. ad alterantia pergamus. Illa conferunt morbis depellendis, manifeſta, aut prima qualitate manifeſtâ, vt prima & ſecunda: Occulta vt vi & proprietate ſpecifica. Nos morbis calidis, vt intẽperiei calidæ, inflammationi, eryſipelati, medemur refrigerantium vſu, quæ noſtro modo præparamus, malumusq; vti ſuccis aut decoctis, quando herbæ ſuppetunt, quàm aquis ſtillatitiis.* Hæc in ſumma eſt Anonymi noſtri de his, quæ alterantia ſunt, ratiocinatio, qui ſolis qualitatibus caloris & frigoris vim ac proprietatem efficacem calefaciendi ac refrigerandi, materialiter non formaliter, vt loquitur. Idem de ſecundis dicit qualitatibus, ſiue indurandum ſiue emolliendum eſt. Denique qualis in ore eſt, talem in pectore eſſe, hoc eſt, qualia profatur, talia operari certò concludẽdum eſt, vt ſit nimirum & multùm materialis, & parùm formalis,

Hoc caput vtriq; attentum examen & exactam meditationem poſtulat. Ex eo enim conſtabit, quò rerum omniũ proprietates ac facultates reuocandæ ſint. Cuius rei tractatio ac inueſtigatio præ aliis medicinæ capiti-

bus, & elegans & maximè neceſſaria eſt.

Vt autem & faciliùs & meliùs intelligantur omnia, altiùs nobis res iſta repetenda eſt, variæq; Philoſophorum ac Medicorum in eas opiniones ſententiæ excutiendæ: meliores probandæ ac confirmandæ, deteriores verò & magis veritati aduerſantes repudiandæ, vbi noſtrum iudicium, quàm pauciſſimis fieri poterit verbis, apponemus.

Videre licet ex Anonymi noſtri ſcriptulo, eum omninò pendere à qualitatibus calidi & frigidi. Quæ quidem vſque adeò aures omnium perfudit, vt vel ipſæ mulierculæ, circulatores & agyrtæ, nullis aliis rationibus opera ſua fulciant & cõfirmẽt, quàm id genus qualitatibus. Sic enim citra diſcrimen omnes omnium rerum virtutes eò ab omnibus reuocantur, vt ſi quid noceat, nimia vel caliditate vel frigiditate lædere dicatur, ſeq; ſcopum attigiſſe rationum credunt, ſi in medicandis morbis, quos vel calidos vel frigidos autumant, calidis & frigidis, vt volunt, remediis vtantur & curẽt. Sed ex effectu & rei exitu ſatis patet, quanta iſthæc ſit hallucinatio, vt paulò poſt etiam fuſiùs docebimus.

Tenendum igitur nobis eſt, omnes qualitates, quæ ſubſtantiæ accidunt, quæque ſenſus afficiunt, ſenſibus ipſis apprehendi diuidiq; in primas & ſecundas. Primæ dicuntur illæ, quæ ex elementis ſimplicibus prodeunt: ſecundæ verò quæ ex eorum mixtione oriuntur. Complures dogmaticorũ Medicorum primis illis qualitatibus maiores, quàm par eſt, vires adſcribunt in domandis & profligandis morbis. Alii ne nimiam quidem vim illis tribuunt, ſed rerum quisquilias eſſe volunt. Tertii ordinis ſunt, qui aliquid virium quidem illis arrogant, præcipuam tamen facultatem rei ſubſtantiæ adiudicant, qui mihi magis probantur.

Quod ad ſecundas qualitates attinet, nonnullæ ſunt

huius

huius generis,quę dogmaticis tanquam inutiles & medicationi prorſus ineptæ ſunt,quales ſunt odores & colores: quos nos contrà, vt magnæ virtutis in medendo eſſe,& maximè vtiles ac neceſſarios affirmamus,vtpote qui ex mercuriis & ſulphuribus magnarū virium principiis emergunt. Quæ verò qualitates ſecundæ ſapores inducunt, cùm à variis ſalibus nimirum, amaris & abſtergentibus, acribus, incidentibus, attenuantibus, acerbis vel auſteris, ſalſis,exſiccantib.& id genus aliis,vt dulcib. ij proficiſcantur, ab omnib. Medicis agnoſcuntur, & in morborum curationem, vt magni momenti, ac virtutis,admittuntur.

Primæ qualitates vario nec eodem modo à Philoſophis & Medicis definiuntur. Siquidem Philoſophi, qui eas, vt in elementis exiſtentes,citra mixtionem conſiderant, duplicis generis illas conſtituunt, actiuas ſc.vt calidum & frigidum, & paſſiuas, humidum & ſiccum, Primæ in rebus naturalibus dicuntur agere, vt caloris proprium eſt diſſoluere, & frigidi congelare, & contrà. Secundæ pati dicuntur, vt humidum, quod alieno termino coërcetur.

Medici contrà,qui huiusmodi qualitates in mixto corpore ad medicamenta apto conſiderant, ex virtutibus & efficacia,qua pollent,eas definiunt, omnesq; actiuas pronuntiant,calidum illud vocantes,quod calorem poteſt inducere, frigidum quod refrigerat, humidum quod humectat,& ſiccum quod exſiccat, facultate & potentia, non ſenſu & actu,in quo fallitur Galenus, ac reprehenſione dignus ipſemet eſt, cùm lib. 1. de natur. facult. Ariſtotelem auſus eſt arguere, diffinientem humidum & ſiccum, perpeſſiones eſſe, non actiones. Neſciuit enim, vel noluit Galenus, vt decebat, quod homonymum erat,diſtinguere.

Harum autem efficientium vt actiuarum qualita-

tum Medici tres conſtituunt gradus: quorum primus eſt apertarum qualitatum, vt cùm calida medicamenta dicuntur calefacere re ipſa, & actu perceptibili: frigida verò manifeſtè frigefacere, ſenſuq; ipſo: hoc eſt, quando hęc medicamenta manifeſtis qualitatibus patientia corpora, calore nempè, frigore, humiditate & ſiccitate afficiunt.

Secundus eſt qualitatum gradus eorum, quæ non actu ſed potentia agere conſiderantur in corporibus, vt cum medicamenta facultate, quā habent, variè nos afficiunt, mouent, alterant aut immutant, vtpote attenuando, incidendo, incraſſando, detergēdo, &c. In quorum numerum referri ea poſſunt, quæ fæces excrementoſas & ſuperuacanea quæq; ex corpore per propria emunctoria deturbant, idq; vel ſudores prouocando, vel ad vomitum & ſeceſſum irritando, aut etiam menſtrua proliciendo. Quæ quidem medicamenta non abſtruſa proprietate operantur, ſed inſita poteſtate. Vnde Galenus ea ab illorum numero excluſit, quæ occultâ agunt proprietate, aut quorum cauſæ occultæ ſunt, lib. 6. de ſimp. medic. facult.

Tertio ordine & extremo in agmine locantur, quæ occulta proprietate aut formæ ſubſtantialis ſpecifica vi agunt: ſub quibus comprehenduntur, quæ certas corporis partes reſpiciunt, & eis propriè inſeruiunt, qualia ſunt cephalica capiti deſtinata, ſtomachica, hepatica, ſplenica, hyſterica, cardiaca, & alia id genus. Eodem etiam continentur ordine, tàm venenoſa medicamenta, quàm bezoardica & alexipharmaca: & quæcunq; ſpecifica propriū aliquem morbum intuentur, cui ſpeciatim medentur: qualia ſunt pæonia, viſcus quercinus, flores lilii conual. & tiliæ arboris, cranium humanum, & vngula Alcis, quæ epilepſiæ curandæ proprietate ſua à natura deſtinata ſunt: aut quæ certum humorem expurgant

purgant: ſic rhabarbarum dicitur cholagogum ſpecificum: agaricus phlegmagogus &c. Neq; hic omnia eiusmodi recenſere expedit, quorum catalogus longiore lectione futurus ſit tæ dioſus. Satis ſunt igitur, quæ hic à nobis propoſita ſunt exempla ſpecificæ quorundam virtutis & proprietatis.

Atque hi ſunt omnes medicamentorum ordines ac diſtinctiones, quę in corpus humanum functiones ſuas exerunt, & quæ qualitatibus agentibus diſcerni ſolent.

Cæterùm quæcunque inſunt rebus naturalibus, ſiue ſint propria πάθη, ſiue propria accidentia, cum aut formæ aut materiæ gratia inſint ex Ariſtotele: hinc nata eſt opinionum inter Philoſophos & Medicos diuerſitas.

At illorum omnium medicamentorum potentiæ, id eſt, quæ vim aliquam habent agendi in noſtra corpora, in triplici ſunt differētia. Quædam enim nos afficiunt ſecundum naturam, hoc eſt, iuxta certam analogiam & conſenſum, quem cum noſtra natura habent, quorum concordia & coniunctis in vnum copiis morbi citra detrimentum corporis depelluntur, vt ſunt varia alterantium & corroborantium genera, quę familiaria ſunt & amica naturæ noſtræ.

Quædam contra naturam nos afficiunt, & cauſa poſſunt eſſe morborum & mortis, vt deleteria ſuis venenis.

Quædam partim ſecundum naturam nos afficiunt, partim contra naturā, atq; ſeruant quoddam medium inter ea quæ iuuant & quæ nocent: qualia ſunt alexipharmaca & purgantia medicamenta. Mithridatium enim, vt & ipſa theriaca, & multa alia antidota alexipharmaca, ſalubria ſunt per accidens: quia excitando noſtros ſpiritus, ſiuę calorem noſtrum ſymphytum & natura-

naturalem, & irritando vim expultricem, corruptos ac peſtiferos humores, malignos vapores, halituſque perniciosſos in nobis latentes, ac vitæ noſtræ inſidiantes, tanquam domeſticos hoſtes, qui interitum noſtrum perpetuò moliuntur, à corpore noſtro detrudunt, ac prorſus manibus noſtris excludunt: idque vel ſudoribus vel diaphoreticis halitibus, aut perſpiratione inſenſili, vt vocant. Idem, ſed ſuo modo, de purgantibus medicamentis dicere poſſumus, quæ iuxta vim inſitam, qua pollent, domeſticum hoſtem noſtrum vel vomitu vel deiectione expellunt, vt ſuprà docuimus.

Eiuſmodi autem rerum naturalium proprietates ac virtutes, iuxta Philoſophorum ſententiam, promanant, vel à forma, vel à materia, aut etiam craſi & mixtione qualitatum elementarium. Hinc rurſum magna interPhiloſophos&Medicos tùm antiquiores tùm recẽtiores ſententiarum diſcordia nata eſt. Siquidem alii totamvim & proprietatem, qua pollent medicamenta ad morbos oppugnandos, formæ aut toti ſubſtantiæ agendi proprietatem tribuunt: alii altiùs originem earum facultatum, à cœlo nimirum ipſo, repetunt; quas potiùs occultas proprietates, quàm manifeſtas volunt. Alii non cœlo, ſed formæ ſubſtantiali arrogant: neque craſis vllam habent rationem, aut etiam qualitatum, quas nullius eſſe momenti iudicant: vimque illam abditam in medicamentis poſitam, mixtionem elementorum eſſe negant, ſed à quibuſdam ſpiritibus in abyſſis naturæ reconditis proficiſci pronunciant, in quibus quieſcant aliquandiu, ac nullo rerum naturalium interitu extingui poſſint: Quorum ſententia conſentit cum opinione,

Socraticorum lib. de ideis in Parmenide.
Stoicorum, de cauſa continente.
Anaxagoræ de ſyncriſi Atomorum.

Et

Et Hippocratis,lib.de diæta.

Anonymus noſter,qui totus materialis potiùs quàm formalis eſt,quique idcircò alterantia illa, aliaque remedia, non patitur formaliter potiùs operari, quàm materialiter, hanc illorum ſententiam nequaquam probaturus eſt: at contra magna vocis contentione in illam debacchaturus. Quin iam illum craſſiore roſtro pennam excindentem video, vt maioribus literis eminùs legendis efformet reſponſionem ſuam,quám nouę doctrinæ & erroneæ autorem prorſusque Galeni placitis contrariæ inſimulet ac explodat. Siquidem Galenus ad craſin rerum facultates referat,quam nos cum doctis Philoſophis ac Medicis formæ ſubſtantiali adſcribimus. Nec obſtat, quòd multos iſta Galeni opinio ſui aſſertores longo tempore ſibi conciliauerit: ſatis enim notum eſt,veritatem temporis eſſe filiam.

Nec credendum eſt,iſta ſua reſponſione Anonymum noſtrum contentum fore, etſi magni momenti eſt apud illum Galeni auctoritas, eiusque ſectatorum,quibus inſtar diſcipulorum Pythagoræ ſatis eſt, ſi præceptor dixerit aut ſcripſerit. At progredietur vlteriùs, tentabitque ſi poſſit oppugnare, ac rationibus, argumentisve eorum ſententiam euertere, ac euincere,qui eiuſmodi facultates ac proprietates formis ſubſtantialibus potiùs,quàm craſibus adſcribunt.

Sic enim primo loco arguet, omnia naturæ indiuidua,quibus in medelam corporum noſtrorum vtimur, ſiue ſint illa animalia,ſiue vegetabilia, iugulata,eradicata, atque hinc emortua, hac ratione forma ſubſtantiali eſſe ſpoliata: quòd quæ animata ſunt, hoc eſt animam habentia, ea ſola viuant & vegetent, vt quæ vera forma ſubſtantialis ſit ea anima, eſſentiam & ſubſtantiam rei conſtituens.

Quòd cùm ſit, vt ſibi perſuadet, fruſtrà & abſurdè

medi-

medicamentorum inanimorum facultatem formæ attribui, cùm ea careant, vtpote anima destituta & mortua.

At Galeni, eiusq; ſectatorum opinio ac ſententia longè magis veritati conſentanea, & ratione potentior eſt (excipiet Anonymus) cùm dicunt inanimatorum ſubſtantias certis temperamentis conſtitui: quæ vt varia & diuerſa ſunt, ita & diuerſas eſſe inanimatorum ſubſtantias, quæ inter ſe differant, non formis, ſubſtantiam cōſtituentib. ſed duntaxat temperamentis: Atq; inde colligent, eſſentiam rei exanimis nihil præter craſim illius eſſe, quæ quidem per accidens forma dici poteſt, quatenus ex elementorum permixtione conſtat & compoſita eſt. Atque hi fatebuntur quidem, etiam in illa craſi latere occultas quaſdam proprietates: ſingulariter etiam inter ſe differre, quas prorſus extinctas credunt, vbi craſis diſſuta eſt & periit. Atque hæ ſunt rationes, quibus ii nituntur, qui rerum facultates ac proprietates in craſi tueri volunt.

Quibus porrò in ſuę ſententiæ confirmationem rationib. vtantur, præcipua nunc nobis explicanda ſunt, & excutienda argumenta, vt quàm abſurdè hallucinentur liqueat. Quibus diſcuſſis tranſibimus in eorum ratiocinationum expoſitionem, qui proprietates illas medicamētorum, ac facultates formis affingunt: quod conciſè expendemus, vt lite inter vtramq; partem pertinaciter diſceptata, æquus lector ac ſincerus de cauſæ æquitate ac veritate iudicet.

Exanimatæ ſtirpes, inquient, *forma ſubſtantiali priuantur.*

Exanimatæ ſtirpes proprietates ſuas retinent, quàm diu perſtat craſis. Ergo.

Quædam, quæ proprietates ſuas retinent, perſtāte craſi incorrupta, forma ſubſtantiali priuantur.

Maior

Maior patet (dicet Anonymus) cùm certiſſimum ſit, quæ ex terra radicitùs euulſæ ſunt plantæ, quæue ſiccitate contabuerunt, eas anima ſua vegetatiua eſſe exutas, atque inde forma ſubſtantiali deſtitutas.

Minor etiam nullum parit dubium, quùm nihilominus vim ac virtutem tùm nutriendi tùm medicandi retineant efficacem, vt docet experientia: ſiquidem aliæ nobis vſui ſunt in alimentum, aliæ in medicamentum, quamuis vegetatiua virtute careant.

Ergo, inferent, veriſſima eſt noſtra Concluſio. Quorum argumentum ſic diluimus. Maiorem primò Syllogiſmi vt falſiſſimam reſpuimus, quæ docet exanimatas ſtirpes forma ſubſtantiali priuari. Perinde enim eſt ac ſi quis dicat, fructus aut ſemina priuari forma ſua ſubſtantiali, ſi non ampliùs vegetentur. Deus enim aut natura nihil non creauit in hominis vtilitatem & vſum: ex quo fit, vt vltimus plantarum finis non ſit ipſa vegetatio, & vitæ earum propagatio aut animatio: ſed vt eæ ſua anima exutę, & vt ita loquar mortificatæ, idoneæ ac aptæ humano generi reficiendo ac recreando reddantur.

Quòd autem formas ὁσιώδεις non admittant, alio argumento ſic inferunt, eoque dupliciter ſic formato.

Quod abolitum eſt, illud remanere non poteſt in ſubſtantia.

At in ſtirpibus, anima ſua priuatis, abolita eſt forma ſubſtantialis, à qua dicunt occultas potentias promanare.

Ergo in ſtirpibus ſucciſis forma ſubſtantialis permanere non poteſt.

Vel: Perempta forma ſubſtantiali, quod remanet, non poteſt eſſe forma ſubſtantialis.

In ſtirpibus perempta anima vegetatiua, perimitur ſubſtantialis forma.

Ergo

noſtra, quàm elegantia & ſpecifica remedia præter eius ſimplicia eccoprotica, in grauiſſimos quoſque morbos tradiderim, quales ſunt ſyrupi noſtri helleborati varij ad epilepſiam, maniam melanchol. ſyrupus de pæto, ad rheumata & aſthmata: ſyrupus de Centaurio minore ad febres, præcipuè tertianas: extractum eſulæ minoris, extractum iridis ad hydropes: extractum bryoniæ fæcula Brion. ad eoſdem morbos, nec non purgationem matricis ſpecificam, atque id genus alia, cognitu ac ſcitu à veris quibusque Medicis perquam neceſſaria, qui ſolummodo eccoproticis ſuis, quibus noſter acquieſcit Anonymus, medicamentis non adhærent.

Fateor longiorem fuiſſe de purgatione, ac Chymicorum remediorum, cum vulgaribus, comparatione, quàm Anonymus noſter voluiſſet, orationem meam. In qua ſi breuior fuiſſem, vtique & obſcurior. Vtut ſit, non iis, qui breuitati ſtudent, nec aliis, qui orationis prolixitate delectantur, placere, ſed publicæ vtilitati inſeruire animus fuit. Attamen ſi in hac prima parte, vbi generatim, quæ propoſita fuerunt ab Anonymo, examina excuſſi, profuſior fui; Alteram huius libelli noſtri partem breuiorem contrahemus, vbi licebit citra verborum copiam ſigillatim omnia conciſè explicare. Quò antequam perueniamus, minutatim alter remediorum ordo, qui de alterantibus eſt, ab Anonymo noſtro propoſitus, paucis venit nobis expediendus.

CAP. X.

Vbi facultatum diſtinctiones explicantur: rerumq; proprietates non elementari materiæ, aut nudis qualitatibus, ſed eſſentiæ & formæ adſcribuntur: nec non cõtradicentium argumenta etiam ex veterum Philoſophorum ſententia diluuntur.

DVM

DVM Anonymus noſter confinxit, à nobis veriſq; aliis Medicis, tum dogmaticis, tum chymicis, in purgatione ſola vſurpari præcipitatum & antimonium, quorum loco longè meliora doceat, vtpote leuia ſua eccoprotica: putauit certaminis victoriam ſibi ſecurè eſſe partam, nec ea cauſa poſſe excidere. At ſi doctis ac eruditis eorum, quos citauimus, ſcriptis legendis, ac reſponſioni in ſuam Apologiam attentus fuerit, quàm tota aberret via, facilè percipiet: hocq; in negotio, non ſecus ac omni alio therapeutices documento, à Chymia, chymicisq; Philoſophis indies ornamenta, auctiones & perquàm vtiles ſcholæ medicæ inuentiones conferri intelliget. Dum tamen talia de ſe putat, hoc eſt, penes ſe inclinaſſe victoriam credit, ac iſta gloria tumeſcit, en in quæ verba prorumpat? *Age verò*, inquit, *à purgantib. ad alterantia pergamus. Illa conferunt morbis depellendis, manifeſta, aut pr ma qualitate manifeſtâ, vt prima & ſecunda; Occulta vt vi & proprietate ſpecifica. Nos morbis calidis, vt intẽperiei calidæ, inflammationi, eryſipelati, medemur refrigerantium vſu, quæ noſtro modo præparamus, malumusq; vti ſuccis aut decoctis, quando herbæ ſuppetunt, quàm aquis ſtillatitiis.* Hæc in ſumma eſt Anonymi noſtri de his, quæ alterantia ſunt, ratiocinatio, qui ſolis qualitatibus caloris & frigoris vim ac proprietatem efficacem calefaciendi ac refrigerandi, materialiter non formaliter, vt loquitur. Idem de ſecundis dicit qualitatibus, ſiue indurandum ſiue emolliendum eſt. Denique qualis in ore eſt, talem in pectore eſſe, hoc eſt, qualia profatur, talia operari certò concludẽdum eſt, vt ſit nimirum & multùm materialis, & parùm formalis,

Hoc caput vtriq; attentum examen & exactam meditationem poſtulat. Ex eo enim conſtabit, quò rerum omniũ proprietates ac facultates reuocandæ ſint. Cuius rei tractatio ac inueſtigatio præ aliis medicinæ capitibus,

bus, & elegans & maximè neceſſaria eſt.

Vt autem & faciliùs & meliùs intelligantur omnia, altiùs nobis res iſta repetenda eſt, variæq; Philoſophorum ac Medicorum in eas opiniones ſententiæ excutiendæ: meliores probandæ ac confirmandæ, deteriores verò & magis veritati aduerſantes repudiandæ, vbi noſtrum iudicium, quàm pauciſſimis fieri poterit verbis, apponemus.

Videre licet ex Anonymi noſtri ſcriptulo, eum omninò pendere à qualitatibus calidi & frigidi. Quæ quidem vſque adeò aures omnium perfudit, vt vel ipſæ mulierculæ, circulatores & agyrtæ, nullis aliis rationibus opera ſua fulciant & cõfirmẽt, quàm id genus qualitatibus. Sic enim citra diſcrimen omnes omnium rerum virtutes eò ab omnibus reuocantur, vt ſi quid noceat, nimia vel caliditate vel frigiditate lædere dicatur, ſeq; ſcopum attigiſſe rationum credunt, ſi in medicandis morbis, quos vel calidos vel frigidos autumant, calidis & frigidis, vt volunt, remediis vtantur & curẽt. Sed ex effectu & rei exitu ſatis patet, quanta iſthæc ſit hallucinatio, vt paulò poſt etiam fuſiùs docebimus.

Tenendum igitur nobis eſt, omnes qualitates, quæ ſubſtantiæ accidunt, quæque ſenſus afficiunt, ſenſibus ipſis apprehendi diuidiq; in primas & ſecundas. Primæ dicuntur illæ, quæ ex elementis ſimplicibus prodeunt: ſecundæ verò quæ ex eorum mixtione oriuntur. Complures dogmaticorũ Medicorum primis illis qualitatibus maiores, quàm par eſt, vires adſcribunt in domandis & profligandis morbis. Alii ne nimiam quidem vim illis tribuunt, ſed rerum quiſquilias eſſe volunt. Tertii ordinis ſunt, qui aliquid virium quidem illis arrogant, præcipuam tamen facultatem rei ſubſtantiæ adiudicant, qui mihi magis probantur.

Quod ad ſecundas qualitates attinet, nonnullæ ſunt huius

huius generis, quę dogmaticis tanquam inutiles & medicationi prorſus ineptæ ſunt, quales ſunt odores & colores: quos nos contrà, vt magnæ virtutis in medendo eſſe, & maximè vtiles ac neceſſarios affirmamus, vtpote qui ex mercuriis & ſulphuribus magnarũ virium principiis emergunt. Quæ verò qualitates ſecundæ ſapores inducunt, cùm à variis ſalibus nimirum, amaris & abſtergentibus, acribus, incidentibus, attenuantibus, acerbis vel auſteris, ſalſis, exſiccantib. & id genus aliis, vt dulcib. ij proficiſcantur, ab omnib. Medicis agnoſcuntur, & in morborum curationem, vt magni momenti, ac virtutis, admittuntur.

Primæ qualitates vario nec eodem modo à Philoſophis & Medicis definiuntur. Siquidem Philoſophi, qui eas, vt in elementis exiſtentes, citra mixtionem conſiderant, duplicis generis illas conſtituunt, actiuas ſc. vt calidum & frigidum, & paſſiuas, humidum & ſiccum. Primæ in rebus naturalibus dicuntur agere, vt caloris proprium eſt diſſoluere, & frigidi congelare, & contrà. Secundæ pati dicuntur, vt humidum, quod alieno termino coërcetur.

Medici contrà, qui huiusmodi qualitates in mixto corpore ad medicamenta apto conſiderant, ex virtutibus & efficacia, qua pollent, eas definiunt, omnesq; actiuas pronuntiant, calidum illud vocantes, quod calorem poteſt inducere, frigidum quod refrigerat, humidum quod humectat, & ſiccum quod exſiccat, facultate & potentia, non ſenſu & actu, in quo fallitur Galenus, ac reprehenſionė dignus ipſemet eſt, cùm lib. 1. de natur. facult. Ariſtotelem auſus eſt arguere, diffinientem humidum & ſiccum, perpeſſiones eſſe, non actiones. Neſciuit enim, vel noluit Galenus, vt decebat, quod homonymum erat, diſtinguere.

Harum autem efficientium vt actiuarum qualita-

tum Medici tres conſtituunt gradus: quorum primus eſt apertarum qualitatum, vt cùm calida medicamenta dicuntur calefacere re ipſa, & actu perceptibili: frigida verò manifeſtè frigefacere, ſenſuq; ipſo: hoc eſt, quando hęc medicamenta manifeſtis qualitatibus patientia corpora, calore nempè, frigore, humiditate & ſiccitate afficiunt.

Secundus eſt qualitatum gradus eorum, quæ non actu ſed potentia agere conſiderantur in corporibus, vt cum medicamenta facultate, quā habent, variè nos afficiunt, mouent, alterant aut immutant, vtpote attenuando, incidendo, incraſſando, detergēdo, &c. In quorum numerum referri ea poſſunt, quæ fæces excrementoſas & ſuperuacanea quæq; ex corpore per propria emunctoria deturbant, idq; vel ſudores prouocando, vel ad vomitum & ſeceſſum irritando, aut etiam menſtrua proliciendo. Quæ quidem medicamenta non abſtruſa proprietate operantur, ſed inſita poteſtate. Vnde Galenus ea ab illorum numero excluſit, quæ occulta agunt proprietate, aut quorum cauſæ occultæ ſunt, lib. 6. de ſimp. medic. facult.

Tertio ordine & extremo in agmine locantur, quæ occulta proprietate aut formæ ſubſtantialis ſpecifica vi agunt: ſub quibus comprehenduntur, quæ certas corporis partes reſpiciunt, & eis propriè inſeruiunt, qualia ſunt cephalica capiti deſtinata, ſtomachica, hepatica, ſplenica, hyſterica, cardiaca, & alia id genus. Eodem etiam continentur ordine, tàm venenoſa medicamenta, quàm bezoardica & alexipharmaca: & quæcunq; ſpecifica propriū aliquem morbum intuentur, cui ſpeciatim medentur: qualia ſunt pæonia, viſcus quercinus, flores lilii conual. & tiliæ arboris, cranium humanum, & vngula Alcis, quæ epilepſiæ curandæ proprietate ſua à natura deſtinata ſunt: aut quæ certum humorem expurgant:

purgant: ſic rhabarbarum dicitur cholagogum ſpecificum: agaricus phlegmagogus &c. Neq; hic omnia eiusmodi recenſere expedit, quorum catalogus longiore lectione futurus ſit tæ dioſus. Satis ſunt igitur, quæ hic à nobis propoſita ſunt exempla ſpecificæ quorundam virtutis & proprietatis.

Atque hi ſunt omnes medicamentorum ordines ac diſtinctiones, quę in corpus humanum functiones ſuas exerunt, & quæ qualitatibus agentibus diſcerni ſolent.

Cæterùm quæcunque inſunt rebus naturalibus, ſiue ſint propria πάθη, ſiue propria accidentia, cum aut formæ aut materiæ gratia inſint ex Ariſtotele: hinc nata eſt opinionum inter Philoſophos & Medicos diuerſitas.

At illorum omnium medicamentorum potentiæ, id eſt, quæ vim aliquam habent agendi in noſtra corpora, in triplici ſunt differẽtia. Quædam enim nos afficiunt ſecundum naturam, hoc eſt, iuxta certam analogiam & conſenſum, quem cum noſtra natura habent, quorum concordia & coniunctis in vnum copiis morbi citra detrimentum corporis depelluntur, vt ſunt varia alterantium & corroborantium genera, quę familiaria ſunt & amica naturæ noſtræ.

Quædam contra naturam nos afficiunt, & cauſa poſſunt eſſe morborum & mortis, vt deleteria ſuis venenis.

Quædam partim ſecundum naturam nos afficiunt, partim contra naturã, atq; ſeruant quoddam medium inter ea quæ iuuant & quæ nocent: qualia ſunt alexipharmaca & purgantia medicamenta. Mithridatium enim, vt & ipſa theriaca, & multa alia antidota alexipharmaca, ſalubria ſunt per accidens: quia excitando noſtros ſpiritus, ſiue calorem noſtrum ſymphytum & natura-

Et Hippocratis, lib. de diæta.

Anonymus noſter, qui totus materialis potiùs quàm formalis eſt, quique idcircò alterantia illa, aliaque remedia, non patitur formaliter potiùs operari, quàm materialiter, hanc illorum ſententiam nequaquam probaturus eſt: at contrà magna vocis contentione in illam debacchaturus. Quin iam illum craſſiore roſtro pennam excindentem video, vt maioribus literis eminùs legendis efformet reſponſionem ſuam, quàm nouę doctrinæ & erroneæ autorem prorſusque Galeni placitis contrariæ inſimulet ac explodat. Siquidem Galenus ad craſin rerum facultates referat, quam nos cum doctis Philoſophis ac Medicis formæ ſubſtantiali adſcribimus. Nec obſtat, quòd multos iſta Galeni opinio ſui aſſertores longo tempore ſibi conciliauerit: ſatis enim notum eſt, veritatem temporis eſſe filiam.

Nec credendum eſt, iſta ſua reſponſione Anonymum noſtrum contentum fore, etſi magni momenti eſt apud illum Galeni auctoritas, eiusque ſectatorum, quibus inſtar diſcipulorum Pythagoræ ſatis eſt, ſi præceptor dixerit aut ſcripſerit. At progredietur vlteriùs, tentabitque ſi poſſit oppugnare, ac rationibus, argumentisve eorum ſententiam euertere, ac euincere, qui eiuſmodi facultates ac proprietates formis ſubſtantialibus potiùs, quàm craſibus adſcribunt.

Sic enim primo loco arguet, omnia naturæ indiuidua, quibus in medelam corporum noſtrorum vtimur, ſiue ſint illa animalia, ſiue vegetabilia, iugulata, eradicata, atque hinc emortua, hac ratione forma ſubſtantiali eſſe ſpoliata: quòd quæ animata ſunt, hoc eſt animam habentia, ea ſola viuant & vegetent, vt quæ vera forma ſubſtantialis ſit ea anima, eſſentiam & ſubſtantiam rei conſtituens.

Quòd cùm ſit, vt ſibi perſuadet, fruſtrà & abſurdè

medi-

Maior patet (dicet Anonymus) cùm certiſſimum ſit, quæ ex terra radicitùs euulſæ ſunt plantæ, quæue ſiccitate contabuerunt, eas anima ſua vegetatiua eſſe exutas, atque inde forma ſubſtantiali deſtitutas.

Minor etiam nullum parit dubium, quùm nihilominus vim ac virtutem tùm nutriendi tùm medicandi retineant efficacem, vt docet experientia: ſiquidem aliæ nobis vſui ſunt in alimentum, aliæ in medicamentum, quamuis vegetatiua virtute careant.

Ergo, inferent, veriſſima eſt noſtra Concluſio. Quorum argumentum ſic diluimus. Maiorem primò Syllogiſmi vt falſiſſimam reſpuimus, quæ docet exanimatas ſtirpes forma ſubſtantiali priuari. Perinde enim eſt ac ſi quis dicat, fructus aut ſemina priuari forma ſua ſubſtantiali, ſi non ampliùs vegetentur. Deus enim aut natura nihil non creauit in hominis vtilitatem & vſum: ex quo ſit, vt vltimus plantarum finis non ſit ipſa vegetatio, & vitæ earum propagatio aut animatio: ſed vt eæ ſua anima exutę, & vt ita loquar mortificatæ, idoneæ ac aptæ humano generi reficiendo ac recreando reddantur.

Quòd autem formas ὁσιώδεις non admittant, alio argumento ſic inferunt, eoque dupliciter ſic formato.

Quod abolitum eſt, illud remanere non poteſt in ſubſtantia.

At in ſtirpibus, anima ſua priuatis, abolita eſt forma ſubſtantialis, à qua dicunt occultas potentias promanare.

Ergo in ſtirpibus ſuccisis forma ſubſtantialis permanere non poteſt.

Vel: Perempta forma ſubſtantiali, quod remanet, non poteſt eſſe forma ſubſtantialis.

In ſtirpibus perempta anima vegetatiua, perimitur ſubſtantialis forma.

Ergo

Ergo in ſtirpibus quod remanet, non eſt forma ſubſtantialis.

Solutio.

Vtriusque formæ Syllogiſmi minor negatur, vtpote quæ falſa eſt. Perinde enim eſt, ac ſi quis dicat, pyrum, pomum, frumentum, & reliqua ſemina priuari ſua anima ſubſtantiali aut forma, ſi non ampliùs vegetentur. Cùm autem Deus aut miniſtra eius natura mandato illius producat nobis in vſum omnia: cui vſui eſſe poſſint, ſi mortua manent poſt amiſſam vegetationē? Dixit terræ Dominus, producat terra fructus, deinde paulò poſt: comedat homo de omni fructu herbarum & arborum horti, &c. Nunquid illa debuit homo eruere ex terra, aut fructum ex arbore decerpere, vt ſic illa iugularet ſuaque vita priuaret, qua ſibi viuebant, vt in vitam ſuam & vſum ea ille conuerteret? Quæ ſi deſtituta fuerunt vita, quæ forma eſt ſubſtantialis, quomodo alere potuerint, & in naturam hominis conuerti? At ne ſic quidem conſtet forma, quam ex craſi volunt conſtitui. Si enim vita rerum ex temperie & craſi illarum oritur, ea extincta, temperies & craſis ſimul receſſerunt. Ergo nec eiuſmodi fructus alere poſſint ratione temperamenti & craſis, quæ in illis extincta ſunt, poſt deperditam vegetationis virtutem. Atqui iam diximus non in eum finem creata eſſe terræ indiuidua, vt vegetarentur, ſed vt vegetata, aut vegetatione maturata, fierent proprium hominis alimentum aut medicamentum. Vnde conſtat totam illorum formam & ſubſtantialem (& accidentalem, ſi vis) tranſire in hominem, vt illis reformetur: hoc eſt, formam ſuam inſtauret & ſuſtineat in eſſentia ſua. Deperdita igitur vita, qua ſibi viuunt plantæ, & alia naturæ indiuidua, non deperit ea vitæ forma, qua viuunt nobis, quæ ſola verè forma dici poteſt, eaque ſubſtantialis: quòd hominis ſubſtantiam,

formam,

formam, eſſentiam, foueat, augeat & ſuſtentet. Nec inficias eo, quin ea φύσις aut forma naturalis rebus indita ſit etiam κράσεως aut συμφύσεως mixtionis elementorum, ſeminum, & trium principiorum cauſa: nam non tantùm ſpiritualem formam, aut ſpirituale corpus rebus inſculpit: ſed corporalem etiam ex craſſiori materia compingit, quæ ritè componi non poteſt, quin certo rerum mixtarũ temperamento conſtituatur. At præcipua illa eſt forma, quæ ipſam rei craſin ſuſtinet, & quæ indiuiduum perducit, ad quod deſtinatum eſt. Quod vt apertiùs exponatur, intueamur ſemen à planta exciſum, cuius ſeparatione vegetationem propriam deponit, & mortuum prorſus iacet, niſi ad quod deſtinatum eſt reuocetur. Si igitur in agrum ſeratur, nunquid docet experientia quotidiana, ſimilem parentibus ſuis ſpeciem ab ipſo procreari? Hoc ne amabò fieret, ſi forma ſua ſubſtantiali eſſet nudatum? Atqui tunc forma in illo perfecta eſt, quæ vim habet ſimile ſui progignendi, ad quod à natura conſtitutum eſt.

Hinc liquet, virtutes omnium rerum, quæ à forma ſubſtantiali prodeunt, non perire cum vi vegetatiua, qua ſibi ad tempus opus fuit: ſed manere, dum id, ad quod vocatæ ſunt, compleuerint. Sic pecudes laniena dicatæ nihil homini proſint, ni priùs mobili illa ſenſibili anima atque vegetabili ſpolientur, cui tamen homini eæ in alimentum dicatæ ſunt. Ergo iugulari illa priùs oportet, & vita aut anima ſua vegetatiua & ſenſitiua exui, vt hominis vſui eſſe queant, in quem vſum tanquam in ſuum vltimum finem, natura illas cum omnibus aliis deſtinauit. Vnde igitur alitur homo ex ipſarum morte, ſi in illis pereat forma ſubſtantialis, qua ad alendum hominem aptæ ſunt & ad id vnum deſtinatæ?

Si indiuidua alia excutiamus medicamentis dicata,

vnde virtutem habeant, quàm à forma illa ſpirituali & ſubſtantiali? Eia, rhabarbarum nunquid tunc in vſum venit, quùm iam pridem ex ſolo ſuo exutum eſt, & vim vegetandi depoſuit, vt nullam neque vitam, neque incrementum ampliùs ex matre ſua hauriat: attamen cur & vnde bilem attrahit & vacuat, (in quem vſum deſtinatum eſt) ſi forma ſua ſpecifica & ſubſtantiali cum vita ſua propria, qua in ſolo ſuo viuebat, ſpoliata eſt? Nunquid apparet ἀχωρίςως illam formam ſubſtantialem, καὶ ἀδιαλύτως rebus omnibus inhærere, donec vſus, ad quem deſtinatæ ſunt, porſus ſuſtulerit, & aliò traduxerit? Sic ex forma ſua ſubſtantiali rhabarbarum rectè definietur medicamentum purgandæ bili idoneum: ſic triticum definietur ſemen nutriendo homini aptiſſimum. In hos enim vſus cum reliquis omnibus aliis illa per formas ſubſtantiales, natura perducit, dum eas formas homo ab illis detraxerit, & in ſuum vſum tranſtulerit.

Præterea quàm inepta ſit & falſa illorum minor in hoc medio, quo aſſerunt periiſſe animam vegetabilem eradicata è ſolo ſuo & exſiccata planta, hinc eluceſcit. Si periit anima vegetabilis, non permanet in fructu vel ſemine. At contrà videmus permanere. Ergo non periit. Permanere apparet, quòd ex ſemine ſicco, etiam in terram proiecto, nouum germen emergat, ſpeciei parentes referens. At nouum illud germen vnde prodit & vegetatur, creſcitque ad perfectionem, quàm ex vi illa & facultate, aut ſpiritu vitali in ſemine latente, qui ex potentia tandem prorumpit in actum? Neque enim fas eſt dicere, ex ſole & terra hoc effici, cùm illa vt efficientes cauſæ moueant tantùm facultatem vitalem in ſemine incluſam, quæ ſi prorſus eſſet extincta, fruſtra ſemina in terram ſeruntur, vt renouatio ſpeciei illorum à ſole & terra expectetur.

Dico-

Dicebat Ariſtoteles, ſol & homo hominẽ generant, vnde iſtud fieri poſſit, ſi ſemen ab homine ex ſtirpe ſua truncatum & aliò emiſſum vitalibus ſpiritibus, hoc eſt, anima vegetatiua, ſenſitiua & mobili ſpoliatum eſt? Vel ſtupidiſſimus & craſſiſſimus agricola longè veriùs quàm Anonymus noſter philoſophetur. Si enim crederet, ſemina, quæ terræ committit, nullo vitali & vegetante ſpiritu frui, deſperaret de meſſe futura, & ſuam ſtultitiam rideret, aut diſpendia etiam ſuorum ſeminum lugeret, quę temerè perdidiſſet. Mirari vtique ſubit Anonymum noſtrum nihil ſpirituale ſapere, imò terreſtriorem eſſe ipſis agricolis. Sed quid de ſuperbo & auaro homine ſperes, qui nihil præterquam loculos & inanes flat glorias? Quid, cùm totus ſit materialis, formaliter agat? Aut quam geminam craſim agnoſcat, qui planè eſt δύσκρατος?

CAP. XI.

Quo variis argumentis & Philoſophorum autoritatibus confirmatur, rerum omnium facultates non materiæ, ſed formæ eſſe tribuendas.

QVod Anonymus noſter virtutes ac facultates alterantium medicamentorum, nec non propè omnium aliorum referat (vt ex eius tàm eleganti libello conſtat) ad materiam aut temperamentum & craſin potiùs, quàm ad formam ſubſtantialem, docens, quæ calida ſunt, calefacere, quæ frigida refrigerare materialiter, non formaliter: nec non emollientia pariter materiæ ſuæ non formæ ratione emollire: reddidit nos in hac Diſputatione longiores, quàm noſtri erat inſtituti, vt tandem capere poſſet, eiuſmodi facultates formis potiùs, quàm craſibus & temperamentis eſſe tribuendas. Quin & quę ſequentur ſuo loco ad-

demus ad confirmationem & elucidationem maiorem veritatis: quùm ſcilicet nugas illius confutabimus, quibus in tribus noſtris principiis, quæ in omni corpore mixto & compoſito conſtituimus, aſſerere conatur, deſiderari natiuum rei temperamentum & craſim, nec in illis remanere, hinc concludens, ridiculam de hac re ac inanem eſſe orationem noſtram, quaſi hoc luce clarius ſit. In quo pertinaciam ſuam in tuenda vltrò citroque Gale. opinione ac mordicùs retinenda oſtendit: Qui quidem Galenus Empedoclis errore nimiũ faſcinatus, præcipua totius Medicinæ fundamenta, nec non proprietatum ac facultatum, medicamentorum cauſas, in eiuſmodi materiali craſi locauit, quùm rei ſubſtantiam etiam vocauit, eo vſque temeritatis progreſſus, vt ne animam quidem noſtram exceperit, quam ex craſi corporis eſſe ortam pronuntiauit, quamuis alibi de ea iudicium ſuum ſubticeat: imò ignorantiam ſuam apertè de eius eſſentia ac origine alibi fateri non erubeſcat. Sed quàm Platonicis Ariſtotelicisque Philoſophis reluctetur, apertum ſatis argumentum hinc profert.

At ne falſi à me tantus Medicinæ Coryphæus videatur iniquè inſimulari ac argui, promptum eſt ex illius ſcriptis quoſdam locos eruere, quibus luculenta erroneæ & falſæ eius opinionis fides fiat. Sic enim cap. 6. lib. de vſu partium (in quo inſigne præ aliis eius libris ingenii acumen explicauit) ingenuè fatetur, ſe ignorare quid anima ſit. Libro verò ſeptimo de Placitis Hippocratis & Platonis hæc refert, quæ ſequuntur: *Veruntamen*, inquit, *ſi de animæ ſubſtantia quoque eſt ſententia proferenda, de duobus alterum dicamus neceſſe eſt, vel ipſam eſſe fulgidum ac quaſi æthereum corpus, ad quod aſſerendum, velint nolint conſecutione cogente, deſcendent Stoici & Ariſtotelici: vel ipſam incorporeã quidem eſſe ſubſtantiam, vti tamen hoc corpore tanquam principali vehiculo.*

Et

Et lib.2.de ſympt.cauſis:*Etenim*,inquit,*Animæ eſſentiam in alia quapiam tractatione definire, audax fortaſſe facinus putabitur.In hoc verò opere,& præter audaciam ſuperuacaneum videtur, At quæcunq; tandem ipſa fuerit,è duobus alterum exiſtimare oportet, aut quòd ad omnes functiones vtitur ſanguine & ſpiritu, vt præcipuis inſtrumentis, & aut alterius, aut vtriuſq; calore, aut quod in his ipſis conſiſtit. Non eſt tamen noſtri inſtituti, aut antiquorum falſas ſectas confutare,aut ipſorum ignorantiam accuſare.* Vbi facilè & Pythagoricos & Stoicos ac Platonicos arguit, qui vno conſenſu omnes aliter de anima iudicium fecerant, vtpote quã contra eius opinionem immortalem eſſe crederent. Inter eos potiſſimũ Ariſtoteles de ea rectè ſentit, quùm 1.lib. de Anima cap.5.de intellectu, hoc eſt de anima,ſic diſputat:*Is intellectus ſeparabilis eſt,non mixtus & impaſſibilis,cum ſit ſubſtantia actus:cui etiã quatuor aut quinq; præclaras qualitates aut facultates attribuit,immortalitatis ipſius indices.* Vt nempè ſit χωριϛὸς ſeparabilis à corpore: ἀμιγὴς non mixtus materiæ corporis: ἀπαθὴς, impaſſibilis, ἡ ὀυσία ὤν ἐνεργεία, & actu ſua ſubſtantia ſemper exiſtens. Quæ quidem qualitates longè aliæ ſunt ab illis ,quas Galenus animæ adſcribit.At mirum tantis tenebris inuolutum tanti viri ingenium, vt qui in re tàm magni momenti, à tot præclaris ſuperiorum temporum Philoſophis, etiam illuſtratus titubarit, & huc & illuc incertis ſententiis fluctuarit, adeò,vt nullum veritatis portum vnquam ingredi potuerit, Quin fluctuando ad longè peiores ſcopulos alliſerit, quùm libro de Conſecutione motus animi & corporis temper. & 2. de locis affect. audet animam definire,quæ nihil aliud ſit,quàm ex quatuor elementis temperamentum certa proportione concretũ,qua animal omne viuat & omnia vitæ opera præſtet. Vnde certè colligere eſt animæ immortalitatẽ negaſſe, vt quæ per-

eunte craſi illa & certa proportione (vt tandē in omnib. indiuiduis accidit) Anima ſimul diſſoluatur & pereat. Quorſum igitur in illius Magiſtri verba iuremus? Qui ſi tam craſsè impegit in errorem in re tàm magni momenti, vbi de cognitione animæ agebatur, nunquid & aliis in rebus multò leuioribus potuit à veritate deflectere? Ergo nec certa firmaque ſemper ab eo Medicinæ fundamenta haurienda ſunt, vt qui & de nonnullorum morborum eſſentiis & cauſis etiam minùs medicè diſputarit, & medicamentorum virtutes aliò quàm ad certum temperamentum referre neſciuerit. Hos ſi docti viri damnant errores, & iuſtis rationib. oppugnant, an ignari, empeirici & hæretici etiam potiùs cēſendi ſunt, quàm ſtrenui veritatis propugnatores & aſſertores, quæ Hipp. Platonis, Ariſtotelis & Galeni amicitiæ longè lateq; præferenda eſt? Erroneam illam de anima opinionem, longo ante Galenum tempore, agitauerat & tutatus erat Dinarchus, à Platone primò, deinde ab Ariſtotele aliiſque veris Philoſophis confutatus, vt libro illo noſtro de recondita rerum natura fuſiùs docebimus. Quam verò Galenus tuetur ſententiam, qua omnes propè facultates & proprietates craſi abſcribit, Empedoclis errorem hac in re ſecutus eſt, qui dicere erat ſolitus, Naturam nihil aliud eſſe quàm mixtionem, & mixtorum alterationem. Quem quidem errorem diluit Ariſtoteles, vtque falſam opinionem euertit, probans eiuſmodi craſes, temperamenta & mixtiones qualitatum elementarium nullo modo efficientes eſſe cauſas, nec formales: at organicas ſeu inſtrumentales, quas Plato cauſas vocat, ſine quibus non: quæ cùm ſint ſua natura indefinitæ, forma ſubſtantiali definiuntur, tanquam fine. Atque hinc Ariſt. Phyſ. 1. cauſam formalem, quæ ſubſtantiam cum materia conſtituit, appellat φύσιν ſeu λόγον, & principē naturalium

cau-

cauſam. Quæ forma, vt ſcribit idemmet Ariſtoteles *9. Metaph.* & in fine *lib. 1.* neque eſt elementum, neque concretum quid ex elementis, quæque forma ſeu natura eſt principium & quoddam diuinum, quod non conſtituitur ex craſi elementorum, nec ab iis generatur. Quùm enim forma dicitur generata, id ſubſtantiæ naturalis ratione dicitur, quæ materiæ cauſa dicitur eſſe generationi obnoxia. Vbi notandum eſt, plures eſſe ſubſtantiarum differentias. Nam & forma conſtituens & materia & compoſitum ex vtriſque dicuntur ſubſtantiæ.

Pariter notandum eſt in omnibus rebus naturalib. tria conſiderari. Primò ſubſtantiam ipſam; ſecundò ipſius *δύναμιν*, quæ eſt ad agendum efficax; tertiò ſecundum actum *δυνάμεως*, quæ dicitur *ἐνέργεια* ſeu actio. Vel primò totum compoſitũ conſideratur; ſecundò potentia eſſentialis, quę nunquã ſeparari poteſt à toto, cùm ſit quiddã à forma rei promanans, quæq; reuocatur ad Categoriam ſubſtantiæ: quamuis non ſit aliquid ſe ipſo ſubſiſtens, aut *χωριςόν τι*; quia cùm diffinitur, neque agnoſci neq; intelligi poteſt, niſi ratione eius ſubſtantiæ, cui ineſt: (verbi gratia) rhabarbari facultas, quæ eſt purgare bilem, non definitur, niſi cum dicitur, vis eſſe & facultas producta ab eſſentia rhabarbari. Conſideratur denique potentia naturalis, quæ eſt qualitas dependens à temperamento ſiue craſi, cùm operatur: quæ craſis idcircò eſt tantùm inſtrumentum potentiæ illius eſſentialis, ſiue cauſa ſine qua non, vt appellat Plato. Notandum prætereà eſt nomen *δυνάμεως*, aut potentiæ vnum & idem ſignificatio ne eſſe cum facultate aut proprietate. Dicitur enim *δύναμις ἀπὸ τῦ δύνασθαι*, ab eo, quod poteſt aliquid facere. Quæ quidem *δύναμις* diſtinguitur à Philoſo-

phis in perfectam & imperfectam. Cuius imperfectæ multas alias diſtinctiones, in quas diuiditur, hic prætermittemus ſilentio, breuitatis cauſa, quarum etiam, cùm accidentia ſint tantùm, nulla demonſtratio eſt, quòd accidentium per ſe nulla cauſa exiſtat.

At alia δυνάμεως ſpecies eſt, quam hic intelligimus, & de qua nobis ſermo eſt, quæ non ſimplex qualitas eſt, aut accidens: ſed quæ eſſentia eſt ſub categoria ſubſtantiæ comprehenſa, vt diximus: qualis eſt potentia & facultas videndi in oculo, chylum formandi in ventriculo, in ſenna atram bilem purgandi, abſynthio detergendi, & obſtructiones expediendi, atque eiuſmodi infinitæ aliæ potentiæ, quibus alia indiuidua prædia ſunt, actionesque ſuas diuerſas obeunt: quorum vires aliò quàm ad ſubſtantiales aut eſſentiales potentias referri nequeunt.

Has proprietates Dialect. Græci ἴδια πάθη nominant, Latini proprias affectiones, quæ ſeparari à rebus ſubiectis incolumi ſubſtantia non poſſunt: ſed omni ſoli & ſemper inſunt ſubiecto, atque de ſubiectis demonſtrari aut prædicari poſſunt. Quæ quidem proprietates aut facultates ſuis energiis diffiniuntur & agnoſcuntur, ſiue ſint actiuæ, ſiue ſint paſſiuæ. Et potentiarum cauſa, agens dicitur tangere, & patiens tangi, formæ non adſcribitur tactus. Quin forma non eſt corpus, at materiam informat ſine tactu. Solius itaque corporis naturalis proprium eſt, vt tangendo patiatur.

Porrò agentia agũt, vel ὁμοειδῆ, vel κατ' ἐντελέχειαν: ὁμοειδῆ dicuntur, quia illud εἶδος accidentis externi eſt ὅμοιον in agente, & patiente, quùm eam qualitatem, quam habent manifeſtam, imprimunt in patiens, vt ignis qui calidus, calidum etiam efficit, aqua frigida refrigerat. Agen-

Agentia κατ' ἐντελέχειαν appellantur, quæ illa intrinſeca vi, quæ eſt perfectio, ſeu ἐντελέχεια agunt: cùm imprimunt in patiens qualitatem eam, quæ tamen in agente non eſt manifeſta: vt cùm piper licet non ſit extrinſecus vel actu calidum, habet tamen vim calefaciendi.

Hæc longiore nobis explicanda fuerunt oratione, vt pateat quàm abſurdè hallucinetur Anonymus noſter, quùm de facultatibus medicamentorum alterantium loquens, eas materiæ, craſi & temperamento arrogat potiùs, quàm formæ ſubſtantiali, qùum in hæc verba erumpit: *Accedit quòd frigida refrigerant, & calida calefaciunt materialiter, non formaliter. Pendet enim vis calefaciendi, refrigerandi, humectādi, ſiccandi, à materia certo modo temperata; quæ temperies ſi non perit, ſaltem minuitur diſtillatione: ſalua verò & integra, inquit, manet in ſucco. Eſt enim anima plantæ.* Aurea vtique verba hæc ſunt, quæ rubrica ſignari & exarari ſcilicet merentur.

Reſpondeo ac nego Anonymo noſtro, vim ac proprietatem medicamentorum calefaciendi, refrigerandi, incidendi, aut detergendi materialiter agere: vel quòd manifeſtis qualitatibus, & ſenſui notis, actiones ſuas præſtent in medendo, prout eſt in elementis id præſtare; Sed occulta vi & potentia propter ſubſtantialem formam: quemadmodum (exempli gratia) dicimus piper, de quo iam antea, aperto calore ſenſib. peruio nequaquam eſſe præditum, qualis eſt ignis, calor aut ardor. At facultate tantùm occulta poſſe calefacere. Neque enim eius actio percipi poteſt, niſi calore animalis permutetur; quod eſt proprium abditarum virium, ſeu occultarum facultatum.

Alia eſt omninò ignis caliditas, quam nimirum ὁμοειδῆ efficit in corpore noſtro, alia ipſius piperis, quam κατ' ἐντελέχειαν nobis impertitur. Illa eſt

materialis, & quæ propriè eſt elementi ignis: At hæc formali propria eſt ſubſtantię ipſius piperis, & quę nullo modo craſis aut temperies dici poteſt.

Nos igitur ſubſtantiali formæ ſeu toti ſubſtantiæ adſcribimus vires, poteſtates & actiones medicamentorum, quæ κατ' εἶδος afficiunt aut mouent aliquid, ſeu alterant, potiùs quàm materiæ aut craſi, quæ ex primarum qualitatum mixtione ſuboritur.

Atque hæc noſtra opinio à Fernelio illo, inter huius ſeculi Medicos celeberrimo, omnibus rationum momentis propugnata eſt: *lib. de abditis rerum cauſis. lib. de Medic. facult.* nec non à Scheggio, Ariſtotele altero, inter Philoſophos clariſſimo, qui mihi à iuuenilibus annis cognitus eſt, quemq; vt Præceptorem audiui, ſic vt alterum parentem ſemper & colui, & adhuc memoriam eius celebro ac prædicabo, vt par eſt. Qui quidem graues illi ac venerandi viri, non ſecus ac multi alii doctiſſimi & Medici & Philoſophi, erroneam illam Galeni opinionem planè damnarunt ac exploſerunt. Qualis etiam eſt magni Hippocratis ſententia lib. de antiqua Medicina. At Anonymus noſter, qui ignarus non eſt, omnes proprietates rebus infuſas eſſe à natura, iuxta Philoſophorum ſententiam, vel per formam, vel per materiam, cùm nil niſi craſſum videat, & lippis oculis ſubtilia non percipiat, cauſas iſtarum proprietatum ſemper potiùs ad materiam ſibi viſibilem referet, quàm ad formam, cuius intuendæ capaces non habet oculos. Qua quidem forma videtur ipſe carere, cùm ea ſit, quæ diſciplinæ ac ſcientiæ capacem reddat hominem, ingeniumq; ipſius diſcendi cupidum, acutum ac ſubtile efficiat: quam tamen non agnoſcit, ſed ſolam materiam ſtupidi intellectus ac craſſi ingenii opificem amplectitur, non ſatis gnarus, quicquid contra aut præter naturam eſt corruptum ac vitioſum à materia, non à for-

ma eſſentiali,tanquam cauſa proficiſci. Corruptelæ ènim vitiaque omnia priuatione intelliguntur quadam eius, quod ſecundum naturam ineſt. Faceſſant igitur Anonymi noſtri decoctiones, quas diſtillationibus præfert, & ſuccos, quos eſſentiis anteponit his verbis: *Temperies ſi non perit, ſaltem minuitur diſtillatione, quæ ſalua & integra manet in ſucco (eſt enim anima plantæ) aut in decocto. Succus ſcilicet anima plantæ futurus eſt, qui ſimpliciter expreſſus, citra vllam decoctionem, digeſtionem, defæcationem ſtatim putredinem ac fœtorem contracturus eſt.* Qualis futura eſt iſthæc anima, ſi materia eam informat, non vita? ô præclarum Philoſophum: ô inſignem Medicum, qui animam plantarum in iuſculis & decoctis earum potiùs, quàm extractis & depuratis eſſentiis collocat.

Quis docuit hunc, ſolas diſtillationes à veris chymicis Medicis ad alterationem, coctionem, ac præparationem humorum, aut ſola etiam olea ſtillata vſurpari? Nunquid Chymicorum librorum ſedulus fuit lector, in quibus tot præparationes aquarum, vinorum, hydromelitum, oxymelitum,ſyruporum, & decoctionum, electuariorum, puluerum genera artificiosè elaboratorum, magna iucunditate & fructu deſcripta conſpiciuntur? Quæ ſi in vſum alterandorum & præparandorum humorum transferantur à perito Medico, alia inueniat, quæ bilem, alia quę melancholiam, alia quæ pituitatem alterare,digerere & coercere poſſunt, tùm cerebro, tùm in pectore, ventriculo, iecore,liene, renibus, ipſoque vtero: & alia quę mandando ac depurando ſanguini deſtinata & aptata ſunt. Quę etiam non carent viribus calefaciendi, refrigerandi, attenuandi, incraſſandi, aperiendi, aſtringendi, & ſpecificæ operationis. Vnde apparet, quanta rapiatur inuidia Anonymus, qui vel conſilia noſtra prorſus

non

non euoluerit, vel ſi legerit, tot in iis remediorum genera, ac tàm varia malignè ſuppreſſit, vt nobis ſolas diſtillationes imponeret, quas hoc nomine reſpuit, quòd empyreuma, vt ait, redoleant.

Videamus quid prætereà deblateret, & de obſtructione tollenda exemplum ab eo propoſitum excutiamus: *Accipiamus*, inquit, *aliquod diſtillatum, vt oleum aliquod chymicum: Ego verò decoctum ex detergentibus, incidentibus, & aperientibus: quale erit, radicum aperientium & capillarium omnium, agrimonii, cichorii &c. Ego citiùs & potentiùs deturbato*, inquit, *meo decocto, quàm tu tuo diſtillato. Ratio eſt in promptu, quòd diſtillata ſint tenuiſſimarum partium, à fæcibus quippe repurgata.*

Atque hæc ſunt non verba Anonymi noſtri, ſed oracula, grauesq; ac magiſtrales ſententiæ, notatu digniſſimæ. At quem non tædeat ludibriorum, quibus exſibilatur? Aut quis chimycorum ferat illius calumnias, quibus, nobis in obſtructionibus expediendis, ſolas diſtillationes & olea chymica imponit, cùm ſecus infinita alia remedia ex illorum & noſtris libris liceat mutuari? Qui ſi quartum noſtrum conſilium legiſſet, quo cachexiæ nobilis virginis curandæ, remedia varia, ac illorum adminiſtrandorum, (quib. Dei gratia reſtituta eſt) methodum tradidimus; an ſtillatitia olea aut aquas ſolas à nobis vſurpari, confinxiſſet? Sed legat in poſterum chymicos, Medicos, & calumniis inceſſere prudentiùs deſinet. Ibi enim ſatis amplam remediorum varietatem comperiet, quibus in obſtructionibus tollendis ex ſententia Hippocratis abundè vſi ſumus, nec diſtillationes ſolas à nobis vſurpatas, ad tanti morbi curam, tuebitur ampliùs, niſi perfrictiſſimæ frontis eſſe velit. Videbit illic parata hydromelita cum rad. enulæ camp. filicis, chinæ, & paſſulis Corinthiacis, aromatizata vt vocant Cinamomi modico, in cuius ſingulis doſibus aliquot

liquot guttulæ ſpiritus acidi vitrioli inſpergebantur, in quo prius corall. & perlas diſſoluebam, hincque fiebant potiones acidulæ, ſuauiſſimi & gratiſſimi ſaporis. Quibus quidem potiunculis non tantùm obſtructiones ſenſim tollebantur: ſed viſcera etiam intrinſeca ſimul & vnà corroborabantur: hæcque remedia præparabã ad imitationem eorum, quæ a natura nobis ex fontibus mineralibus acidis præbentur, quales ſunt Spadenſes & Poguenſes aquæ, vtpote vitriolatæ & acidulæ. At quis reprehendet aut damnet eiusmodi medicamenta: cùm ad ſimilia, hoc eſt, ad eiusmodi vitriolatas aquas grauioribus & difficilioribus morbis conflictati, præſertim ab obſtructione quotidiè amandentur? Quicunque huiusmodi remedia experti ſunt (quorum numerus eſt innumerus) nunquid leuitatem rideant Anonymi dicentis? *Tu exhibebis aliquod diſtillatum, vt oleum Chymicum: Ego verò decoctum &c.* Quærat ex illis Anonymus, vtrum vulgaria decocta, an verò aquæ illę eiusmodi ſpiritibus vitriolatis impragnatæ magis excellant & præferri debeant? Ceterum vices inſtar apozematum tuorum Anonyme obibant prędicta hydromelita, ſeu diuturna iuſculorum ſumptio: quæ iuſcula fiebant cum rad. graminis fœniculi, oxyl. acetoſę, foliis pimpinel. borra, floribus calendulæ, geniſtæ, cum pullo, capparibus, & vuis corinthiacis facto. Lubens abſtinebam à Cichoraceis, aliisque amaris, faſtidium facientibus, etiamſi morbo congruerent, eò quòd ægra eiusmodi remedia abhorrebat. Pro ſale marino condiebantur ſale Cetherac, abſynth. vel meliſſæ, quæ viſcerum obſtructionibus expediendis, mouendisque vrinis & menſibus aptiſſima ſunt.

In eundem finem quandoque indere iubebam pro ſingulis iuſculis ʒ ß. cryſtallorum, vel cremoris tartari, qui cryſtalli præterquam quòd obſtructionibus pellendis

lendis ſunt apti, ipſa iuſcula grato acore perfundebant, ſuauioremq; guſtum aliquo quouis oxyſaccaro conciliabant.

Ad maiorem craſſorum & tartareorum humorum attenuationem, ante hauſtum hydromelitis, ſumebat pilulam vnam & alteram ex ſequenti maſſa, quam concinnabam cum gummi ammoniaco, in vino albo, vel aceto ſcillitico diſſoluto, additis ſalib. corallorum, abſynthio Chryſtallis tartari eſſentia aloës, mirrha, croco martis, cornu cerui pręparato, & margaritis pręparatis.

Ad deturbandam vel euacuandam ſentinam vtebatur meis pilulis de Aloë, quarum deſcriptionem videbit Anonymus in prędicto meo Conſilio, quę & temperiei ægræ, & cauſæ morbificæ exhauriendæ, aptiſſimæ erant. Hisque vtebatur ſexto quoq; die. An topica in eundemmet finem remedia Anonyme in nobis reprehendes? vel ob inopiam, quaſi ſimus illorum vacui, cùm eorum copiam in eodemmet conſilio abundè ſuppeditemus. Quid iam igitur deblaterare poſſis ampliùs, & nos de tua obſtructione diutiùs interturbare, cùm ad has obſtructiones expediendas multa etiam tibi incognita à nobis ediſcere poſſis? Si nobis cum doctioribus quibusdam Medicis res fuiſſet, qui in huiuſmodi obſtructionibus pellendis verſatiores ac exercitatiores fuiſſent, quas nobis noſter propoſuit Anonymus, noſtris fortaſſe tartareis cremoribus, ac ſalibus abſynthiacis, fraxineis, atq; id genus aliis, nec non croco martis noſtro varia ac diuerſa ſua remedia oppoſuiſſent, detergentia, incidentia, obſtructiones reſerantia, corroborantia, neque vſq; adeò vulgaria ac leuia, qualia ſunt decocta aliaque noſtri Anonymi auxilia, Trochiſcos nempè de Eupatorio, de rab. de abſynthio, de altzerzengi: diarrhodon Abbatis, diacurcuma, dia-

lacca,

lacca, diapraſſium, electuarium de limatura ferri, atq; id genus alia familiaria doctis omnibus Medicis: quę idcircò huc adfero, ne noſtra eorum ignoratione fieri quis putet, vt his omiſſis ad illa noſtra ſuperiora remedia confugiamus, quę & opportunè & aptè vſurpamus, cùm res ita poſtulat. At noſter Anonymus videtur illa vel in ſuę duelitatis pręparantium catalogo pręteremiſiſſe, vel quòd, cùm ſimplex ſit homo, varietate non delectetur, nec compoſitionibus. At nunquid meritò iſtis ſuis iuſculis ac decoctis ſimplicibus acquieſcat, cùm animam medicamentorum in iis ſitam eſſe credat? quid pręſtantius, aut amplius rimetur?

Pręter huiuſmodi varia à nobis commemorata remedia, quę pręter eorum formam communem, poſſumus in pulueres, tabellas, conſeruas, aliaſq; id genus formulas, cùm vſus poſtulat, adaptare: topica etiam habemus auxilia, in diſſolutionem ac emollitionem eiuſmodi obſtructionum, tumorum duriuſculorum, ac ſcyrrhorum etiam, vel lapideorum, in linimenta, vnguenta, cerata ac emplaſtra concinnata: quę quidem fiunt ex gummi ammoniaco, bdellio, ſagapeno, in oleo vel therebinthinę, vel cerę, vel butyri, ſolutis: additis ſuccis cyclaminis, fraxini, oleis de capparibus, de tamariſco, ſpermate ceti, & ceræ tantillum, ad ea in corpus compingenda, ex quibus vel linimenta vel cerata componimus: ſic enim & gummi in prædictis oleis diſſoluta magis attenuant & emolliunt, tantæq; virtutis exiſtunt, vt duriſſima quæq; extenuent, emolliant ac liquefaciant: quę quidem virtus eorũ ex ſubtilitate illa pręparationis, quam gummi in olea ſic à nobis redacta obtinent, eis acquiritur ac infunditur. Hinc noſter Anonymus diſcat, qua ratione Ammoniacum ſic paratum, aut ſolum & ſeorſim in oleũ redactum (prout hęc pręparatio Chymicis familiaris eſt) tàm potẽter opere-

tur,vt diximus, idque promptiùs ac feliciùs, quam eo modo quem affert,cum dicit *non ſua materia ſeu face repurgato,ſed ſyncero & integro admoto.* Quin potiùs quis non videat, ſic noſtris præparationibus roboratum, præſentiùs & materialiter & formaliter ſimul agere, quàm ſi cum ſua craſſitie adhuc vſurpetur.

Sed oſtentationem hominis porrò videamus, qua iactabundus & ἀπαλεκτοςόνιως nos prouocat ad certamen eodem capite: *Faciamus,* inquit, *viſcus aliquod, vt iecur, lienem, ventriculum inflammari: vena ſæpius ſecta & clyſteribus iniectis, ego aſſumptis & admotis refrigerantibus, meliùs ægro ſuccurram, quàm tu quinta quauis eſſentia,quæ calore augebit ardorem.* Ad quæ pauca hæc tibi reſpondeo Anonyme: Conſule & euolue conſilia noſtra, quæ de inflammationibus internis conſcripſi, vbi videas longè præſtantiores à me præſtitas curationes, quam ne animo quidem excogitare, nedum exequi poſſis. Vbi neque ea,quæ Chirurgiam aut manum deſiderant,mihi ſunt ignota,nec qualis viuendi ratio præſcribenda, neque quæcunque ad extinguenda eiuſmodi incendia faciũt Pharmaceutica remedia ea me quoque non fugere, ſiue internè ſiue externè aptanda ſint. Denique quæcunque ars in iſtis requirit, ſiue ad præparandum,alterandum, purgandum,reuellendum,deriuandum,corroborandum, corrigendum, & ſymptomatibus ſuccurrendum, idque iuxta etiam communem methodum medendi à dogmaticis petitam, vt taceam ſpagyrica & ſpecifica remedia, quæ in difficilimis quibusuis morbis feliciſſimè exhibentur. Sed hæc citra arrogantiam,præterquam tuam,dicta ſint.

Conſule igitur diligenter libros noſtros, & meditare ea quæ à nobis præſcribuntur & traduntur remedia: ex quibus non pudeat te multa & præclara in extremo etiam tuo ſenio perdiſcere. Quæ etſi communia ſint,

vtpote

vtpote ex vegetabilium familia petita magna ex parte & iuxta vulgares formulas explicata, nempè per ſyrupos, iulepos, oxymelita, oxyſaccara, potiones, tabellas, pulueres, opiatas, condita, epichemata, linimenta &c. abundè tamen erit, vnde fructum ex additamentis noſtris in præparatione reportes. Hinc etiam iudicabis, non ſolùm tua vulgatia eſſe mihi notiſſima, ſed petitia noſtra longè meliora ac potentiora reddi, nec nos ſimplicibus ſolùm vti eſſentiis, quas tu totas calidiſſimas, ac ideò noxias opinatis, amplius credere perges. Norunt enim Chymici arte ſua frigidas eſſentias educere, nec non olea, macerando ſcilicet in aqua, quatuor ſemina frigida, ex quibus atque ex ſeminibus papaueris, ea olea extrahunt, aut eſſentias quas tu negare frigidas non auſis. Quinetiam apertè tibi ex ſyrupis in Pharmacopœa noſtra deſcriptis, ex ſuccis limonum, florum violarum, bugloſſi, cichorii, ac ſola balnei coctione ac digeſtione, ad ſummam puritatem redactis, (vt vel tantillo ſaccari, præ vulgari ſyruporum præparatione, conditi ſeſe diu tueantur, ac conſeruent) liquebit ac innoteſcet, eſſentias noſtras alterius longè eſſe naturæ, quàm tua fert hallucinatio. Sed hoc imperitiæ in ea arte tuæ condonandum. Hoc vnum tantùm te ſcire velim de metallicis eſſentiis, vnum ſincerum vitrioli ſpiritum, cum dulci acore virorem ſuum retinentem ſiue in ſyrupum citra quicquam aliud cum ſaccaro peculiariter redigatur, vt fieri poteſt: ſiue ſyrupo violarum violaceo immiſceatur, quem purpureo vini colore iucundiſſimè tingit & exornat, indendo ſimul acidulum quendam ſaporem, eumque gratiſſimum: ſiue etiam per ipſum ſpiritum, colores ac tincturę florum roſarum rubearum, violarum, cichorii & bugloſſi, vnà cum eorum aquis, aut coniunctim, aut ſeparatim extrahantur, vſque adeò in ſingulare & ſpecificum remedium euadere,

dere, ſedandis ac extinguendis eiusmodi ardoribus ac inflammationibus aptiſſimum, idque confeſtim, vt vix in tota medicamentorum officina ſimile vllum occurrat. Sed vereor ne iſta captum ingenii Anonymi noſtri ſuperent, vt qui etiam nō ſit hæc probaturus. Attamen ſatis eſt, quòd huiusmodi medicamentum à maxima Medicorum parte extinguendis febribus, ignibus congruentiſſimum agnoſcatur. Sed vereor ne chymicorum iſthæc præparandorum remediorum ratio ipſi arrideat, aut ſequi velit, quippe qui iam dudum Doctor docens diſcipuli diſcentis partes ſubire nunc erubeſcat. At imitandus ſibi ſapiens ille Philoſophus, qui ſemper multa diſcendo ſeneſcebat. Cæterùm quid attinet plura de ſpiritus vitrioli laudibus dicere, cuius experientia omnibus propè ingenioſis Galliæ Medicis notiſſima, ac perſpectiſſima eſt: quemadmodum & vſus lapidis prunellæ, qui ex ſale petræ depurato conficitur, quo vtuntur in Vngaria, in febre vngarica, quæ eſt febris ardens Cauſus dicta: & præſertim ad occurrendum ſymptomati, quod illam febrem comitatur, quodque prunellam vocant, quæ eſt inflammatio linguæ fauciumque cum nigredine. Poſſem etiam totam huc Germaniam adducere, quæ vbique apud omnes, tùm dogmaticos, Chymica remedia, ac præſertim ſpiritus vitrioli ad arcendos febriles ardores commendat & recipit: ſed inſtabit Anonymus, ac nonnulli alii eius aſſeclæ, conclamabuntque totam illam Regionem Germanicam hæreſi illa Paracelſica, quam vocant, eſſe conſpurcatam, ſibique ab illis, tanquam à peſtifera lue graſſante, cauendum eſſe. Hoc igitur Medicorum Germanorū teſtimonium non poſſet non illis eſſe ſuſpectum & odioſum, licet grauiſſimi ſint viri, bonęq; fidei, qui de illis teſtari illud poſſint: quales ferre ſolet iam à multis annis Germania felix, eosque tant ę eruditionis, ſagacitatis, in-

duſtriæ & probitatis, vt vix tota Europa ſimiles nedum præſtantiores alibi progignat aut alat: nec dubium eſt, quin tandem iniuriæ ſibi illatæ, quam communem cum omnibus aliis chymicis compatiuntur, & qua priuatim tanquam Medicinæ conſpurcatores ac peſtes etiam occlamantur, acerrimi futuri ſint vindices.

Ceterum, quod ad ſanguinis miſſionē attinet, quam iſte Anonymus, tanquam ſupremum inflammationum auxilium profert, idque ſi crebra illius fiat repetitio, ſciat nobis hoc magnum & vniuerſale remedium quoque probari: ſed à nobis prudentiùs & cautiùs melioreque artis œconomia adminiſtrari, quàm quibus mult m profuſa eſt & prodiga manus.

Sed quid cum imperito artis chymicæ, in collatione chymicorum remediorum cū vulgaribus, diutiùs contendam, quem vel villicus quiuis Medicus in certamine paruipendat, & longè potiora illius garrulitate doceat? Norunt plerique omnes mente præditi, nec quiſquam ſit (niſi cui ſtupor ingenii animi prorſus oculos excæcarit) qui eat inficias, ornamentum & ſplendorem quàm maximum, nec non admirandos fructus ac vtilitates Medicinæ à Chymia, infinitis eius elegantibus operationibus additas. Cuius rei fidem faciet Pharmacopæa noſtra dogmaticorum, quam aptè vereque teſtitutam voco, ob inſignem omnium remediorum inſtaurationem & ad meliorem ſtatum reductionem, nec non complura dictorum virorū ſcripta de eiuſmodi remediorum præſtantia ac vtilitate idem teſtabuntur.

In eodem capite Anoymus noſter in frontiſpicio ſuperbum hunc titulum oſtentat: *Chymicorum remediorum cum ordinariis & conſuetis accuratior comparatio:* perſtringit obiter, ſed ineptè admodum ac frigidè, tria illa noſtra principia, vbi me videtur ad certamen prouocare, vt illius inſcitia magis innoteſcat, quę iam plus ſa-

tis per ſe patet, quùm de iis diſſerere audet, in quibus proſſus cæcutit. His igitur verbis orationem ſuam contexit: *In remediorum materia communi, qualem fingitis ſale, (*ſcilicet*) ſulphure & mercurio, non remanet natiuum temperamentum. Cum enim temperamentum pendeat ex modo mixtionis, miſtio ex quatuor primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, ſicci vnione, quo iure in tres ſubſtantias, ſalem, ſulphur & mercurium mixta ſeparatis? Poteſt ne in ſingulis totius temperamentum permanere? Quæ mixta conſtituebant certam temperiem, nunquid eam perdunt ſeparata?*

Quanta admiratione ab eius farinæ hominibus excipiuntur emphaticæ interrogationes? Quantis laudibus tot graues & aureæ ſententiæ à ſuæ ſortis lectorib. efferuntur? Quàm bellum illi & glorioſum triumphum canent, vt qui ex tàm eleganter dictis & interrogatis victoriæ palmam reportarit: Quis poſſit Chymicus refragari? Hæc hæc illorum principia ſic quatienda fuerunt. Oportunè fundamentis illorum ſubſtratis & ſolo adæquatis, toti nunc ædificio corruendum eſt. At ſiſtite paululùm gradum, nec canite triumphum ante partam victoriam. Diſcutite nebulam aut etiam cataractam, oculos mentis veſtræ obtegentem. Tu verò Anonyme ſereno & pellucido intellectu excipe, quæ mox tibi ſum reſponſurus. Tibi enim vt Cenſori hanc cohortationem de induſtria voueo, quòd certò ex auditu dignorum fide hominum acceperim, auidè à te noſtram reſponſionem expectari: vt cui in promptu ſit reciprocæ iteratio reſpõſionis, in qua nihil quicquam tibi difficile aut ἀδύνατον etiam videatur. Eià igitur hanc tibi telam retexendam, quam tibi voui, aſſumito: nec illi diſſuendæ Phyſicalium tuarum aut Metaphyſicalium propoſitionum quicquam aptum & efficax omitte.

CAP.

CAP. XII.

Quo de principiis rerum naturalium in genere, idq; iuxta vulgarium Philoſophorum ſententiam diſceptatur.

REieciſſemus libenter in librum noſtrum de Recō-dita rerum natura tractatum hunc de tribus principiis, ſale, ſulphure & mercurio, omni mixto corpori inſitis: niſi riſus Sardonicus Anonymi noſtri ideam hic quandam illorum adumbrare, quæ de eis fuſiùs explicaturi ſumus, ac proponere ſuo loco nos cogeret.

Si principii nomen propriè competit ei rei, à qua res aliqua ſuum eſſe primò ſortitur, neque ab vllo aliquo principio pendet: Aut principium illud ſit ex Platonis ſententia in Phædone, à quo & ex quo res omnes fiunt, ipſum verò per ſe ſubſiſtit, & ex nullo alio trahit eſſentiæ ſuæ originem, Deum ipſum primum agens, ſolum & verum rerum omnium principium, ac cauſam efficientem æquum eſt agnoſcere.

Ab ipſo primo principio natura tanquam ſecundum principium procedit, vt pote quæ ab ipſo Deo verbi eius virtute fiat, rebus omnibus indita ac inſita ſit. Quę re vera poſt primum illud principium, nobis ſanctè colendum, ſedulò nobis inquirenda & indaganda eſt: cuius vtique cognitio maximè neceſſaria, ac ſummè vtilis futura eſt, nec non elegantiſſima ac iucundiſſima eius perueſtigatio. Vtilitas hinc patet, quòd omnium rerum, quæ ex ea conſtant, & à qua nomen mutuantur, quòd naturales res dicantur, cognitio inde promanet, ſiue res ſint ſenſibus peruię, ſiue à ſenſib. excluſæ. Hinc magni Philoſophi tùm Chriſtiani, tùm Ethnici, ſignificationem nominis naturæ rebus propemodum omnibus adaptare impulſi ſunt. Ita vt vel ipſe Ariſtoteles in ea diuiſione, quam inſtituit naturæ, in primam & ſecundam, cùm de prima loquitur, quam naturā naturan-

tem vocat, per eam de Deo verba facere ſe intelligat.

Quin & Zeno pariter Stoicorum princeps promulgabat, naturam nihil aliud quàm Deum eſſe. Atque hinc eruitur ratio, cur Lactantius cap. 10. lib. 6. de ira Dei, & cap. 26. diuinarum Inſtitutionum, nec laudat, nec vsque adeo probat Senecam, etſi Stoicorum acutiſſimum, aliam ob cauſam, quàm quòd cum præceptore naturam, fatum, fortunam vnius & eiuſdem Dei, varia ſua poteſtate vtentis, nomina eſſe ſcripſiſſet.

Prima igitur natura naturans Deus eſt. Secunda verò, quæ propriè natura eſt, ſubdiuiditur in vniuerſalem & particularem. Vniuerſalis ordinaria eſt illa Dei potentia, per totum orbem diffuſa, à qua dicitur natura hoc vel illud pati, item hoc vel illud agere, vt docet *Aug. 2. de Ciuitate Dei.* Lactant. *lib de ira Dei cap. 10.* Atque inter Ethnicos Plin. *lib 2. cap. 7.* Seneca *lib. 4. de benef. cap 7.*

Hæc vniuerſalis natura ſumitur etiam pro virtute diuina, quam Deus omnibus creaturis indidit ac implantauit: cuius beneficio quædam diuinitatis notæ in eis obſeruantur. Vnde antiqui quidam moti ſunt, vt dicerent, *Omnia Deorum eſſe plena.* quod quendam Heraclitum Tarentinum dixiſſe ferunt. Ab aliis hæc natura accipitur pro influentia quadam & virtute, qua aſtra in hæc inferiora agunt: ſeu pro virtute actiua in cauſa vniuerſali, i. in corpore cœleſti, vt voluit Thomas lib. 9. ſuper 2. lib. de cœlo. Præterea ea eſt natura vniuerſalis, de qua Plato loquitur in Timæo, quùm ait: *Natura eſt quædam vis infuſa per omnia, corporum moderatrix & nutrix, principium motus & quietis per ſe in ipſis.* Quam naturã Hermes Trimegiſtus iiſdemmet ferè verbis dicit eſſe vim quandam à prima cauſa ſubortam, diffuſam per omnia corpora, per ſe, principium motus & quietis in ipſis.

Hanc

Hanc vim Pythagorici dicebant eſſe Deum. Ideoque Virgilius magnus Pythagoricæ diſciplinæ ſectator, ſic ſcribebat: *Spiritus intus alit, &c.* Platonici animam mundi eam vocarunt.

Sed qua ratione, quibuſue modis, Anima iſta mundi omnia hæc inferiora moderetur, generationesque rerum excitet, inter illos ſatis non conſtat. Hæc tamen ſententia eorum eſt, qui inter alios acutiùs & doctiùs philoſophati ſunt, quique dixerunt, hunc mundum, qui ſub toto ſuo ambitu complectitur continetq; quatuor elementa, ac prima naturę principia, magnum eſſe quoddam corpus, cuius partes inter ſe ita connexæ ſunt & colligatæ, (quemadmodum in vno animalis corpore membra omnia cohærent) vt nulla non vel minima partium tanti corporis beneficio vniuerſalis illius Animæ, quam mundi animam vocarunt, animetur ac ſuſtentetur: aſſeruntque porrò, ſi animalium corpora vbique ſui vitam & ſubſiſtentiam à ſua anima, qua fruuntur, hauriunt, multò magis in longè nobiliore ac præſtantiore totius mundi corpore illud ipſum fieri: idque à potentiore ac longè illuſtriore anima, qua præditum eſt ac ſubſiſtit mundanum iſtud corpus. Si enim mundi partes ſingulæ vita potiuntur, vt conſtat, ſequitur & totum viuere: ſiquidem à toto partes vitam ſuam hauriunt, à quo ſeparatæ intereunt. Atq; inde inferunt, cœlum omnia ambiens Animam eam eſſe, quæ cuncta fouet ac ſuſtinet. Quin & addunt, ab anima illa mundi formas rerum, virtutes, poteſtatesq; omnes proficiſci, quibus res omnes fouentur, ſuſtentantur ac ſubſiſtunt. Ac quemadmodum anima & corpus in vnum colligantur, ſpiritus tanquam vinculi vtrumque coniungentis beneficio, quòd vtriusque naturæ ſit particeps: ſic anima & corpus mũdi vincta ſunt ac cohęrent, mediantib. ac intercedẽtibus ſpiritibus ęthereis, vtram-

que totius partem in vnum ὑφιςάμενον copulantibus. Neque tamen inde inferendum, quod nonnulli Platonici ſenſerunt, Aphrodiſæus inquam, & Philoponus, mundum ſcilicet animal quoddam ingens eſſe ſenſu ac intellectu præditum, ſapiens ac felix: quæ abſurdiſſima vtique & falſiſſima opinio eſt, quàmque ſecundo libro ſpeculi noſtri magni abundè confutauimus ac exploſimus. At per mundi animam Platonici potiùs ſpiritum quendam nobis ſignificarunt, omnia fouentem, animantem, conſeruantem ac ſuſtentantē, quaſi quoddam ſpiritus illius Elohim, qui ferebatur aut incubabat ſuper aquas, veſtigium. Cuius etiam Plato, vtpote hiſtoriæ Geneſis non ignarus, meminiſſe potuit &, animam inde ſuam mundi conſtruere. Vnde fit etiam, vt inferiora hæc omnia, alioqui caduca & infirma, eſſent breui corruitura, niſi diuina illa vi, animam mundanam perpetuò fouente ac ſuſtinente, conſeruarentur, ac ſubſiſterent; quibus alioqui diffutis, magna totius mundi confuſio ac perturbatio naſceretur. Quā Deus ruinam ſumma ſua bonitate auertere voluit, naturam illam vniuerſalem creando, quæ totum hoc opificium virtute ſua ac moderatione in integritate ſua tueretur: idque perenni ac continua cœli octaui rotatione, aſtrorum, planetarum, aliorumque ignium cœleſtium influxibus & virtutibus, cuncta ritè gubernarentur, ac in ſtatu ſuo, ad prædeſtinatum vsque ſuæ diſſolutionis tempus firma conſtanter remanerent. Huius ætherei ſpiritus, aut potiùs diuinæ illius virtutis vbique potentis ac efficacis fidem facit Plato in Timæo, cùm ſic loquitur: *Quùm igitur Deus ſempiternus hoc vniuerſum condidiſſet, rationum quædam ſemina ipſi indidit, & vitæ exordium diuinitatis induxit, vt cum mundo vim quoque procreatricem gigneret.* Vbi noſtra confirmatur explicatio, quam de anima mundi ſuprà attuli. Quod etiā conſentit cum eo,

quod

quod ſcripſit Propheta Moſes, nec non cecinit Pſalmiſta Dauid, his verbis: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, cum ſpiritu eius oris omnis virtus eorum.* Ex qua ſpiritus viuificantis virtute magnus ille Trimegiſtus, præ omnibus aliis Philoſophis in ſacris Moſis ſcriptis verſatiſſimus & exercitatiſſimus, diuina hæc eloquia protulit libro 2. qui Aſclepias vocatur: *Spiritu* (inquit) *agitur & gubernatur omnis in orbe ſpiritus. Spiritus implet omnia: mundus nutrit corpora, ſpiritus animat. Spiritu miniſtrantur omnia & vegetantur in mundo.* Poſtea addit: *Item nunc quæ reſtant in hac ratione, audito, hoc ſpiritu vt antè ſæpè diximus, omnia indigent. Omnia enim portat, pro cuiusque dignitate omnia viuificat & alit. A fonte ſancto producitur vita & ſpiritu fæcundiſſimus.* Ex quibus verbis vtique diuinis apertè liquet, æthereum hunc & viuificum ſpiritum vbique in omnes res infuſum ac inſitum eſſe: vnde non ſit abſurdum, omnium rerum naturalium actiones, vires ac poteſtates à ſpiritibus tanquam cauſis deducere ac deriuare.

CAP. XIII.

Quo de particulari & phyſica rerum ſingularum compoſitione tractatur.

ABundè ſatis, quæ de primo & ſecundo principio, Deo videlicet ac natura vniuerſali, dicenda erant, diſſeruimus. Deum, vt primam & potiſſimam cauſam, generali illa natura tanquam miniſtra vtentem, quoque diximus. Reſtat vt de natura naturata, vt ita loquar, hoc eſt, particulari nunc tractemus. Quæ quidem vt aptè & congruè diffiniatur, aliud nihil eſt, quàm corpus omne naturale, forma & materia conſtans. His enim duabus ex cauſis, nec tantum ex cauſis, ſed tanquam totius etiam compoſiti partibus omnis natura, hoc eſt, corporale corpus omne conſtituitur. Exiſti-

mant enim Peripatetici, particulari quodam iure, vel naturam debere dici, quod omnis generationis principium eſt. Id enim, vnde fit quippiam primò, & vnde primùm motus, mutatioque incipere ſolet, verè principium Ariſtoteli dicitur *Metaph. 5. cap. 1.* Principium, inquam, vnde oritur rerum omnium naturalium eſſentia. Quam naturam alibi diffinit Ariſt. principium ſubſtantiale & cauſam motus & quietis eius, in quo eſt primò & non per Accidens; cuius definitionis explicationem octo libris complexus eſt. Meritò autem naturam vocat Ariſtoteles cauſam & principium motus interni. Quæ enim res à natura factæ ſunt, quæque idcircò naturales dicuntur, principium habent quoddam motus, quo ſponte non vi per ſe mouentur. Vnde eluceſcit diſcrimen inter ea, quæ naturalia ſunt, vt quæ efficaci ſpiritu, ac per ſe agendi virtutibus dotata ſunt: & ea quæ arte conſtruuntur, quorum nulla eſt vis, nec agendi poteſtas, at mortua omnique ſenſu ac motu carentia.

Ex his patet, res naturales entia propriè naturalia dici, quæ ſcilicet habent naturam. Habere autem naturam dicuntur, quæ principium ſui motus & ſuæ quietis in ſe ipſis poſſident, quod quidem principium motus cuiusvis rei eſt, aut forma aut materia de qua loquuti ſumus, Forma, quæ tota ſpiritualis eſt, ſuos motus omnes habet ſpirituales. Sic anima huiuſce naturæ eſt in animali motus ſenſusque planè cœleſte, ſpirituale, ac leue principium. Materia verò terreſtre, ponderoſum ac corporale, alterum naturalis motus principium: Cuius pondere & craſſitie corpus deorſum vergit, ita vt huiusmodi motus ab anima aut forma ſpirituali nō prodeat: ſed mediante materia corporali, terreſtri ſcilicet ac graui ſuapte natura. Hinc fit vt naturæ nomen promiſcuè & materiæ & formæ præbeatur: formæ tamen aptiùs ac congruentiùs; quòd forma per ſe rei ſuum

ſuum eſſe actu & manifeſtè tribuat: materia verò ſola id præſtare nequeat. Nec enim quoduis animal actu animal eſt ſubſtantià materiali naturalis animalis, hoc eſt, ſenſum & motum non accipit à corpore illo ſolido, terreſtri & ponderoſo: at à ſola ſpirituali forma, anima nempè, corpus mouente & vitalibus virtutibus informante, vt hoc exemplo patere poteſt.

Equus actu & re ipſa eſt equus, quùm hinnit, mouetur, ſaltitat, currit, calcitrat. At huiusmodi motus, qui ſpirituales ſunt, formæ aut ſenſitiuæ animæ effectus & operationes exiſtunt, cùm alioqui ratione corporis nil niſi quid terreſtre, graue ac mortuum etiam ſit, licet viſibili corporis forma & lineamentis equus eſſe videatur: quanquam nec anima ſola equi equus etiam dici poteſt, niſi cum corpore copuletur. Vtrumque enim iunctum & vnitum conſtituit equum. Quæ fuſiùs hic à me dicta ſunt, in hunc finem tendunt, vt agnoſcat Anonymus, ſe ſibi nimis iniurium eſſe, qui materialis magis eſſe ſtudeat, quàm formalis; quùm forma longè lateque præſtantia & nobilitate materiam ſuperet, vt jam docuimus, & paulò poſt dicturi ſumus, cùm de tribus hypoſtaticis principiis, ſale, ſulphure, mercurioque agemus. Quorum tractationi neceſſe fuit, vt aliquid de cauſis, & principiis primis, corpus phyſicum conſtituentibus, obiter præmitteremus, idque ex ſapientum Philoſophorum tùm Chriſtianorum, tùm Ethnicorum opinione & ſententia.

Satis igitur, quid natura illa ſit, apertè docuimus, quidque per eam intelligatur. Quod ad effectus & operationes eius attinet, diximus illam ea poteſtate pollere, vt generet & eſſentiã rebus omnibus largiatur, materiam formis induat & exornet, vt nihil patiatur corrumpi, quod noua forma ſtatim non inſtauret ac renouet, in ſuoq; ſtatu omnia conſeruet. Quas quidem ſuas

virtuteș

virtutes ac poteſtates ſatis apertè indicat, cum ex elementis, rerumque ſeminibus ac principiis noſtris hypoſtaticis, entia omnia effingit, ac magna impreſſionum vitalium ſpirituum varietate, colorum, ſaporum, atque id genus δυνάμεων proprietatibus informat, vt quantũ cuiq; rei ad vſum dignitatemq; officii tribuendum eſt, tantum tribuat. Quam quidem rerum conſtructionem ita aptè, congruè, ordine, numero & menſura efformatam, diuinam licet dicere, non terreſtrem aut corpoream, quamuis ſit ea naturalis iuxta potentiam, quam Deus naturæ impertitus eſt. Neque tamen ceſſantem & otioſum eſſe Deum credendum, vt tàm potentes & admirandi effectus naturæ ſoli concedantur, vt ſenſit Anaxagoras, Protagoras & alii complures ἄθεοι Philoſophi, qui nullũ Deum præterquam naturam agnorunt, quales etiam Epicurei extiterunt. Qui quidem ſi accuſandi ex tàm peruerſa opinione, damnandique ſunt, non minimam etiam reprehenſionem illi merentur, qui naturæ in agendo ſuas partes denegant; ita vt & primæ & ſecundæ cauſæ ſua cuique tribuenda ſint, ex Dei prædeſtinatione, officia. Nec contrà faciunt hæc quæ de Deo dicuntur: *Deus operatur omnia in omnibus.* Item *in ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Etſi enim hæc vera ſunt, conſtituit tamen naturam intermediam, per quam virtutibus agendi ab illo locupletatam omnia inchoat, fouet, ac perficit. Idcircò cauſa ſecunda Natura dicitur, quòd per eam tanquam inſtrumentũ vitale Deus, prima cauſa, omnia efficiat. Sic enim Deus alit homines pane, in quo vim nutriendi naturalem poſuit; vt natura panis dicatur etiam alere, eò quòd forma naturalis panis eum ad alendum prædeſtinarit. Sic igitur iſta concilianda ſunt, vt Deum cauſam in omnibus aliis cauſis operandi primam agnoſcamus, quia & cauſas fecit, &

vim

vim aperiendi dedit, ac ſimul cum ipſis operandi, naturam verò per vim ſibi à Deo prima cauſa inditam, omnes operationum motus ſua agendi poteſtate, excitare, dirigere, ac moderari credamus. In natura igitur ſecundum Deum, ſpiritualibus virtutibus potente, per quas agit in materiam, quęrenda eſt nobis omnium actionum naturalium cauſa & forma: cùm à materia per ſe mortua, vt iam diximus, nihil vitale, aut agendi facultatibus præditum proficiſci queat.

Cap. XIV.

De tribus Chymicis principiis, quæ in quouis naturali corpore continentur, ipſumq; conſtituunt: necnon de eorum facultatibus ac proprietatibus, deq; elementis & eorum numero, ex Hermeticorum ſententia,

Longe lateque patet hoc principii vocabulum. Vt enim omnes artes & ſcientiæ; ſic omnes res ſua habent propria & deſtinata principia. Horum autem alia ſunt conſtituentia, alia demonſtrantia: vel ſi mauis, alia ſunt rerum, alia notionum. Contra hoc argumentũ variis & diſſentientibus inter ſe opinionibus antiqui Philoſophi ſeſe effuderunt. Democritus ac Epicurus in principia nobis obtruſeruut inane, infinitum, atomos, quorum concurſu omnia corpora conflarentur. Diodorus Cronus cognominatus ex corporibus minimis & indiuiduis, tanquam principiis, res componi dicebat. Empedocles omnia quæ componuntur ex diſparibus iiſdemque conſentientibus naturis concreſcere cenſuit. Pythagoras lineas, figuras atq; numeros rerum omnium principia eſſe ſtatuit: ita vt ſinguli ſuas ſententias vndequaque rationibus ſuis fulcirent. Sed cùm hæc à plerisq; probatis autoribus, tanquam futilia ac inania,

nia confutata & exploſa ſint, fruſtrà his fuſiùs excutiendis & agitandis diutiùs immoremur. Academicorum autem & Peripateticorum ſententiam potiùs audiamus, quos de principiis rerum doctiùs diſputaſſe & meliùs ſenſiſſe, propiusque ad veritatem acceſſiſſe conſtat.

Plato de principiis differens modò tria conſtituit, Deum, exemplar & materiam; modò duo tantùm ſtabilit, infinitum, nempè & terminum materiam infiniti nomine, termini verò formam innuens, tanquam rem ſiſtentem, & finibus aut cancellis ſuis materiam vagam & excurrentem, coercentem, Ariſtoteles non procul receſſit à ſententia præceptoris, etſi aliis verbis ſuam explicarit, quæ tamen eodem recidunt. Siquidem quod Plato terminum dixit, formam vocauit Ariſtoteles. Quod Plato infinitum, materiam dixit Ariſtoteles, tertium principium priuationem ſeorſim conſtituens. Quæ cùm ita habeant, abſurdum videri non debuit Anonymo noſtro, in conſtitutione noſtrorum trium hypoſtaticorum principiorum, nec falsò ei perſuaderi, à nobis antiquorum Philoſophorum principia euerti, tot iam ſeculis adhuc comprobata. Quin potiùs credere debuit nobis cum illis facilem eſſe in hoc argumento conſenſum ac concordiam. Si enim Ariſtoteli ſua tria concedimus principia, quid diſſidii cum illo nobis futurum eſt? Admittimus, ſi placet, diſtinctionem, qua principia ſua partitur in materiam primam, ſimpliciſſimam, ac remotiſſimam omnes formarum viciſſitudines ſuſtinentem; vel in qua eſt potentia, vt poſſit omnibus formis ſubiici, & in duo ἀντικείμενα formam ſcilicet & priuationem. (quæ habilitas eſt in ſubiecto formę recipiendæ) Hæc principia concedimus eſſe omnium prima & ſimpliciſſima, ex quibus res omnes naturales primùm conſtant. Quæ quidem principia ſunt notionum, intellectu potiùs quàm ſenſu

per-

perceptibilia. Vt tamen nec ab illis noſtra diruuntur, quæ conſtituimus earum rerum principia, ex quibus proximè res omnes mixtæ componuntur & conſtant: ſic à noſtris Ariſtotelica nequaquam conuelli certiſſimum eſt. Totus enim hic orbis in duos globos diuiſus eſt, ſuperiorem videlicet, cœlum æthereum (quod ab ardendo, fulgendo vel lucendo, ἀπὸ τοῦ αἴθειν ſic dictum eſt: quodque igneum cœlum, formale & eſſentiale elementū eſt) nec non aerem ſeu aereum cœlum conſtituentem: & inferiorem globum, qui quidem complectitur aquam & terram.

Quæcumque autem quatuor iſtis corporibus comprehenduntur, quæ elementa ſunt & receptacula rerum omnium, vel res ſunt ſimplices, vel corpora ex illis mixta & compoſita.

Simplicia ſunt, quæ ex aliis prioribus ſeorſim exiſtentibus non ſunt, ſed ex quibus omnia fiunt, & in quę reſoluuntur omnia. Compoſita ſiue corporea ſunt, quę tùm ex ſimplicibus ſunt, tùm in ſimplicia diſſoluuntur.

Simplicia porrò diſtinguuntur in ea, quæ ſunt ſimplices formæ, & ea quę materię ſimplices ſunt: aut in ea quæ ſimpliciter formalia ſunt, & ea quæ ſunt ſimpliciter materialia. Sic corpora diuiduntur in corpora materialia & corpora formalia.

Quæ ſimpliciter formalia ſunt, aſtralia & ſpiritualia: elementa ſunt formalia: ſemina formalia, & tria principia formalia: hoc eſt, quæ ita ſpiritualia ſunt, vt ſenſibus noſtris non occurrant.

Elementa autem formalia, de quibus nobis eſt ſermo, ea nobis dicuntur, in quorum ſinu rerum aſtralia ſemina & formalia principia, vt in ſua propria receptacula diffuſa & repoſita ſunt: in quibus ſimplicibus & ſpiritualibus elementis ſeminum & principio-

rum

rum ſpiritualiũ fœcundæ & viuificæ ſcientiæ, proprietates & radices rerum omnium propagandarum delitefcunt. Omnis itemque habitus, diſpoſitio, figuræ omnes, qualitates, quantitates ſeu dimenſiones, ſapores, odores, colores includuntur: quæ ſuis temporibus oportuna maturitate ex ſinu illorum efflorefcunt. Atque hæc ſimplicia elementa, aut etiam principia tanta ſympathia ac amicitia, ſpiritualia ſemina amplectuntur, & hæc mutuam reddunt elementis & principiis reciprocationem, vt ſemel à parentibus in ſpeciem aliquam aut indiuiduum traducta, nunquam finem faciant (ſuæ vnionis cum ſimplicibus elementis recordatione) quin tandem denuò, corporum naturalium prędeſtinatione & lithurgia conſummata, ad auos ſuos & proauos retrogrediantur, ibique cõquieſcant: quemadmodum flumina ex ſuo elemento maris progreſſa, atque huc & illuc diffluentia, relictis vbique tandem & depoſitis fœtibus (ceu aluo exonerata) ad matrices ſuas & principium redeunt: vnde nouas vires mutuo amplexu ſobolis propagandæ ſuſcipiunt. Quę quidem ſunt (vt iam diximus) Socraticorum in Parmenide, Stoicorum, de cauſa continente, Anaxagoræ de ſyncriſi atomorum & Hippocratis libris de diæta opiniones.

Atque hæc perpetua circulatio eſt, qua cœlum terræ maritatur, & inferiora elementa cum ſuperioribus coeunt. Perpetuis enim vaporib. ex centro terræ in aquas expulſis, & ex aquis in aerem euectis, aſtrorum cœleſtiũ attractione, nec non vi & appetitu elementorum inferiorum, edendæ prolis, ac concipiendę ex cœlo, ſeminibus hinc inde concurrentibus tandem elementa redeunt ad ſuos parentes, grauida & cœleſtibus formis imprægnata: ibique ſemina ſua fouent, dum tandem oportunè parturiant & fœtus ſuos excludant. Quę quidem imprægnatio aliunde non procedit, quàm ex aſtralibus

libus illis ſeminibus tribusq; formalib. principiis, mercurio, ſulphure & ſale, omni ſcientia, proprietatib. virtutibus, & tincturis inſtructis: ſibi ex ſpirituali ſuo corpore, materiale ſibi accommodent, ac ſuis proprietatibus animent ac exornent. Siquidem mercurii eſt partibus vitam elargiri: ſulphuris incrementum corporis dare: & ſalis duo illa compingere, & in vnum corpus firmum coagulare.

Tria igitur hæc formalia principia à nobis ex ſuis officiis ac proprietatibus deſcripta, etſi magis ſpiritualia ſunt, quam corporalia, iuncta tamen cum elementis ſimplicibus materiale corpus mixtumque ac compoſitum conſtituunt, augent, fouent, & in ſtatu ſuo ad prędeſtinatum vſque finem conſeruant.

Cum autem ſeminum proprietates, ſignaturæ & poteſtates inſitæ ſint & incluſæ illis principiis, vitalesque ſuas qualitates ſaporum, odorum, colorum in ipſis quoque occultas habeant, etſi materialia vtcunque ſint illa ſemina: naturam tamen formæ potiùs ęmulātur quàm materię: elementa verò contra materiæ magis adhærent, quàm formæ. Idcircò ea vocantur à Philoſophis ſimplicia principia formalia propriè & κατ' ἐξοχὴν, quòd formalia & potiora ſint, ornata atque ditata, primis ac præcipuis ſeminum aſtralium facultatibus. Elementa verò dicuntur principia materialia ſimplicia. Illis actiuæ qualitates, his paſſiuæ tribuuntur. Atque ſic ex illis vtriſque ſecundariò quaſi, & quàm proximè, vt dictum eſt, omnia mixta corpora componuntur ac ſubſiſtunt.

Hæc ita eſſe, nec plura tribus illis principiis in rerum natura inueniri, interna corporum naturalium anatomia, diuiſione, partitione ac reſolutione paulò poſt demonſtrabimus. Subiiciemus etiam oculis ipſa elementa, quæ cum hypoſtaticis illis principiis iun-

cta corpus naturale conſtituunt. Quin & pariter oſtendemus,ac minutim ſingula ita excutiemus, vt facultates,proprietates & qualitates,tum actiuas,tum paſſiuas in tribus verisque principiis videndas exhibeamus. Vnde non exiguus fructus prouenturus eſt: futurumque ſit,vt Anonymus noſter diſcat aliò quàm ad ſolam craſin & mixtionē elementorum referendas eſſe, & morborum cauſas,& remediorum facultates.

Si igitur propiùs ac minutiùs ſingulorum indiuiduorum generationem intueri ac texere velimus,comperiemus verum eſſe quod diximus: Simplicium nempè principiorum alia eſſe formalia & ſpiritualia, alia materialia, corporea & viſibilia. Inuiſibilia autem eſſe elementa ſimplicia formalia,ſemina aſtralia & principia ſpiritualia. Viſibilia verò eadem eſſe, ſed materiali corpore induta. Quæ quidem duo corpora,ſpirituale & materiale, inuiſibile & viſibile,in omni indiuiduo continentur, etſi ſpirituale non niſi ratione motus, vitæ & functionum cerni queat: attamen ineſt. Quæ quidem viſibilia & materialia corpora ſunt trium generum.

nempè { ſeminum. principiorum. elementorum.

Horum alia ſunt { actiua,vt ſeminum,principiorum, paſſiua, vt elementorum.

Corpora ſeminum viſibilium actiua,ſeu in quibus eſt aliqua δύναμις, ſunt { ſemina animalium Venere euibrata. ſtirpium in ſuis thecis incluſa. foſſilium, magna impedimentorum mole obruta.

Quæ

Quæ omnia latentes ſub ſe habent ſpiritus.

Corpora actiua principiorum	humida duo	Mercurius. Sulphur.
	ſiccum vnum,	ſal.

Mercurius eſt liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis: puriſſimum & æthereum illud corpus ὀσιώδες: Aerea, ſubtiliſſima, viuifica, ac ſpirituoſa ſubſtantia, pabulum vitæ, & ὀσία ſeu forma proximum inſtrumentum.

Sulphur eſt humidum illud, dulce, oleaginoſum, viſcidum, ſubſtantificum primigenium: ignis ſeu caloris naturalis pabulum, leniendi & agglutinandi vi præditũ.

Sal, corpus eſt illud ſiccum, ſalſum, purè terreum, ſalis naturam repręſentans, mirandis virtutib. præditum, diſſoluendi, coagulandi, detergendi, euacuandi, & infinitis aliis facultatib. quas in indiuiduis, & ab indiuiduis ſuis ſeparatas in aliis corporibus exercet.

Hæc tria principia ab Hermete olim antiquiſſimo Philoſopho dicta ſunt ſpiritus, anima, corpus, vt Mercurius ſit ſpiritus, ſulphur anima, ſal corpus. Corpus autem ſpiritu iungitur, ſulphuris ſeu animæ vinculo, quod affinitatem habet cum vtroque extremo, tanquã medium extrema copulans. Mercurius enim eſt liquidus, rarus, permeabilis. Sulphur ceu oleũ molle, fluidũ. Sal ſiccus, denſus, ſtabilis. Quæ tamen vt diximus in ſe inuicem ita proportionata ſunt, vel proportione contẽperata, vt in hac principiorum contrarietate ſymbolũ magnaq; analogia reperiatur. Sulphur enim ſeu humidũ illud oleaginoſum mediũ eſt, vt diximus, ꝙ ſua humiditate, mollitie & fluiditate, duo extrema, nempè ſalem fixum, & mercurium volatilem, coniungat: ſiccitatem

ſalis nimirum & liquiditatem mercurii ſua humiditate viſcoſa: denſitatem ſalis, & permeabilitatem mercurii, ſummè contraria, ſua fluiditate: quæ medium tenet inter ſtabile & permeabile. Adde quod ſumma ſua dulcedine mercurii aciditatem, & ſalis amaritudinem contemperat, & ſua viſciditate mercurii volatilitatem cum ſalis fixione conciliat.

Reſtat vt de viſibilibus elementorum corporibus loquamur, quæ in omnium rerum, tàm mineralium, quam vegetabilium, & animalium, duo ſemper ſeſe offerunt, ſiccum vnum, humidum alterum.

Corpora viſibilia elementorũ duorum ſunt generum, alterum
- Siccum, quod terra arenoſa ſiue cinis eſt, omni ſale per aquarum lixiuia deſtitutum. Vocaturq; à Chymicis terra damnata, quod nullã vim quàm exiccantem & emplaſticam habet.
- Humidum, quod inſipidum phlegma vocatur, omni ſulphure & mercurio obrutum, nullo odore, ſapore, vitalive alia virtute præditum, quodque tantùm humectare poteſt citra vllam energiam.

Atque vt hæc ſunt inualida, ſic qualitates tantùm paſſiuas, vt diximus, poſſident, atque inutiles, quæ idcircò reſollaceæ a nonnullis dicuntur, quòd nullis viribus valeant.

Aër verò, tertium rerum elementum, ſeorſim capi aut ſeparari nequit, ſed vel in auras euaneſcit, vel ſulphure & mercurio permixtus manet, ac imprimis mercurio adhæret, qui vſq; adeò ſpiritualis eſt, vt vel exercitatiſſimus

tatiſſimus artifex non poſſit ipſum à ſeipſo ſolum ſeparare: ſed ſemper in auras cum aëre eius rei, cuius ſit ſeparatio, auolet, cui aëri vſque adeò arctè coniungitur mercurius, vt diuelli ab eo nunquam poſſit, niſi ſolerti artificis peritiſſimi induſtria id fiat: qui nouit, mercurium, ſeu ſalem armoniacum volatilem, cum aëre ſeu aërea parte ita coniunctum eſſe, vt ſimul cum aëre etiam expiret, & cum eo in aquam ſpiritualem reducatur; quæ agnoſcitur mercurialis eſſe aqua ex ſapore admodum acuto, acri & vehementi, qui ex mercurio aut ſale armoniaco naturæ ſpirituali, (vt vocant Philoſophi) promanat. Quem vt ſeparet artifex, liquorem hunc ſpiritualē cōiungit cum ſale Chryſtallino naturaliter fixo, à quo aereū illum liquorē diſtillatione ſeparat, qui ea ſeparatione prorſus vi omni ſpoliatur, & inſipidus manet aereus liquor, eò ꝙ Spiritus ille mercurialis, naturā ſalis volatilis poſſidens, cum ꝓprio ſuo ſale fixo, fixus remanſerit, cum quo ſummam habet analogiā. Sic naturam natura delectari teſtantur Philoſophi. Atq; hoc modo agnoſcit Philoſophus aerem elementarē eſſe ſeparandum a ſpiritu illo mercuriali, reducto videlicet aeris elemento in aquam inſipidam, & ſpiritu mercuriali ſalem propriæ ſuæ naturæ ingreſſo. Præterea hinc innoteſcit, Mercurium aereum quidem quid eſſe, ſeu aerem: attamen aliquid amplius quàm aerem elementarem, qui carens mercurii ſpiritu ſimplex liquor eſt aereus, nullius virtutis aut poteſtatis, quàm ſimpliciter humectandi & penetrandi. Sic actiuæ qualitates meritò principiis vindicantur, vt paſſiuæ elementis.

Hoc dilucidè à nobis demonſtratum eſt exemplo ex vini operatione, allato in libro noſtro, quem examinandum ſuſcepit Anonymus, tanquam cæcus de colore iudicaturus: vt qui prorſus etiam in illo cæcutiat: vnde etiam tàm elegans & ſubtilis œdipus Hieroglyphica

noſtra enodauit, & tàm aptè confutauit, vt cuiuis videre hominis imperitiam liceat.

Quæcunque vis & acumen in aqua vitæ percipitur, aut Spiritu vini, aliunde non quàm ab huiusmodi mercurio & ſale armoniaco philoſophico, aerea vini parte permixto, proficiſcitur. Quam quidem vitæ aquam acutiſſimam ac perpungentem proprio ſali ex fæcibus extracto ſi affundamus, & diſtillatione ab eo ſeparemus, virtutem omnem, ſaporemque ſuum aqua vitæ deperdet, potabilis futura inſtar aquæ vulgaris, eò quòd Mercurium ſuum, aut Armoniacum volatilem ſalem, à quo vim omnem ac acumen mutuabatur, in ſale ſuo fixo depoſuerit. Quod ſi rurſum ſpiritus vini, qui armoniacum ſalem continet, vt ſupra, per cohobationem & diſtillationem ſæpè repetitam, toties prædicto ſali fixo reaffundatur & educatur, vt pars ſalis volatilis ſalis fixi partem ſuperet, tunc ſublimationis arte verus Philoſophorum Mercurius proliciatur. Hac enim ratione ſal fixus aſcendit & ſublimatur, fixumque fit volatile, & volatile fit fixum, ſi proprium ſulphur purificatum his, vt artis eſt, addatur. Atque ſic ab omnibus heterogeneis partibus ſecretum quoduis mixtum homogeneam puritatem adeptum eſt, actiuamque & efficaciſſimam naturam.

Hæc ſi aliquando deguſtaſſet Anonymus, huiusque tàm præſtantis ac admirandæ artis capax fuiſſet, temperaſſet calamum ab iſtis calumniis, quibus auſus eſt aliena tanquam mea temere accuſare.

Atque hæc dicta ſint, vt pateat omnibus rerum anatomia ac reſolutione, elementum aeris ſeorſim non poſſe excipi, nec conſpici, præterquam à veris Philoſophis & in hac arte verſatiſſimis.

In hunc modum corporum viſibilium rerum, tùm ex ſeminibus & principiis, tùm ex elementis procreatarum,

rum,demonſtratio certa eluceſcit, etſi in reſolutione corporum viſibilia ſeminum corpora non deprehendas ſeorſim poſita. At principiorum trium illorum, nec non elementorum partes facilè ſit ſecretas intueri, in quibus trium principiorum partibus virtutes & poteſtates actionum, quibus pollent ſemina, incluſa ſunt & immixta.Quo fit, vt eorum corpora pariter vitalibus viribus, facultatibus ac energiis aſtralium & ſpiritualium ſeminum referta ſint, tanquam illarum virtutum receptacula. Elementalia verò corpora non niſi paſſiuas qualitates obtineant. Quæ quidem elementalia corpora artifex non ſolùm ſeparare ſeorſim poteſt, ſed & in nihilum redigere, ita vt ſeparatis paſſiuis & materialibus elementis, tria tantùm illa hypoſtatica formalia & actiua principia remaneant, quæ in vnum corpus contracta corpus mixtum efficiunt, quam quintam aut quartam eſſentiam vocant Philoſophi, quæ omni corruptione caret, perfectione & viuificis ſpiritibus abundans, cùm contrà ſola elementa, à tribus principiis ſeparata, nihil niſi impuritates,corruptiones & mortificationem minantur.

Hac vtique certiſſima ac veriſſima demonſtratione perſpicuum eſt, in quouis mixto tria illa elementa reperiri,vt in quauis ſubſtantia naturali tres rerum naturalium ſpecies miſcentur: verbi gratia, lac ſubſtantia eſt, cui non tantùm δυνάμει, ſed re ipſa etiam inſunt tres ſpecies ὀσία differentes inter ſe, ſerum nempè, butyrum & Caſeus,quæ mercurio,ſulphuri & ſali comparantur:quæque tria vt ὁμόφυλα continentur vna lactis ſpecie,ſed lacte corrupto ἀλλόφυλα fiunt, non tantùm craſi, ſed etiam ὀσία inter ſe differentia, cùm ſint effectus naturales : vt paulò poſt oſtendemus apertiùs in ipſo lacte : nec non omnibus aliis rebus naturalibus, qualescunque illæ ſint.

Vni autem & ſoli Chymiæ, naturam imitanti, vt paulò poſt quoque dicemus ſuo loco, omnia eiusmodi ſeparationum elementorum ac principiorum artificia debemus: quibus omnes compoſiti corporis partes enucleantur ac pateſiunt. Neque eiusmodi ſecretionibus ſubſtantiæ illæ naturales dicuntur generari, quaſi priùs non fuerint: neque vt priùs exiſtentes hac ſeparationis arte corrumpuntur; ſed & erant in compoſito, & poſt ſecretionem per ſe eſſe ac ſubſiſtere non deſinunt.

Quemadmodum autem tria principia inter ſe eo modo, quē diximus, copulata ſunt, beneficio nempè oleoſi liquoris iſta coniungentis; ſic tria elementa, aër videlicet, aqua & terra, inter ſe, medii, hoc eſt aquæ interceſſione vniuntur. De vtraque enim natura aëris nempè & terræ aqua analogia ſua participat: quo fit vt modò in aërem, modò in terram facilè conuertatur, ac ſic vtrumque extremum connectat. In habentibus enim ſymbolum, facilis eſt tranſitus, vt ſcribitur à Philoſopho. Sic viciſſim ob ſymbolum & conſenſum aër frigiditate condenſatus tranſit in aquam, & aqua rarefacta fit aer, quemadmodum (vt dictum eſt) & eadem incraſſata ac condenſata in terram vertitur, vt terra attenuata viciſſim in aquam tranſit & mutatur. Ipſa enim aqua conſtat, aere & terra ſimul in liquoris aquei formam effigiatis ac redactis: quod omnibus notiſſimum eſt, & de quo fusè quinto magni ſpeculi noſtri libro egimus: vbi omnes quæſtiones agitauimus, quæ de elementis ac tribus principiis naſci poterant.

Quamobrem cùm aer & terra duo extrema per tertium vtriusque medium, aquam videlicet, aptè coniungantur, vt diximus, ſuperuacaneum fuit Ariſtoteli quaternarium elementorum numerum conſtituere, ex

qua-

quaternario primarum qualitatum numero, quamuis certè eleganti via hęc inueſtigauerit, vt videre licet lib. 2. de generatione animalium: vbi probare nititur multis rationibus perneceſſarium eſſe ad rerum productionem quartum elementum, nempè ignem, calidum & ſiccum conſtituere.

At quùm Moſes nullam fecerit lib. Geneſis cap. 1. (in quo creationem rerum omnium docet) ignis mentionem, nos libentiùs diuini Vatis ſententiæ, quam Ethnici Philoſophi ratiocinationibus adſtipulamur: nec alium idcircò ignem agnoſcimus, quàm cœlum & ætherem à flagrando, & ardendo dictum, vt iam docuimus.

Itaque cœlum quartum formale & eſſentiale elementum, aut quarta potiùs eſſentia, ex reliquis elementis extracta (quintum enim eſſe, ſeu quintam eſſentiam iam reſpuunt Hermetici, quòd quatuor non ſint Elementa, vnde quinta educatur eſſentia, ſed tria tantùm, ex quibus quarta elicitur eſſentia) dici debet: quòd longè nobilioribus virtutibus, quàm elementa vel ſimpliciſſima polleat. Huius enim tanta eſt poteſtas, vt principiorum trium, & craſſiorum elementorum corpora, in mixtionem perfectam alicuius indiuidui moueat, exacuat atque potenter animet, vnde omnes vires, facultates ac proprietates, quas exerunt indiuidua, ex cœlo non aliundè mutuentur. Hinc fit etiam, vt propria eius qualitas non ſit, nec ſiccum nec humidum: item, nec frigidum, nec calidum. Longe enim quid ſimplicius eſt, vtpote ſimpliciſſima ac puriſſima eſſentia, ex ſimplicioribus & ſubtilioribus tum principiis, tum elementis extracta, quæ conſtituit ſimpliciſſimum, puriſſimum, tenuiſſimum, ac velociſſimum corpus, ſumma vi generandi, fouendi, augendi ac perficiendi, præditum: quod naturam ignis vſ-

queadeò æmulatur, vt reuera cœlum nihil aliud ſit, quàm purus & æthereus ignis: nec purus ignis aliud quàm cœlum. Quod quò magis ſubtilitate & puritate principia ac elementa vincit, eò potétiores etiam, perfectiores, puriores ac ſimpliciores vires obtinet, quibus omnia penetret, & ſingula quæque ſuis formis ac virtutibus exornet.

Conſtat igitur ex Moſe, nullum aliud elementum igneum exiſtere, præter cœlum, quod quarti elementi locum obtinet, aut quod potiùs quarta eſſentia eſt, ex trium elementorum ſubtiliore materia & forma extracta: quæ nihil aliud eſt, quàm purus, æthereus & ſimpliciſſimus ignis, à tribus elementis tanquam imperfectis longè diuerſiſſimus ac perfectiſſimus: vt qui omnium formarum, poteſtatum ac actionum in omnibus naturæ rebus inferioribus autor ſit, tanquam primaria cauſa, & inſtar parentis erga fœtum ſe habens, vt qui ſemina ſua in ventrem terræ ſuo vento importet, vnde fœtus nutriatur, foueatur, creſcat, & tandem ex elementorum gremio excludatur.

Hoc quidem cœlum, licet nullius ſit per ſe complexionis, hoc eſt, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccum ſit, aut dici poſſit: omnibus tamen rebus ex ſua ſcientia & prædeſtinatione calorem impertit, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem: ſiquidem ſunt ſtellæ & planetæ, qui ſpiritus frigidiſſimos humidiſſimosque, vt ſaturnales & lunares, habeant: alii calidiſſimos & ſicciſſimos, vt ſolares, martiales &c. alii humidos & calidos, vt iouiales, qui virtutibus ſuis ac complexione, qua vnumquodque ſydus & planeta dotatus eſt, omnia hæc inferiora informant ac impr̃ægnant, vt alia indiuidua ſint huius conditionis & complexionis, quam à ſuo informante planeta aut ſtella dotata: ſunt alia qualem ab aliis ſyderibus aut ſtellis obti-

obtinuerunt. Cœlum enim obtinuit à Deo ſemina ſimpliciſſima ac perfectiſſima, quales ſunt ſtellæ, planetæ, atq; infinita alia aſtra, quæ vitalibus facultatibus & complexionibus, vt iam diximus, perfuſa, eas in gremium elementorum inferiorum profundunt, eaque animant, ac informant. Nec ceſſat ab operatione ſua cœlum, nec eius aſtralia ſemina, quòd nunquam virtutibus ſuis exhauriantur, nec alterationem aut imminutionem facultatum patiantur, vnde à procreando & formando deſiſtant, etſi aliquando vberiùs, aliquando parciùs fœcundent. Hinc perpetua illa Circulatio, de qua ſuprà diximus, cuius beneficio ſemina elementorum, aut materia eorum cum ſeminibus aſtrorum copulantur, conceptum ſuum in gremium maternum referens, vt perficiat & producat fœtum. Vt enim cœlum agere in terram dicitur, ſic elementa inferiora conferunt etiam ſuos actus & motus: ſed diuerſa ratione, ſiquidem cœlum agendo nihil patitur, vtpote adæquatum, homogeneæ ac perfectiſſimæ naturæ exiſtens: adque idcircò incorruptibile ac immutabile, ad prædeſtinatum vsq; finem rerum creatarum. At inferiora hæc agendo ſimul patiuntur: quòd formalia ſua principia cum materialibus mutationi & interitui obnoxiis admixta habeant: vnde fit etiam, vt quæ ex illis producuntur, ſucceſſu temporis corruant.

Quæ cùm ſatis perſpecta habeat Medicus verus, ac Philoſophus, ad ſanitatis conſeruationem, aut eiuſdem deperditæ reſtitutionem, ſedulò incumbit extractioni cœleſtium eſſentiarum ac formarum, ac ſeperationem elementarium principiorum ac materialium, à tribus illis formalibus & ſpiritualibus principiis: quibus ſolis ac ab aliis, quæ heterogenea ſunt, ſecretis vtitur, vt admirandos effectus citra vllum impedimentum exerat. Atque ea eſt vniuerſalis Medicina balſami-

cta corpus naturale conſtituunt. Quin & pariter oſtendemus, ac minutim ſingula ita excutiemus, vt facultates, proprietates & qualitates, tum actiuas, tum paſſiuas in tribus verisque principiis videndas exhibeamus. Vnde non exiguus fructus prouenturus eſt: futurumque ſit, vt Anonymus noſter diſcat aliò quàm ad ſolam craſin & mixtionē elementorum referendas eſſe, & morborum cauſas, & remediorum facultates.

Si igitur propiùs ac minutiùs ſingulorum indiuiduorum generationem intueri ac texere velimus, comperiemus verum eſſe quod diximus: Simplicium nempè principiorum alia eſſe formalia & ſpiritualia, alia materialia, corporea & viſibilia. Inuiſibilia autem eſſe elementa ſimplicia formalia, ſemina aſtralia & principia ſpiritualia. Viſibilia verò eadem eſſe, ſed materiali corpore induta. Quæ quidem duo corpora, ſpirituale & materiale, inuiſibile & viſibile, in omni indiuiduo continentur, etſi ſpirituale non niſi ratione motus, vitæ & functionum cerni queat: attamen ineſt. Quæ quidem viſibilia & materialia corpora ſunt trium generum.

nempè { ſeminum. / principiorum. / elementorum.

Horum alia ſunt { actiua, vt ſeminum, principiorum, / paſſiua, vt elementorum.

Corpora ſeminum viſibilium actiua, ſeu in quibus eſt aliqua δυώαμις, ſunt { ſemina animalium Venere cuibrata. / ſtirpium in ſuis thecis incluſa. / foſſilium, magna impedimentorum mole obruta.

Quæ

Quæ omnia latentes ſub ſe habent ſpiritus.

Corpora actiua principiorum	humida duo	Mercurius. Sulphur.
	ſiccum vnum,	ſal.

Mercurius eſt liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis: puriſſimum & æthereum illud corpus ὀσιῶδες: Aerea, ſubtiliſſima, viuiſica, ac ſpirituoſa ſubſtantia, pabulum vitæ, & ὀσία ſeu forma proximum inſtrumentum.

Sulphur eſt humidum illud, dulce, oleaginoſum, viſcidum, ſubſtantificum primigenium: ignis ſeu caloris naturalis pabulum, leniendi & agglutinandi vi præditũ.

Sal, corpus eſt illud ſiccum, ſalſum, purè terreum, ſalis naturam repręſentans, mirandis virtutib. præditum, diſſoluendi, coagulandi, detergendi, euacuandi, & infinitis aliis facultatib. quas in indiuiduis, & ab indiuiduis ſuis ſeparatas in aliis corporibus exercet.

Hæc tria principia ab Hermete olim antiquiſſimo Philoſopho dicta ſunt ſpiritus, anima, corpus, vt Mercurius ſit ſpiritus, ſulphur anima, ſal corpus. Corpus autem ſpiritu iungitur, ſulphuris ſeu animæ vinculo, quod affinitatem habet cum vtroque extremo, tanquã medium extrema copulans. Mercurius enim eſt liquidus, rarus, permeabilis. Sulphur ceu oleũ molle, fluidũ. Sal ſiccus, denſus, ſtabilis. Quæ tamen vt diximus in ſe inuicem ita proportionata ſunt, vel proportione contẽperata, vt in hac principiorum contrarietate ſymbolũ magnaq; analogia reperiatur. Sulphur enim ſeu humidũ illud oleaginoſum mediũ eſt, vt diximus, ꝙ ſua humiditate, mollitie & fluiditate, duo extrema, nempè ſalem fixum, & mercurium volatilem, coniungat: ſiccitatem

ſalis nimirum & liquiditatem mercurii ſua humiditate viſcoſa: denſitatem ſalis, & permeabilitatem mercurii, ſummè contraria, ſua fluiditate: quæ medium tenet inter ſtabile & permeabile. Adde quod ſumma ſua dulcedine mercurii aciditatem, & ſalis amaritudinem contemperat, & ſua viſciditate mercurii volatilitatem cum ſalis fixione conciliat.

Reſtat vt de viſibilibus elementorum corporibus loquamur, quæ in omnium rerum, tàm mineralium, quam vegetabilium, & animalium, duo ſemper ſeſe offerunt, ſiccum vnum, humidum alterum.

Corpora viſibilia elementorũ duorum ſunt generum, alterum

- Siccum, quod terra arenoſa ſiue cinis eſt, omni ſale per aquarum lixiuia deſtitutum. Vocaturq; à Chymicis terra damnata, quod nullã vim quàm exiccantem & emplaſticam habet.
- Humidum, quod inſipidum phlegma vocatur, omni ſulphure & mercurio obrutum, nullo odore, ſapore, vitalive alia virtute præditum, quodque tantùm humectare poteſt citra vllam energiam.

Atque vt hæc ſunt inualida, ſic qualitates tantùm paſſiuas, vt diximus, poſſident, atque inutiles, quæ idcirco relollaceæ a nonnullis dicuntur, quòd nullis viribus valeant.

Aër verò, tertium rerum elementum, ſeorſim capi aut ſeparari nequit, ſed vel in auras euaneſcit, vel ſulphure & mercurio permixtus manet, ac imprimis mercurio adhæret, qui vſq; adeò ſpiritualis eſt, vt vel exerci-

tatiſſimus

tatiſſimus artifex non poſſit ipſum à ſeipſo ſolum ſeparare: ſed ſemper in auras cum aëre eius rei, cuius ſit ſeparatio, auolet, cui aëri vsque adeò arctè coniungitur mercurius, vt diuelli ab eo nunquam poſſit, niſi ſolerti artificis peritiſſimi induſtria id fiat: qui nouit, mercurium, ſeu ſalem armoniacum volatilem, cum aëre ſeu aërea parte ita coniunctum eſſe, vt ſimul cum aëre etiam expiret, & cum eo in aquam ſpiritualem reducatur; quæ agnoſcitur mercurialis eſſe aqua ex ſapore admodum acuto, acri & vehementi, qui ex mercurio aut ſale armoniaco naturæ ſpirituali, (vt vocant Philoſophi) promanat. Quem vt ſeparet artifex, liquorem hunc ſpirituale cõiungit cum ſale Chryſtallino naturaliter fixo, à quo aereũ illum liquorẽ diſtillatione ſeparat, qui ea ſeparatione prorſus vi omni ſpoliatur, & inſipidus manet aereus liquor, eò ꝙ Spiritus ille mercurialis, naturã ſalis volatilis poſſidens, cum ꝓprio ſuo ſale fixo, fixus remanſerit, cum quo ſummam habet analogiã. Sic naturam natura delectari teſtantur Philoſophi. Atq; hoc modo agnoſcit Philoſophus aerem elementarẽ eſſe ſeparandum a ſpiritu illo mercuriali, reducto videlicet aeris elemento in aquam inſipidam, & ſpiritu mercuriali ſalem propriæ ſuæ naturæ ingreſſo. Præterea hinc innoteſcit, Mercurium aereum quidem quid eſſe, ſeu aerem: attamen aliquid amplius quàm aerem elementarem, qui carens mercurii ſpiritu ſimplex liquor eſt aereus, nullius virtutis aut poteſtatis, quàm ſimpliciter humectandi & penetrandi. Sic actiuæ qualitates meritò principiis vindicantur, vt paſſiuæ elementis.

Hoc dilucidè à nobis demonſtratum eſt exemplo ex vini operatione, allato in libro noſtro, quem examinandum ſuſcepit Anonymus, tanquam cæcus de colore iudicaturus: vt qui prorſus etiam in illo cæcutiat: vnde etiam tàm elegans & ſubtilis œdipus Hieroglyphica

noſtra enodauit, & tàm aptè confutauit, vt cuiuis videre hominis imperitiam liceat.

Quæcunque vis & acumen in aqua vitæ percipitur, aut Spiritu vini, aliunde non quàm ab huiuſmodi mercurio & ſale armoniaco philoſophico, aerea vini parte permixto, proficiſcitur. Quam quidem vitæ aquam acutiſſimam ac perpungentem proprio ſali ex fæcibus extracto ſi affundamus, & diſtillatione ab eo ſeparemus, virtutem omnem, ſaporemque ſuum aqua vitæ deperdet, potabilis futura inſtar aquæ vulgaris, eò quòd Mercurium ſuum, aut Armoniacum volatilem ſalem, à quo vim omnem ac acumen mutuabatur, in ſale ſuo fixo depoſuerit. Quod ſi rurſum ſpiritus vini, qui armoniacum ſalem continet, vt ſupra, per cohobationem & diſtillationem ſæpè repetitam, toties prædicto ſali fixo reaffundatur & educatur, vt pars ſalis volatilis ſalis fixi partem ſuperet, tunc ſublimationis arte verus Philoſophorum Mercurius proliciatur. Hac enim ratione ſal fixus aſcendit & ſublimatur, fixumque fit volatile, & volatile fit fixum, ſi proprium ſulphur purificatum his, vt artis eſt, addatur. Atque ſic ab omnibus heterogeneis partibus ſecretum quoduis mixtum homogeneam puritatem adeptum eſt, actiuamque & efficaciſſimam naturam.

Hæc ſi aliquando deguſtaſſet Anonymus, huiusque tàm præſtantis ac admirandæ artis capax fuiſſet, temperaſſet calamum ab iſtis calumniis, quibus auſus eſt aliena tanquam mea temere accuſare.

Atque hæc dicta ſint, vt pateat omnibus rerum anatomia ac reſolutione, elementum aeris ſeorſim non poſſe excipi, nec conſpici, præterquam à veris Philoſophis & in hac arte verſatiſſimis.

In hunc modum corporum viſibilium rerum, tùm ex ſeminibus & principiis, tùm ex elementis procreata-

rum,

rum, demonſtratio certa eluceſcit, etſi in reſolutione corporum viſibilia ſeminum corpora non deprehendas ſeorſim poſita. At principiorum trium illorum, nec non elementorum partes facilè ſit ſecretas intueri, in quibus trium principiorum partibus virtutes & poteſtates actionum, quibus pollent ſemina, incluſa ſunt & immixta. Quo fit, vt eorum corpora pariter vitalibus viribus, facultatibus ac energiis aſtralium & ſpiritualium ſeminum referta ſint, tanquam illarum virtutum receptacula. Elementalia verò corpora non niſi paſſiuas qualitates obtineant. Quæ quidem elementalia corpora artifex non ſolùm ſeparare ſeorſim poteſt, ſed & in nihilum redigere, ita vt ſeparatis paſſiuis & materialibus elementis, tria tantùm illa hypoſtatica formalia & actiua principia remaneant, quæ in vnum corpus contracta corpus mixtum efficiunt, quam quintam aut quartam eſſentiam vocant Philoſophi, quæ omni corruptione caret, perfectione & viuificis ſpiritibus abundans, cùm contrà ſola elementa, à tribus principiis ſeparata, nihil niſi impuritates, corruptiones & mortificationem minantur.

Hac vtique certiſſima ac veriſſima demonſtratione perſpicuum eſt, in quouis mixto tria illa elementa reperiri, vt in quauis ſubſtantia naturali tres rerum naturalium ſpecies miſcentur: verbi gratia, lac ſubſtantia eſt, cui non tantùm δυνάμει, ſed re ipſa etiam inſunt tres ſpecies ὀυσίᾳ differentes inter ſe, ſerum nempè, butyrum & Caſeus, quæ mercurio, ſulphuri & ſali comparantur: quæque tria vt ὁμόφυλα continentur vna lactis ſpecie, ſed lacte corrupto ἀλλόφυλα fiunt, non tantùm craſi, ſed etiam ὀυσίᾳ inter ſe differentia, cùm ſint effectus naturales: vt paulò poſt oſtendemus apertiùs in ipſo lacte: nec non omnibus aliis rebus naturalibus, qualeſcunque illæ ſint.

Vni autem & ſoli Chymiæ, naturam imitanti, vt paulò poſt quoque dicemus ſuo loco, omnia eiusmodi ſeparationum elementorum ac principiorum artificia debemus : quibus omnes compoſiti corporis partes enucleantur ac patefiunt. Neque eiusmodi ſecretionibus ſubſtantiæ illæ naturales dicuntur generari, quaſi priùs non fuerint : neque vt priùs exiſtentes hac ſeparationis arte corrumpuntur, ſed & erant in compoſito, & poſt ſecretionem per ſe eſſe ac ſubſiſtere non deſinunt.

Quemadmodum autem tria principia inter ſe eo modo, quę diximus, copulata ſunt, beneficio nempè oleoſi liquoris iſta coniungentis; ſic tria elementa, aër videlicet, aqua & terra, inter ſe, medii, hoc eſt aquæ interceſſione vniuntur. De vtraque enim natura aëris nempè & terræ aqua analogia ſua participat : quo fit vt modò in aërem, modò in terram facilè conuertatur, ac ſic vtrumque extremum connectat. In habentibus enim ſymbolum, facilis eſt tranſitus, vt ſcribitur à Philoſopho. Sic viciſſim ob ſymbolum & conſenſum aër frigiditate condenſatus tranſit in aquam, & aqua rarefacta fit aer, quemadmodum (vt dictum eſt) & eadem incraſſata ac condenſata in terram vertitur, vt terra attenuata viciſſim in aquam tranſit & mutatur. Ipſa enim aqua conſtat, aere & terra ſimul in liquoris aquei formam effigiatis ac redactis : quod omnibus notiſſimum eſt, & de quo fusè quinto magni ſpeculi noſtri libro egimus : vbi omnes quæſtiones agitauimus, quæ de elementis ac tribus principiis naſci poterant.

Quamobrem cùm aer & terra duo extrema per tertium vtriusque medium, aquam videlicet, aptè coniungantur, vt diximus, ſuperuacaneum fuit Ariſtoteli quaternarium elementorum numerum conſtituere, ex qua-

quaternario primarum qualitatum numero, quamuis certè eleganti via hęc inueſtigauerit, vt videre licet lib. 2. de generatione animalium: vbi probare nititur multis rationibus perneceſſarium eſſe ad rerum productionem quartum elementum, nempè ignem, calidum & ſiccum conſtituere.

At quùm Moſes nullam fecerit lib. Geneſis cap. 1. (in quo creationem rerum omnium docet) ignis mentionem, nos libentiùs diuini Vatis ſententiæ, quam Ethnici Philoſophi ratiocinationibus adſtipulamur: nec alium idcircò ignem agnoſcimus, quàm cœlum & ætherem à flagrando, & ardendo dictum, vt iam docuimus.

Itaque cœlum quartum formale & eſſentiale elementum, aut quarta potiùs eſſentia, ex reliquis elementis extracta (quintum enim eſſe, ſeu quintam eſſentiam iam reſpuunt Hermetici, quòd quatuor non ſint Elementa, vnde quinta educatur eſſentia, ſed tria tantùm, ex quibus quarta elicitur eſſentia) dici debet: quòd longè nobilioribus virtutibus, quàm elementa vel ſimpliciſſima polleat. Huius enim tanta eſt poteſtas, vt principiorum trium, & craſſiorum elementorum corpora, in mixtionem perfectam alicuius indiuidui moueat, exacuat atque potenter animet, vnde omnes vires, facultates ac proprietates, quas exerunt indiuidua, ex cœlo non aliundè mutuentur. Hinc fit etiam, vt propria eius qualitas non ſit, nec ſiccum nec humidum: item, nec frigidum, nec calidum. Longe enim quid ſimplicius eſt, vtpote ſimpliciſſima ac puriſſima eſſentia, ex ſimplicioribus & ſubtilioribus tum principiis, tum elementis extracta, quæ conſtituit ſimpliciſſimum, puriſſimum, tenuiſſimum, ac velociſſimum corpus, ſumma vi generandi, fouendi, augendi ac perficiendi, prædìtum: quod naturam ignis vſ-

obtinuerunt. Cœlum enim obtinuit à Deo ſemina ſimpliciſſima ac perfectiſſima, quales ſunt ſtellæ, plenetæ, atq; infinita alia aſtra, quæ vitalibus facultatibus & complexionibus, vt iam diximus, perfuſa, eas in gremium elementorum inferiorum profundunt, eaque animant, ac informant. Nec ceſſat ab operatione ſua cœlum, nec eius aſtralia ſemina, quòd nunquam virtutibus ſuis exhauriantur, nec alterationem aut imminutionem facultatum patiantur, vnde à procreando & formando deſiſtant, etſi aliquando vberiùs, aliquando parciùs fœcundent. Hinc perpetua illa Circulatio, de qua ſupra diximus, cuius beneficio ſemina elementorum, aut materia eorum cum ſeminibus aſtrorum copulantur, conceptum ſuum in gremium maternum referens, vt perficiat & producat fœtum. Vt enim cœlum agere in terram dicitur, ſic elementa inferiora conferunt etiam ſuos actus & motus: ſed diuerſa ratione, ſiquidem cœlum agendo nihil patitur, vtpote adæquatum, homogeneæ ac perfectiſſimæ naturæ exiſtens: adque idcircò incorruptibile ac immutabile, ad prædeſtinatum vſq; finem rerum creatarum. At inferiora hæc agendo ſimul patiuntur: quòd formalia ſua principia cum materialibus mutationi & interitui obnoxiis admixta habeant: vnde fit etiam, vt quæ ex illis producuntur, ſucceſſu temporis corruant.

Quæ cùm ſatis perſpecta habeat Medicus verus, ac Philoſophus, ad ſanitatis conſeruationem, aut eiuſdem deperditæ reſtitutionem, ſedulò incumbit extractioni cœleſtium eſſentiarum ac formarum, ac ſeperationem elementarium principiorum ac materialium, à tribus illis formalibus & ſpiritualibus principiis: quibus ſolis ac ab aliis, quæ heterogenea ſunt, ſecretis vtitur, vt admirandos effectus citra vllum impedimentum exerat. Atque ea eſt vniuerſalis Medicina balſami-

ſamica,in qua omnes partes homogeneæ ſunt, puriſſimæ,ſimpliciſſimæ ac maximè ſpirituales. Quæ cùm ſit ſimpliciſſima, defæcatiſſima & incorrupta, quinta eſſentia dicitur (quam nos malumus quartam eſſentiam vocare) & lapis cœleſtis Philoſophorum. Cuius quidem cùm nullam adhuc cognitionem habuerit Anonymus, malè putauit, cùm de lapide Philoſophorum loquerer,hoc eſt, vniuerſali illa Medicina, me de tranſmutatione metallorum cogitaſſe, quaſi eiuſmodi tranſmutatio ſumma eſſet corporis humani Medicina. At neſciuit perinde in homine microcoſmico latere imperfectorum metallorum ſodinas, vnde tot morbi enaſcuntur,vt neceſſe ſit à bono & fideli Medico non ignaro,in aurum & argentum reducere,nempè in perfectam purificationem virtute tàm inſignis & precioſæ Medicinæ,ſi ſanitatem ac proſperam valetudinem conſequi velimus.

Satis fusè,meo iudicio,ſuperius caput de trib.principiis Hermeticis expoſuimus,de ſale inquam,ſulphure & mercurio,nec non elementis & cœlo, ac quicquid ad hanc tractationem ſcitu dignũ ac neceſſarium erat, enucleauimus: ſi quidem ex illis naturalia omnia corpora conſtituta ſunt ac compoſita, & non tantùm ex craſi aut mixtione qualitatum elementarium,quas paſſiuas tantùm eſſe diximus. Actiones verò omnes in ſpeciebus & indiuiduis hærentes, nec non facultates ac proprietates, aliundè proficiſci notauimus, vt nulla fœcunda ſit impreſſio,nullaque conſtans tinctura,nullæ vitales ac potentes qualitates colorum & ſaporum, quæ vel in ſale vel in ſulphure, vel in mercuriali liquore quærendæ ſint.

Quæ quidem à nobis dicta ſi accuratiùs expendantur,vt explicauimus, quanta ſit noſtra cum Ariſtotelicis de principiis concordia, percipiet, aut longè etiam

propiùs ad illa accedant, quàm quæ Anonymus ex ſola craſi rerum nata auguratur. Numquid igitur ſatis validam prætexat defenſionem, ſi Galenum tantum Præceptorem, quem ſequitur, opponat? Qui quidem Galenus Empedoclis dogmata ita ſit amplexus, vt ea eleganti Geometria & methodica forma in conſtitutione rerum, ex materia & craſi, mixtioneue qualitatum elementarium dimenſus pro oraculis, firmiſque rerum omnium rationibus, ab omnibus haberi voluerit. Cuius diſciplina multos irretiuit hactenus fautores ac aſſeclas: vnde nec mirum, ſi ex ſectatorum numero noſter etiam Anonymus, tanquam pro aris & focis dimicans, eiuſmodi placita tueatur. Sed ſi ita ſe res haberet, (quod falsũ abundè ſuprà demonſtrauimus) doceat iſte magiſter, ex qua craſi venena, peſtilentialis morbus, aura illa venenata, Epilepſiæ, aut remediorum etiam ſpecificæ proprietates, ſiue purgandi, ſiue obſtructa reſerandi, ſiue ſudores aut vrinas prouocandi, vim ſuam ſortita ſint? Quorum cùm rationes reddere validas ſatis ex ſua craſi Galenus non poſſet, coactus eſt ſæpè palinodiam canere, & ad occultas proprietates confugere.

Longè meliùs ſenſerat Hippocrates, firmiusque fundamentum ſtruxerat, quùm ait, in morbis aliquid ineſſe diuinum, illudque τὸ θεῖον in primis Medico eſſe obſeruandum. Quin & lib. de antiqua Medicina, poſtquam repudiauit quorundam hypotheſes, qui plus æquo craſi & elementorum qualitatibus tribuebant: cumque ipſe ſecus agnouiſſet varias ſaporum differentias, rebus à natura inſitas, quæ ex craſi elementorum proficiſci non poterant, aliam ſubdit rationem, qua ortus & cauſas morborum inueſtigarit, easque dulci, acido, acerbo, amaro, & id genus aliis ſaporib. adſcripſerit, ac morborum curationes ex eadem familia peti & abſolui

& abſolui debere, conſtanter aſſeuerauit. Nunquid hæc magis fauet Hermeticis opinio, maioremq; cum illis conſenſum habet, quàm Galenica illa, qua modo facultates eiuſmodi craſi arrogat: modò ad occultas proprietates reuocat, cùm ex trib. illis ſolis hypoſtaticis principiis tribui debeant? q; videtur agnouiſſe ipſe Hippocrates, etſi principiorũ illorum nomina tacuerit. Quid enim aliud nobis dulce illud Hippocratis exhibet, quã ſulphur aut liquorem rerũ oleaginoſum, quem copioſè ſemina obtinet omnia, vtque ſemper oleoſa appareãt? Quid repræſentat aciditas, pręter mercuriũ, quem ferè ſemper diximus aciditate illa ſtipari, à quo fermẽtantur & cõdiuntur omnia? Quid nobis acerbum & amarũ demonſtrant, pręter qualitates ac proprietates ſalibus debitas? Quibus ipſe Galenus reliquos ſapores vendicat.

Conſtat igitur, Hermetica illa tria principia non fuiſſe Hippocrati ignota, licet aliis terminis nobis illa explicauerit. Atq; hinc ſimul eluceſcit, theoremata ac fundamenta eorum non recens eſſe iacta ab huius ſeculi Doctoribus, & planè noua eſſe, cùm originem ſuam ab ipſo Hippocrate, vel altiùs etiam acceſſiuerint. Nec tamen prorſus potiſſimum attigit ſcopum Hippocrates: quòd non tantùm ſenſu guſtus eiuſmodi ſapores, quales ſunt, ſeſe exhibeant: ſed longè accuratiore internæ naturæ anatomia, cuius peritus eſt verus Chymicus, vitaliumq; facultatum omnium rerum perſcrutatione ac inueſtigatione, eorum originem nobis in penetralibus rerum latentium: ac ſimul efficaciſſimas virtutes ſpagyricus diſſecat, ex tribus illis Principiis, ſale, ſulphure & mercurio omnia dilucidè oculis ſubiiciens. Quę à quouis etiam ex iis, quæ antea à nobis dicta ſunt, & paulo pòſt dicenda, facilè perſpici poſſunt: niſi quis luſcus aut cataractis ſuffuſus, aut planè cæcus iſta peruidere non poſſit,

Ex Ariſtotelis opinione tria, vt iam diximus, ſummè conſideranda veniunt, primò nempè ſubſtantia ipſa: ſecundò potentia eſſentialis, ſiue ipſius ſubſtantiæ δύναμις, quæ eſt efficax ad agendum: tertio potentia naturalis, quæ dependet à temperamento, ſiue craſi cum operatur. Haud ſecus ex iis, quæ docuimus de trib. principiis ex Hermeticorũ ſchola petitis, tria etiã in omni naturali compoſito corpore ſpectanda occurrunt, primò ὀυσία ipſa & forma rei, ſiue ſubſtantia: ſecundò principia formalia actiua: tertiò elementa materialia paſſiua.

Ουσία ipſa ſola mente comprehenditur, nec ſubiicitur actionibus artificis, vt ſumi ac ſeparari vllo modo poſſit, cùm tota ſit cœleſtis ac ſpiritualis: quæ etiam à cœlo nobis communicatur, & in corpora infunditur. Huius tamen actiones ac functiones nobis ſunt per tria illa principia manifeſtæ: præſertim per ſpiritum mercurialem, qui præ aliis duobus principiis magis ad naturam ætheris accedit, eſtque τὶ ὑσιῶδες, & ὀυσίας ſeu animæ proximum inſtrumentum, non ipſa tamen ὀυσία ſeu anima. Hocque inſtrumentum eundem locum retinet ac officiũ, in omni naturali corpore, quod potentia eſſentialis Ariſtotelicorum, quæ neq; ipſa ſubſtantia eſt, ſed præcipuum functionum ſubſtantiæ organum ab ipſa inſeparabile, propriumq; πάθος appellatur. Ad quam potentiam rerum facultates omnes referuntur, quemadmodum ad tria illa actualia principia, ac inprimis ad Mercurium.

Elementa verò paſſiua potentiæ naturali propriè reſpondent, ſiue craſi, vel ad eam tanquam ad cauſam inſtrumentalem referri poſſunt. Ad quam Ariſtoteles non magis defert facultates ac proprietates potentiæ eſſentialis, quàm Hermetici paſſiuis elementis virtutes principiorum agentium denegant. In quo perſpi-

cuè

noſtra enodauit, & tàm aptè confutauit, vt cuiuis videre hominis imperitiam liceat.

Quæcunque vis & acumen in aqua vitæ percipitur, aut Spiritu vini, aliunde non quàm ab huiusmodi mercurio & ſale armoniaco philoſophico, aerea vini parte permixto, proficiſcitur. Quam quidem vitæ aquam acutiſſimam ac perpungentem proprio ſali ex fæcibus extracto ſi affundamus, & diſtillatione ab eo ſeparemus, virtutem omnem, ſaporemque ſuum aqua vitæ deperdet, potabilis futura inſtar aquæ vulgaris, eò quòd Mercurium ſuum, aut Armoniacum volatilem ſalem, à quo vim omnem ac acumen mutuabatur, in ſale ſuo fixo depoſuerit. Quod ſi rurſum ſpiritus vini, qui armoniacum ſalem continet, vt ſupra, per cohobationem & diſtillationem ſæpè repetitam, toties prædicto ſali fixo reaffundatur & educatur, vt pars ſalis volatilis ſalis fixi partem ſuperet, tunc ſublimationis arte verus Philoſophorum Mercurius proliciatur. Hac enim ratione ſal fixus aſcendit & ſublimatur, fixumque fit volatile, & volatile fit fixum, ſi proprium ſulphur purificatum his, vt artis eſt, addatur. Atque ſic ab omnibus heterogeneis partibus ſecretum quoduis mixtum homogeneam puritatem adeptum eſt, actiuamque & efficaciſſimam naturam.

Hæc ſi aliquando deguſtaſſet Anonymus, huiusque tàm præſtantis ac admirandæ artis capax fuiſſet, temperaſſet calamum ab iſtis calumniis, quibus auſus eſt aliena tanquam mea temere accuſare.

Atque hæc dicta ſint, vt pateat omnibus rerum anatomia ac reſolutione, elementum aeris ſeorſim non poſſe excipi, nec conſpici, præterquam à veris Philoſophis & in hac arte verſatiſſimis.

In hunc modum corporum viſibilium rerum, tùm ex ſeminibus & principiis, tùm ex elementis procreatarum,

rum, demonſtratio certa eluceſcit, etſi in reſolutione corporum viſibilia ſeminum corpora non deprehendas ſeorſim poſita. At principiorum trium illorum, nec non elementorum partes facilè ſit ſecretas intueri, in quibus trium principiorum partibus virtutes & poteſtates actionum, quibus pollent ſemina, incluſa ſunt & immixta. Quo fit, vt eorum corpora pariter vitalibus viribus, facultatibus ac energiis aſtralium & ſpiritualium ſeminum referta ſint, tanquam illarum virtutum receptacula. Elementalia verò corpora non niſi paſſiuas qualitates obtineant. Quæ quidem elementalia corpora artifex non ſolùm ſeparare ſeorſim poteſt, ſed & in nihilum redigere, ita vt ſeparatis paſſiuis & materialibus elementis, tria tantùm illa hypoſtatica formalia & actiua principia remaneant, quæ in vnum corpus contracta corpus mixtum efficiunt, quam quintam aut quartam eſſentiam vocant Philoſophi, quæ omni corruptione caret, perfectione & viuificis ſpiritibus abundans, cùm contrà ſola elementa, à tribus principiis ſeparata, nihil niſi impuritates, corruptiones & mortificationem minantur.

Hac vtique certiſſima ac veriſſima demonſtratione perſpicuum eſt, in quouis mixto tria illa elementa reperiri, vt in quauis ſubſtantia naturali tres rerum naturalium ſpecies miſcentur: verbi gratia, lac ſubſtantia eſt, cui non tantùm δυνάμει, ſed re ipſa etiam inſunt tres ſpecies ὕσια differentes inter ſe, ſerum nempè, butyrum & Caſeus, quæ mercurio, ſulphuri & ſali comparantur: quæque tria vt ὁμόφυλα continentur vna lactis ſpecie, ſed lacte corrupto ἀλλόφυλα fiunt, non tantùm craſi, ſed etiam ὕσια inter ſe differentia, cùm ſint effectus naturales: vt paulò poſt oſtendemus apertiùs in ipſo lacte: nec non omnibus aliis rebus naturalibus, qualeſcunque illæ ſint.

Vni autem & ſoli Chymiæ, naturam imitanti, vt paulò poſt quoque dicemus ſuo loco, omnia eiuſmodi ſeparationum elementorum ac principiorum artificia debemus: quibus omnes compoſiti corporis partes enucleantur ac patefiunt. Neque eiuſmodi ſecretionibus ſubſtantiæ illæ naturales dicuntur generari, quaſi priùs non fuerint: neque vt priùs exiſtentes hac ſeparationis arte corrumpuntur, ſed & erant in compoſito, & poſt ſecretionem per ſe eſſe ac ſubſiſtere non deſinunt.

Quemadmodum autem tria principia inter ſe eo modo, quę diximus, copulata ſunt, beneficio nempè oleoſi liquoris iſta coniungentis; ſic tria elementa, aër videlicet, aqua & terra, inter ſe, medii, hoc eſt aquæ interceſſione vniuntur. De vtraque enim natura aëris nempè & terræ aqua analogia ſua participat: quo fit vt modò in aërem, modò in terram facilè conuertatur, ac ſic vtrumque extremum connectat. In habentibus enim ſymbolum, facilis eſt tranſitus, vt ſcribitur à Philoſopho. Sic viciſſim ob ſymbolum & conſenſum aër frigiditate condenſatus tranſit in aquam, & aqua rarefacta fit aer, quemadmodum (vt dictum eſt) & eadem incraſſata ac condenſata in terram vertitur, vt terra attenuata viciſſim in aquam tranſit & mutatur. Ipſa enim aqua conſtat, aere & terra ſimul in liquoris aquei formam effigiatis ac redactis: quod omnibus notiſſimum eſt, & de quo fusè quinto magni ſpeculi noſtri libro egimus: vbi omnes quæſtiones agitauimus, quæ de elementis ac tribus principiis naſci poterant.

Quamobrem cùm aer & terra duo extrema per tertium vtriusque medium, aquam videlicet, aptè coniungantur, vt diximus, ſuperuacaneum fuit Ariſtoteli quaternarium elementorum numerum conſtituere, ex qua-

quaternario primarum qualitatum numero, quamuis certè eleganti via hęc inueſtigauerit, vt videre licet lib. 2. de generatione animalium: vbi probare nititur multis rationibus perneceſſarium eſſe ad rerum productionem quartum elementum, nempè ignem, calidum & ſiccum conſtituere.

At quùm Moſes nullam fecerit lib. Geneſis cap. 1. (in quo creationem rerum omnium docet) ignis mentionem, nos libentiùs diuini Vatis ſententiæ, quam Ethnici Philoſophi ratiocinationibus adſtipulamur: nec alium idcircò ignem agnoſcimus, quàm cœlum & ætherem à flagrando, & ardendo dictum, vt iam docuimus.

Itaque cœlum quartum formalę & eſſentiale elementum, aut quarta potiùs eſſentia, ex reliquis elementis extracta (quintum enim eſſe, ſeu quintam eſſentiam iam reſpuunt Hermetici, quòd quatuor non ſint Elementa, vnde quinta educatur eſſentia, ſed tria tantùm, ex quibus quarta elicitur eſſentia) dici debet: quòd longè nobilioribus virtutibus, quàm elementa vel ſimpliciſſima polleat. Huius enim tanta eſt poteſtas, vt principiorum trium, & craſſiorum elementorum corpora, in mixtionem perfectam alicuius indiuidui moueat, exacuat atque potenter animet, vnde omnes vires, facultates ac proprietates, quas exerunt indiuidua, ex cœlo non aliundè mutuentur. Hinc fit etiam, vt propria eius qualitas non ſit, nec ſiccum nec humidum: item, nec frigidum, nec calidum. Longe enim quid ſimplicius eſt, vtpote ſimpliciſſima ac puriſſima eſſentia, ex ſimplicioribus & ſubtilioribus tum principiis, tum elementis extracta, quæ conſtituit ſimpliciſſimum, puriſſimum, tenuiſſimum, ac velociſſimum corpus, ſumma vi generandi, fouendi, augendi ac perficiendi, præditum: quod naturam ignis vſ-

que adeò æmulatur, vt reuera cœlum nihil aliud ſit, quàm purus & æthereus ignis: nec purus ignis aliud quàm cœlum. Quod quò magis ſubtilitate & puritate principia ac elementa vincit, eò potẽtiores etiam, perfectiores, puriores ac ſimpliciores vires obtinet, quibus omnia penetret, & ſingula quæque ſuis formis ac virtutibus exornet.

Conſtat igitur ex Moſe, nullum aliud elementum igneum exiſtere, præter cœlum, quod quarti elementi locum obtinet, aut quod potiùs quarta eſſentia eſt, ex trium elementorum ſubtiliore materia & forma extracta: quæ nihil aliud eſt, quàm purus, æthereus & ſimpliciſſimus ignis, à tribus elementis tanquam imperfectis longè diuerſiſſimus ac perfectiſſimus: vt qui omnium formarum, poteſtatum ac actionum in omnibus naturæ rebus inferioribus autor ſit, tanquam primaria cauſa, & inſtar parentis erga fœtum ſe habens, vt qui ſemina ſua in ventrem terræ ſuo vento importet, vnde fœtus nutriatur, foueatur, creſcat, & tandem ex elementorum gremio excludatur.

Hoc quidem cœlum, licet nullius ſit per ſe complexionis, hoc eſt, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccum ſit, aut dici poſſit: omnibus tamen rebus ex ſua ſcientia & prædeſtinatione calorem impertit, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem: ſiquidem ſunt ſtellæ & planetæ, qui ſpiritus frigidiſſimos humidiſſimosque, vt ſaturnales & lunares, habeant: alii calidiſſimos & ſicciſſimos, vt ſolares, martiales &c. alii humidos & calidos, vt iouiales, qui virtutibus ſuis ac complexione, qua vnumquodque ſydus & planeta dotatus eſt, omnia hæc inferiora informant ac imprægnant, vt alia indiuidua ſint huius conditionis & complexionis, quam à ſuo informante planeta aut ſtella dutuata: ſunt alia qualem ab aliis ſyderibus aut ſtellis

obti-

obtinuerunt. Cœlum enim obtinuit à Deo ſemina ſimpliciſſima ac perfectiſſima, quales ſunt ſtellæ, planetæ,atq; infinita alia aſtra, quæ vitalibus facultatibus & complexionibus, vt iam diximus, perfuſa,eas in gremium elementorum inferiorum profundunt, eaque animant, ac informant. Nec ceſſat ab operatione ſua cœlum,nec eius aſtralia ſemina, quòd nunquam virtutibus ſuis exhauriantur,nec alterationem aut imminutionem facultatum patiantur,vnde à procreando&formando deſiſtant, etſi aliquando vberiùs, aliquando parciùs fœcundent. Hinc perpetua illa Circulatio, de qua ſupra diximus, cuius beneficio ſemina elementorum, aut materia eorum cum ſeminibus aſtrorum copulantur, conceptum ſuum in gremium maternum referens, vt perficiat & producat fœtum. Vt enim cœlum agere in terram dicitur, ſic elementa inferiora conferunt etiam ſuos actus & motus: ſed diuerſa ratione, ſiquidem cœlum agendo nihil patitur, vtpote adæquatum, homogeneæ ac perfectiſſimæ naturæ exiſtens: adque idcircò incorruptibile ac immutabile, ad prædeſtinatum vſq; finem rerum creatarum. At inferiora hæc agendo ſimul patiuntur: quòd formalia ſua principia cum materialibus mutationi & interitui obnoxiis admixta habeant: vnde fit etiam, vt quæ ex illis producuntur, ſucceſſu temporis corruant.

Quæ cùm ſatis perſpecta habeat Medicus verus, ac Philoſophus, ad ſanitatis conſeruationem, aut eiuſdem deperditæ reſtitutionem, ſedulò incumbit extractioni cœleſtium eſſentiarum ac formarum, ac ſeperationem elementarium principiorum ac materialium, à tribus illis formalibus & ſpiritualibus principiis: quibus ſolis ac ab aliis, quæ heterogenea ſunt, ſecretis vtitur, vt admirandos effectus citra vllum impedimentum exerat. Atque ea eſt vniuerſalis Medicina balſami-

ſamica, in qua omnes partes homogeneæ ſunt, puriſſimæ, ſimpliciſſimæ ac maximè ſpirituales. Quæ cùm ſit ſimpliciſſima, defæcatiſſima & incorrupta, quinta eſſentia dicitur (quam nos malumus quartam eſſentiam vocare) & lapis cœleſtis Philoſophorum. Cuius quidem cùm nullam adhuc cognitionem habuerit Anonymus, malè putauit, cùm de lapide Philoſophorum loquerer, hoc eſt, vniuerſali illa Medicina, me de tranſmutatione metallorum cogitaſſe, quaſi eiuſmodi tranſmutatio ſumma eſſet corporis humani Medicina. At neſciuit perinde in homine microcoſmico latere imperfectorum metallorum fodinas, vnde tot morbi enaſcuntur, vt neceſſe ſit à bono & fideli Medico non ignaro, in aurum & argentum reducere, nempè in perfectam purificationem virtute tàm inſignis & precioſæ Medicinæ, ſi ſanitatem ac proſperam valetudinem conſequi velimus.

Satis fusè, meo iudicio, ſuperius caput de trib. principiis Hermeticis expoſuimus, de ſale inquam, ſulphure & mercurio, nec non elementis & cœlo, ac quicquid ad hanc tractationem ſcitu dignũ ac neceſſarium erat, enucleauimus: ſi quidem ex illis naturalia omnia corpora conſtituta ſunt ac compoſita, & non tantùm ex craſi aut mixtione qualitatum elementarium, quas paſſiuas tantùm eſſe diximus. Actiones verò omnes in ſpeciebus & indiuiduis hærentes, nec non facultates ac proprietates, aliundè proficiſci notauimus, vt nulla fœcunda ſit impreſſio, nullaque conſtans tinctura, nullæ vitales ac potentes qualitates colorum & ſaporum, quæ vel in ſale vel in ſulphure, vel in mercuriali liquore quærendæ ſint.

Quæ quidem à nobis dicta ſi accuratiùs expendantur, vt explicauimus, quanta ſit noſtra cum Ariſtotelicis de principiis concordia, percipiet, aut longè etiam

propiùs ad illa accedant, quàm quæ Anonymus ex ſola craſi rerum nata auguratur. Numquid igitur ſatis validam prætexat defenſionem, ſi Galenum tantum Præceptorem, quem ſequitur, opponat? Qui quidem Galenus Empedoclis dogmata ita ſit amplexus, vt ea eleganti Geometria & methodica forma in conſtitutione rerum, ex materia & craſi, mixtioneue qualitatum elementarium dimenſus pro oraculis, firmiſque rerum omnium rationibus, ab omnibus haberi voluerit. Cuius diſciplina multos irretiuit hactenus fautores ac aſſeclas: vnde nec mirum, ſi ex ſectatorum numero noſter etiam Anonymus, tanquam pro aris & focis dimicans, eiuſmodi placita tueatur. Sed ſi ita ſe res haberet, (quod falsū abundè ſuprà demonſtrauimus) doceat iſte magiſter, ex qua craſi venena, peſtilentialis morbus, aura illa venenata, Epilepſiæ, aut remediorum etiam ſpecificæ proprietates, ſiue purgandi, ſiue obſtructa reſerandi, ſiue ſudores aut vrinas prouocandi, vim ſuam ſortita ſint? Quorum cùm rationes reddere validas ſatis ex ſua craſi Galenus non poſſet, coactus eſt ſæpè palinodiam canere, & ad occultas proprietates confugere.

Longè meliùs ſenſerat Hippocrates, firmiusque fundamentum ſtruxerat, quùm ait, in morbis aliquid ineſſe diuinum, illudque τὸ θεῖον in primis Medico eſſe obſeruandum. Quin & lib. de antiqua Medicina, poſtquam repudiauit quorundam hypotheſes, qui plus æquo craſi & elementorum qualitatibus tribuebant: cumque ipſe ſecus agnouiſſet varias ſaporum differentias, rebus à natura inſitas, quæ ex craſi elementorum proficiſci non poterant, aliam ſubdit rationem, qua ortus & cauſas morborum inueſtigarit, easque dulci, acido, acerbo, amaro, & id genus aliis ſaporib. adſcripſerit, ac morborum curationes ex eadem familia peti

& abſolui

ſalis nimirum & liquiditatem mercurii ſua humiditate viſcoſa: denſitatem ſalis, & permeabilitatem mercurii, ſummè contraria, ſua fluiditate: quæ medium tenet inter ſtabile & permeabile. Adde quod ſumma ſua dulcedine mercurii aciditatem, & ſalis amaritudinem contemperat, & ſua viſciditate mercurii volatilitatem cum ſalis fixione conciliat.

Reſtat vt de viſibilibus elementorum corporibus loquamur, quæ in omnium rerum, tàm mineralium, quàm vegetabilium, & animalium, duo ſemper ſeſe offerunt, ſiccum vnum, humidum alterum.

Corpora viſibilia elementorũ duorum ſunt generum, alterum
- Siccum, quod terra arenoſa ſiue cinis eſt, omni ſale per aquarum lixiuia deſtitutum. Vocaturq; à Chymicis terra damnata, quod nullã vim quàm exiccantem & emplaſticam habet.
- Humidum, quod inſipidum phlegma vocatur, omni ſulphure & mercurio obrutum, nullo odore, ſapore, vitalive alia virtute præditum; quodque tantùm humectare poteſt citra vllam energiam.

Atque vt hæc ſunt inualida, ſic qualitates tantùm paſſiuas, vt diximus, poſſident, atque inutiles, quæ idcircò relollaceæ a nonnullis dicuntur, quòd nullis viribus valeant.

Aër verò, tertium rerum elementum, ſeorſim capi aut ſeparari nequit, ſed vel in auras euaneſcit, vel ſulphure & mercurio permixtus manet, ac imprimis mercurio adhæret, qui vſq; adeò ſpiritualis eſt, vt vel exercitatiſſimus

tatiſſimus artifex non poſſit ipſum à ſeipſo ſolum ſeparare: ſed ſemper in auras cum aëre eius rei, cuius ſit ſeparatio, auolet, cui aëri vsque adeò arctè coniungitur mercurius, vt diuelli ab eo nunquam poſſit, niſi ſolerti artificis peritiſſimi induſtria id fiat: qui nouit, mercurium, ſeu ſalem armoniacum volatilem, cum aëre ſeu aërea parte ita coniunctum eſſe, vt ſimul cum aëre etiam expiret, & cum eo in aquam ſpiritualem reducatur, quæ agnoſcitur mercurialis eſſe aqua ex ſapore admodum acuto, acri & vehementi, qui ex mercurio aut ſale armoniaco naturæ ſpirituali, (vt vocant Philoſophi) promanat. Quem vt ſeparet artifex, liquorem hunc ſpiritualē cōiungit cum ſale Chryſtallino naturaliter fixo, à quo aereū illum liquorē diſtillatione ſeparat, qui ea ſeparatione prorſus vi omni ſpoliatur, & inſipidus manet aereus liquor, eò ꝙ Spiritus ille mercurialis, naturā ſalis volatilis poſſidens, cum ꝑprio ſuo ſale fixo, fixus remanſerit, cum quo ſummam habet analogiā. Sic naturam natura delectari teſtantur Philoſophi. Atq; hoc modo agnoſcit Philoſophus aerem elementarē eſſe ſeparandum à ſpiritu illo mercuriali, reducto videlicet aeris elemento in aquam inſipidam, & ſpiritu mercuriali ſalem propriæ ſuæ naturæ ingreſſo. Præterea hinc innoteſcit, Mercurium aereum quidem quid eſſe, ſeu aerem: attamen aliquid amplius quàm aerem elementarem, qui carens mercurii ſpiritu ſimplex liquor eſt aereus, nullius virtutis aut poteſtatis, quàm ſimpliciter humectandi & penetrandi. Sic actiuæ qualitates meritò principiis vindicantur, vt paſſiuæ elementis.

Hoc dilucidè à nobis demonſtratum eſt exemplo ex vini operatione, allato in libro noſtro, quem examinandum ſuſcepit Anonymus, tanquam cæcus de colore iudicaturus: vt qui prorſus etiam in illo cæcutiat: vnde etiam tàm elegans & ſubtilis œdipus Hieroglyphica

noſtra enodauit, & tàm aptè confutauit, vt cuiuis videre hominis imperitiam liceat.

Quæcunque vis & acumen in aqua vitæ percipitur, aut Spiritu vini, aliunde non quàm ab huiuſmodi mercurio & ſale armoniaco philoſophico, aerea vini parte permixto, proficiſcitur. Quam quidem vitæ aquam acutiſſimam ac perpungentem proprio ſali ex fæcibus extracto ſi affundamus, & diſtillatione ab eo ſeparemus, virtutem omnem, ſaporemque ſuum aqua vitæ deperdet, potabilis futura inſtar aquæ vulgaris, eò quòd Mercurium ſuum, aut Armoniacum volatilem ſalem, à quo vim omnem ac acumen mutuabatur, in ſale ſuo fixo depoſuerit. Quod ſi rurſum ſpiritus vini, qui armoniacum ſalem continet, vt ſupra, per cohobationem & diſtillationem ſæpè repetitam, toties prædicto ſali fixo reaffundatur & educatur, vt pars ſalis volatilis ſalis fixi partem ſuperet, tunc ſublimationis arte verus Philoſophorum Mercurius proliciatur. Hac enim ratione ſal fixus aſcendit & ſublimatur, fixumque fit volatile, & volatile fit fixum, ſi proprium ſulphur purificatum his, vt artis eſt, addatur. Atque ſic ab omnibus heterogeneis partibus ſecretum quoduis mixtum homogeneam puritatem adeptum eſt, actiuamque & efficaciſſimam naturam.

Hæc ſi aliquando deguſtaſſet Anonymus, huiusque tàm præſtantis ac admirandæ artis capax fuiſſet, temperaſſet calamum ab iſtis calumniis, quibus auſus eſt aliena tanquam mea temere accuſare.

Atque hæc dicta ſint, vt pateat omnibus rerum anatomia ac reſolutione, elementum aeris ſeorſim non poſſe excipi, nec conſpici, præterquam à veris Philoſophis & in hac arte verſatiſſimis.

In hunc modum corporum viſibilium rerum, tùm ex ſeminibus & principiis, tùm ex elementis procreatarum,

rum, demonſtratio certa eluceſcit, etſi in reſolutione corporum viſibilia ſeminum corpora non deprehendas ſeorſim poſita. At principiorum trium illorum, nec non elementorum partes facilè ſit ſecretas intueri, in quibus trium principiorum partibus virtutes & poteſtates actionum, quibus pollent ſemina, incluſa ſunt & immixta. Quo fit, vt eorum corpora pariter vitalibus viribus, facultatibus ac energiis aſtralium & ſpiritualium ſeminum referta ſint, tanquam illarum virtutum receptacula. Elementalia verò corpora non niſi paſſiuas qualitates obtineant. Quæ quidem elementalia corpora artifex non ſolùm ſeparare ſeorſim poteſt, ſed & in nihilum redigere, ita vt ſeparatis paſſiuis & materialibus elementis, tria tantùm illa hypoſtatica formalia & actiua principia remaneant, quæ in vnum corpus contracta corpus mixtum efficiunt, quam quintam aut quartam eſſentiam vocant Philoſophi, quæ omni corruptione caret, perfectione & viuificis ſpiritibus abundans, cùm contrà ſola elementa, à tribus principiis ſeparata, nihil niſi impuritates, corruptiones & mortificationem minantur.

Hac vtique certiſſima ac veriſſima demonſtratione perſpicuum eſt, in quouis mixto tria illa elementa reperiri, vt in quauis ſubſtantia naturali tres rerum naturalium ſpecies miſcentur: verbi gratia, lac ſubſtantia eſt, cui non tantùm δυνάμει, ſed re ipſa etiam inſunt tres ſpecies ὐσίᾳ differentes inter ſe, ſerum nempè, butyrum & Caſeus, quæ mercurio, ſulphuri & ſali comparantur, quæque tria vt ὁμόφυλα continentur vnà lactis ſpecie, ſed lacte corrupto ἀλλόφυλα fiunt, non tantùm craſi, ſed etiam ὐσίᾳ inter ſe differentia, cùm ſint effectus naturales: vt paulò poſt oſtendemus apertiùs in ipſo lacte: nec non omnibus aliis rebus naturalibus, qualescunque illæ ſint.

Vni autem & ſoliChymiæ,naturam imitanti,vt paulò poſt quoque dicemus ſuo loco, omnia eiuſmodi ſeparationum elementorum ac principiorum artificia debemus: quibus omnes compoſiti corporis partes enucleantur ac pateſiunt. Neque eiuſmodi ſecretionibus ſubſtantiæ illæ naturales dicuntur generari, quaſi priùs non fuerint: neque vt priùs exiſtentes hac ſeparationis arte corrumpuntur, ſed & erant in compoſito, & poſt ſecretionem per ſe eſſe ac ſubſiſtere non deſinunt.

Quemadmodum autem tria principia inter ſe eo modo, quę diximus, copulata ſunt, beneficio nempè oleoſi liquoris iſta coniungentis; ſic tria elementa, aër videlicet, aqua & terra, inter ſe, medii, hoc eſt aquæ interceſſione vniuntur. De vtraque enim natura aëris nempè & terræ aqua analogia ſua participat: quo fit vt modò in aërem, modò in terram facilè conuertatur, ac ſic vtrumque extremum connectat. In habentibus enim ſymbolum, facilis eſt tranſitus, vt ſcribitur à Philoſopho. Sic viciſſim ob ſymbolum & conſenſum aër frigiditate condenſatus tranſit in aquam, & aqua rarefacta fit aer, quemadmodum (vt dictum eſt) & eadem incraſſata ac condenſata in terram vertitur, vt terra attenuata viciſſim in aquam tranſit & mutatur. Ipſa enim aqua conſtat, aere & terra ſimul in liquoris aquei formam effigiatis ac redactis: quod omnibus notiſſimum eſt, & de quo fusè quinto magni ſpeculi noſtri libro egimus: vbi omnes quæſtiones agitauimus, quæ de elementis ac tribus principiis naſci poterant.

Quamobrem cùm aer & terra duo extrema per tertium vtriusque medium, aquam videlicet, aptè coniungantur, vt diximus, ſuperuacaneum fuit Ariſtoteli quaternarium elementorum numerum conſtituere, ex qua-

quaternario primarum qualitatum numero, quamuis certè eleganti via hęc inueſtigauerit, vt videre licet lib. 2. de generatione animalium: vbi probare nititur multis rationibus perneceſſarium eſſe ad rerum productionem quartum elementum, nempè ignem, calidum & ſiccum conſtituere.

At quùm Moſes nullam fecerit lib. Geneſis cap. 1. (in quo creationem rerum omnium docet) ignis mentionem, nos libentiùs diuini Vatis ſententiæ, quam Ethnici Philoſophi ratiocinationibus adſtipulamur: nec alium idcircò ignem agnoſcimus, quàm cœlum & ætherem à flagrando, & ardendo dictum, vt iam docuimus.

Itaque cœlum quartum formale & eſſentiale elementum, aut quarta potiùs eſſentia, ex reliquis elementis extracta (quintum enim eſſe, ſeu quintam eſſentiam iam reſpuunt Hermetici, quòd quatuor non ſint Elementa, vnde quinta educatur eſſentia, ſed tria tantùm, ex quibus quarta elicitur eſſentia) dici debet: quòd longè nobilioribus virtutibus, quàm elementa vel ſimpliciſſima polleat. Huius enim tanta eſt poteſtas, vt principiorum trium, & craſſiorum elementorum corpora, in mixtionem perfectam alicuius indiuidui moueat, exacuat atque potenter animet, vnde omnes vires, facultates ac proprietates, quas exerunt indiuidua, ex cœlo non aliundè mutuentur. Hinc fit etiam, vt propria eius qualitas non ſit, nec ſiccum nec humidum: item, nec frigidum, nec calidum. Longe enim quid ſimplicius eſt, vtpote ſimpliciſſima ac puriſſima eſſentia, ex ſimplicioribus & ſubtilioribus tum principiis, tum elementis extracta, quæ conſtituit ſimpliciſſimum, puriſſimum, tenuiſſimum, ac velociſſimum corpus, ſumma vi generandi, fouendi, augendi ac perficiendi, præditum: quod naturam ignis vſ-

obtinuerunt. Cœlum enim obtinuit à Deo ſemina ſimpliciſſima ac perfectiſſima, quales ſunt ſtellæ, planetæ, atq; infinita alia aſtra, quæ vitalibus facultatibus & complexionibus, vt iam diximus, perfuſa, eas in gremium elementorum inferiorum profundunt, eaque animant, ac informant. Nec ceſſat ab operatione ſua cœlum, nec eius aſtralia ſemina, quòd nunquam virtutibus ſuis exhauriantur, nec alterationem aut imminutionem facultatum patiantur, vnde à procreando & formando deſiſtant, etſi aliquando vberiùs, aliquando parciùs fœcundent. Hinc perpetua illa Circulatio, de qua ſuprà diximus, cuius beneficio ſemina elementorum, aut materia eorum cum ſeminibus aſtrorum copulantur, conceptum ſuum in gremium maternum referens, vt perficiat & producat fœtum. Vt enim cœlum agere in terram dicitur, ſic elementa inferiora conferunt etiam ſuos actus & motus: ſed diuerſa ratione, ſiquidem cœlum agendo nihil patitur, vtpote adæquatum, homogeneæ ac perfectiſſimæ naturæ exiſtens: adque idcircò incorruptibile ac immutabile, ad prædeſtinatum vsq; finem rerum creatarum. At inferiora hæc agendo ſimul patiuntur: quòd formalia ſua principia cum materialibus mutationi & interitui obnoxiis admixta habeant: vnde fit etiam, vt quæ ex illis producuntur, ſucceſſu temporis corruant.

Quæ cùm ſatis perſpecta habeat Medicus verus, ac Philoſophus, ad ſanitatis conſeruationem, aut eiuſdem deperditæ reſtitutionem, ſedulò incumbit extractioni cœleſtium eſſentiarum ac formarum, ac ſeperationem elementarium principiorum ac materialium, à tribus illis formalibus & ſpiritualibus principiis: quibus ſolis ac ab aliis, quæ heterogenea ſunt, ſecretis vtitur, vt admirandos effectus citra vllum impedimentum exerat. Atque ea eſt vniuerſalis Medicina balſami-

ſamica,in qua omnes partes homogeneæ ſunt, puriſſimæ,ſimpliciſſimæ ac maximè ſpirituales. Quæ cùm ſit ſimpliciſſima, defæcatiſſima & incorrupta, quinta eſſentia dicitur (quam nos malumus quartam eſſentiam vocare) & lapis cœleſtis Philoſophorum. Cuius quidem cùm nullam adhuc cognitionem habuerit Anonymus, malè putauit, cùm de lapide Philoſophorum loquerer,hoc eſt, vniuerſali illa Medicina, me de tranſmutatione metallorum cogitaſſe, quaſi eiuſmodi tranſmutatio ſumma eſſet corporis humani Medicina. At neſciuit perinde in homine microcoſmico latere imperfectorum metallorum fodinas, vnde tot morbi enaſcuntur,vt neceſſe ſit à bono & fideli Medico non ignaro,in aurum & argentum reducere,nempè in perfectam purificationem virtute tàm inſignis & precioſæ Medicinæ,ſi ſanitatem ac proſperam valetudinem conſequi velimus.

Satis fusè,meo iudicio,ſuperius caput de trib. principiis Hermeticis expoſuimus,de ſale inquam,ſulphure & mercurio,nec non elementis & cœlo, ac quicquid ad hanc tractationem ſcitu dignũ ac neceſſarium erat, enucleauimus: ſi quidem ex illis naturalia omnia corpora conſtituta ſunt ac compoſita, & non tantùm ex craſi aut mixtione qualitatum elementarium,quas paſſiuas tantùm eſſe diximus. Actiones verò omnes in ſpeciebus & indiuiduis hærentes, nec non facultates ac proprietates, aliundè proficiſci notauimus, vt nulla fœcunda ſit impreſſio,nullaque conſtans tinctura,nullæ vitales ac potentes qualitates colorum & ſaporum, quæ vel in ſale vel in ſulphure, vel in mercuriali liquore quærendæ ſint.

Quæ quidem à nobis dicta ſi accuratiùs expendantur,vt explicauimus, quanta ſit noſtra cum Ariſtotelicis de principiis concordia, percipiet, aut longè etiam pro-

propiùs ad illa accedant, quàm quæ Anonymus ex ſola craſi rerum nata auguratur. Numquid igitur ſatis validam prætexat defenſionem, ſi Galenum tantum Præceptorem, quem ſequitur, opponat? Qui quidem Galenus Empedoclis dogmata ita ſit amplexus, vt ea eleganti Geometria & methodica forma in conſtitutione rerum, ex materia & craſi, mixtioneue qualitatum elementarium dimenſus pro oraculis, firmisque rerum omnium rationibus, ab omnibus haberi voluerit. Cuius diſciplina multos irretiuit hactenus fautores ac aſſeclas: vnde nec mirum, ſi ex ſectatorum numero noſter etiam Anonymus, tanquam pro aris & focis dimicans, eiuſmodi placita tueatur. Sed ſi ita ſe res haberet, (quod falsù abundè ſuprà demonſtrauimus) doceat iſte magiſter, ex qua craſi venena, peſtilentialis morbus, aura illa venenata, Epilepſiæ, aut remediorum etiam ſpecificæ proprietates, ſiue purgandi, ſiue obſtructa reſerandi, ſiue ſudores aut vrinas prouocandi, vim ſuam ſortita ſint? Quorum cùm rationes reddere validas ſatis ex ſua craſi Galenus non poſſet, coactus eſt ſæpè palinodiam canere, & ad occultas proprietates confugere.

Longè meliùs ſenſerat Hippocrates, firmiusque fundamentum ſtruxerat, quùm ait, in morbis aliquid ineſſe diuinum, illudque τὸ θεῖον in primis Medico eſſe obſeruandum. Quin & lib. de antiqua Medicina, poſtquam repudiauit quorundam hypotheſes, qui plus æquo craſi & elementorum qualitatibus tribuebant: cumque ipſe ſecus agnouiſſet varias ſaporum differentias, rebus à natura inſitas, quæ ex craſi elementorum proficiſci non poterant, aliam ſubdit rationem, qua ortus & cauſas morborum inueſtigarit, easque dulci, acido, acerbo, amaro, & id genus aliis ſaporib. adſcripſerit, ac morborum curationes ex eadem familia peti

& abſolui

Ex Ariſtotelis opinione tria, vt iam diximus, ſummè conſideranda veniunt, primò nempè ſubſtantia ipſa: ſecundò potentia eſſentialis, ſiue ipſius ſubſtantiæ δύναμις, quæ eſt efficax ad agendum: tertio potentia naturalis, quæ dependet à temperamento, ſiue craſi cum operatur. Haud ſecus ex iis, quæ docuimus de trib. principiis ex Hermeticorũ ſchola petitis, tria etiã in omni naturali compoſito corpore ſpectanda occurrunt, primò οὐσία ipſa & forma rei, ſiue ſubſtantia: ſecundò principia formalia actiua: tertiò elementa materialia paſſiua.

Οὐσία ipſa ſola mente comprehenditur, nec ſubiicitur actionibus artificis, vt ſumi ac ſeparari vllo modo poſſit, cùm tota ſit cœleſtis ac ſpiritualis: quæ etiam à cœlo nobis communicatur, & in corpora infunditur. Huius tamen actiones ac functiones nobis ſunt per tria illa principia manifeſtæ: præſertim per ſpiritum mercurialem, qui præ aliis duobus principiis magis ad naturam ætheris accedit, eſtque τὶ ὑσιῶδες, & ὑσίας ſeu animæ proximum inſtrumentum, non ipſa tamen ὑσία ſeu anima. Hocque inſtrumentum eundem locum retinet ac officiũ, in omni naturali corpore, quod potentia eſſentialis Ariſtotelicorum, quæ neq; ipſa ſubſtantia eſt, ſed præcipuum functionum ſubſtantiæ organum ab ipſa inſeparabile, propriumq; πάθος appellatur. Ad quam potentiam rerum facultates omnes referuntur, quemadmodum ad tria illa actualia principia, ac inprimis ad Mercurium.

Elementa verò paſſiua potentiæ naturali propriè reſpondent, ſiue craſi, vel ad eam tanquam ad cauſam inſtrumentalem referri poſſunt. Ad quam Ariſtoteles non magis defert facultates ac proprietates potentiæ eſſentialis, quàm Hermetici paſſiuis elementis virtutes principiorum agentium denegant. In quo perſpi-

cua Ariſtotelicæ ac Hermeticæ doctrinæ concordia elucefcit.

Sed quorſum tantoperè hunc inter Ariſtotelicos, Hippocraticos & Hermeticos conſenſum quæramus: aut ſaltem vtramque doctrinam parùm inter ſe remotam & alienam contendamus, ſi cernendum exhibeamus hanc trium hypoſtaticorum principiorum cognitionem, cum vera puriſſimi Philoſophi Moſis Philoſophia conſentire ac conformem eſſe, quem certum eſt ex ore Dei locutum, & calamo eiusdem ſcripſiſſe, quæ toto Geneſis libro, aliiſque exarauit. Quis auſit ethnicam Philoſophiam & humanam cum diuina committere, aut etiam plus illi quàm huic fidei arrogare? Abſit vt æquali gradu vtramque collocemus, ne dum humanæ diuinam ſubiiciamus.

CAP. XV.

Quod ex ſacris Moſis ſcriptis tria principia Phyſica traduntur, quæ vbique ſiue in cœlo, ſiue omnib. elementis potentia & actu deprehenduntur, vt nihil ſit in tota mundi creatione, quod ipſis careat.

QVæ ſit autem diuini Vatis Philoſophia, quam ex ſchola ſua docuit nos Deus, dicimus ipſum Deum ex nihilo chaos quoddam, ſeu abyſſum, ſeu aquas vocemus, creaſſe. Ex quo chaos, abyſſo, aquis ſpiritu Dei animatis, Deus vt ſummus Archetypus & creator, ſeparauit primo loco lucem à tenebris, & cœlum iſtud æthereum, quod cernimus, tanquam eſſentiam quintam, aut ſpiritum puriſſimum, ſiue corpus ſpirituale ſimpliciſſimum. Deinde aquas diuiſit ab aquis, hoc eſt, liquorem ſubtiliorem aereum & mercurialem à liquore craſſiore, viſcidiore, oleaginoſo ſeu ſulphureo. Sulphur

phur dein, hoc eſt, aquas craſſiores ab arida parte didu-xit, quæ inſtar ſalis ex ſecretione ſubſtitit, & adhuc ſub-ſiſtit ſeorſim. Nec tamen ita ſeparatæ ſunt illæ partes vniuerſales totius chaos, quin adhuc ſingulæ tria illa principia apud ſe retineant, citra quæ eſſe nequeant, nec generationes adimplere. Hoc tantùm Deus fecit, vt puriora ab impurioribus ſepararet, hoc eſt, puriorem & æthereum mercurium purius & inextinguibile ſulphur, purius & magis fixum ſal, in pellucida & inextinguibilia aſtra ac lumina, in cryſtallinam ac diamantinam ſubſtantiam ſeu corpus ſimpliciſſimum, quod cœlum dicitur, ſupremum quartumque elementum formale reduceret, ex eoq; formæ in craſſiora elementa ad rerum omnium generationem, tanquam ſemina infunderentur. Quę quidem craſſiora elementa dicuntur, quòd ab iis in diuiſione chaos puriſſima pars extracta ſit, & in cœlum fructusque eius redacta. Quæ quidem omnia elementa, ſiue ſimpliciſſimum illud quartum, ſiue quæ craſſiora dicuntur, cùm conſtent ex tribus illis principiis hypoſtaticis, nunquam ita ſeparari olim potuerunt ab inuicem, aut ab artifice nunc ſecerni poſſunt, quin ſemper, quodcunque ſupereſt, ex tribus illis componatur. Diſcrimen eſt, quòd aliæ ſecretarum partium ſint puriſſimæ, ſimpliciſſimæ & maximè ſpirituales ſubſtantiæ, aliæ craſſiores & minùs ſimplices, aliæ craſſiſſimæ & ſummè materiales.

Fatendum igitur, cœlum licet ſimpliciſſimum, ex tribus illis principiis conſtare: ſed puriſſimis ac ſpirituoſiſſimis totis formalibus, alia verò craſſioribus & impurioribus. Quo fit vt virtutes cœli, cùm totæ ſint ſpirituales, facilè in alia elementa, formas ſuas etiam ſpirituales citra vllum impedimentum penetrantes, in inferiora elementa infundant: vnde corpora naturalia omnia propagationẽ ſuam, tùm virtutũ, tùm facultatũ,

K for-

ſortiuntur. Si cœli puritatem præ aliis elementis intueri velimus, eiuſque perpetuam conſtantiam, id teſtantur luculenti illi ignes perpetuò rutilantes ac lucidi, quibus cœlum puriſſimam & inextinguibilem ſulphuris ſubſtantiam, ex qua conſtant, impertitum eſt. Quale enim cœlum eſt eſſentia, tales & ſimiles fructus ſubſtantia progenuit, ex quorum vitalibus impreſſionibus ac influxibus, ſimile quid ſui, in craſſioribus elementis procreant: ſed pro ratione materiæ craſſius vel tenuius, durabilius aut conſtantius, vel magis caducum indiuiduum. Influxus autem eiuſmodi ignium ſpiritus ſunt mercuriales. Lucem illam ac rutilum ſplẽdorem ſulphur eſſe diximus: cœli verò eorum fixi aut circuli vitrei ac cryſtallini ſalinum eſt corpus, qui circuli vitrei adeò puri, lucidi & fixi ſunt, vt ne adamas quidem de ſalis fixi natura participans, puritatis aut durationis ac perpetuitatis præ illis quippiam obtineat.

Sequentis elementi, hoc eſt, aerei principia, longè craſſiora ſunt, minùs pura, minùsq; ſpiritualia, ac ſimplicia, quàm cœleſtia: attamen mercuriis & ſulphuribus aqueis ac terreſtribus multò perfectiora, tenuiora ac penetrantiora, vt quæ poſt cœlum proximum actiuitatis ac potentiæ gradum obtineant, quorum vires cernuntur in ventis variis, qui fructus ſunt mercuriales, ac ſpiritus aerei elementi: cuius etiam ſulphura in cometis ardentibus conſpiciuntur pura lucidaque, qui quidem ignes non ſunt aut ſulphura perpetua, quæ extinctioni non ſint obnoxia: vt contrà longè à natura aſtrorum aut ſulphurũ cœleſtium degenerarunt, vtpote à puritate ac ſimplicitate in craſſiorẽ formam ac impuriorẽ digreſſa. Quod ad terram attinet aeream, vſque adeò ſubtilis ac tenuis eſt, vt propemodum viſum fugiat per totum aeris ambitum diffuſa: quæq; non niſi

mannis,

mannis, roribus, pruinis, tanquam ſalib. aereis ſeſe conſpiciendam præbet. Hæc eadem principia aeris percipi poſſunt etiam in meteoris: quæ in illo & ex illo generátur, fulminibus videlicet, coruſcationibus, tonitruis, & id genus aliis. Sulphur nempè in ignea illa flamma quæ erumpit. Mercurius in ſpiritibus ventoſis, & ſumma velocitate, & fixus ſal in lapide fulminis.

Huius naturæ fructus etiam thereniabin, noſtoch, manna cœleſtis, & mel, quod ſelectum apes ex floribus exugunt, quibus ineſt, apertè nobis indicant, iſta omnia nihil præter mercurium, ſulphur & ſalem eſſe aerea. Quod opificium mellis, nec non mannæ, ſatis etiam docent, nec citra admirationem veri Philoſophi, qui norunt ea in ſuas partes ſecernere: quod & ruſticus etiam ſuo modo percipit, cum ipſum in ceram ſulphuream & aduſtibilem, in mel mercuriales eſſentiæ, & fanum terreſtrem ſalem referentem ſeparare ſciat.

Atque ſic globus ille ſuperior in cœlum æthereum & aereum diſtinctus ſua tria principia habet, inter ſe tamen ſimplicitate & puritate valdè diuerſa, vt diximus.

CAP. XVI.

In quo docetur, in inferiori mundi globo, nempè in Aquâ & Terra elementis, eorumque fructibus tàm mineralibus, quàm vegetabilibus, tria principia præſertim eluceſcere & contineri.

IN inferiore globo ea adhuc clariùs ſeſe nobis produnt, ob materiam eorum craſſiorem in ſenſus noſtros facilè incurrentem. Etenim ex aquæ elemento in conſpectum noſtrum quotidie erumpunt ſucci & ſubſtantiæ metallicæ, quorum ſuccorũ vapores magis ſpirituoſi mercuriũ exhibent: ſicciores exhalationes ſulphur: fuligines verò aut coagulatæ illorũ materiæ ſales

demonſtrant. Quorum ſalium variæ prætereà ſpecies à natura nobis exhibentur, aluminis, vitrioli plures differentiæ, ſal gemmæ, ſal armoniacus &c. Varia ſulphurum bituminum naphetæ, atque mercuriorum ſeu ſuccorum genera. Quinetiam mare teſtatur, ſe non eiuſmodi mercurialibus, aereis & ſulphureis ſpiritibus carere: cuius meteora in Caſtore & Polluce, aliiſque ignibus ex variis eius ſulphuribus ac exhalationibus incenſis, ſatis abundè huiuſce rei fidem faciunt. Nec deſtitui ipſum ſalibus manifeſtum eſt ex ipſius ſalſedine: quod probat & ipſa terra, quæ ſpongiæ inſtar ſalinum eius corpus perpetuò exugit: vnde fit vt tot ac tàm diuerſa in ea metallorum ac mineralium genera naſcantur. A quo quidem ſale marino, tanquam patre ac prima origine, omnes alii ſales deriuantur, vt alibi fuſiùs docuimus. Atque iſta ita in omnibus ſeorſim elementis ſeparantur principia, vt nullum tamen eorum aliorum conſortio priuetur. Etenim in ſale marino, etſi natura ſalis aliorum principiorum naturam ſuperet: ſulphurea tamen & mercuriali eſſentia non deſtituitur, vt experientia, à ſeparationis arte petita, quiuis vel mediocris chymicus demonſtrare poteſt. Etenim ex eo nouit ſpiritum mercurialem acidum vi ignis prolicere, qui æthereus ac idcircò potentiſſimus ſoluit in liquorem, vel duriſſimum omnium metallum ac firmiſſimum, quale aurum eſt, quod nullo vel ardentiſſimo igne alioqui vinci aut quauis temporis diuturnitate conſumi poteſt, vt ipſe teſtatur Augurellus his verſiculis:

———Vni nil deperit auro
Igne velut ſolum conſumit nulla vetuſtas &c.

Quinetiam artifex ex eodem ſale nouit conglaciatos lapillos prorſus dulces ac ſulphureæ naturæ educere, qui tamen potẽtem ac admirandam ſoluendi, quicquid

quid etiam fixiſſimum eſt, vim habent. Quod verò reliquum eſt, ſal eſt. Ita vt apertè eluceſcat, vel in ipſo ſale marino tria principia, hoc eſt, mercurium, ſalem & ſulphur contineri.

Illud ipſum etiam animaduertere eſt in vitriolo, quod inter reliquos ſales ſummè corporeum eſt. In eo enim ferè ſemper & Veneris & Martis ſpecies deprehendere liceat in ipſo & inter ſe coniunctas. Quod induxit in animum Poetarum, qui Philoſophiam Cabaliſticam delibauerant, vt inde Martis & Veneris amores confinxerint. In eo, inquam, vitriolo, tria principia illa, ſal, ſulphur & mercurius apertè eluceſcunt. Cuius Mercurius prorſus æthereus, ſpiritum viridem, acidulum tantarumque agendi ac penetrandi virium poſſidet, cùm ex arte puriſſimus ſeparatur à Phlegmate elementari paſſiuo: vt breui momento corpora metallica, ac ſubſtantias vel duriſſimas, ſiue metallicæ, ſiue lapideæ eæ ſint, cuiuscunque generis diſſoluat. Atque is Leo viridis eſt, de quo Ryplæus tanta prædicat. Obſeruatur ſulphur in vitriolo per ruffam quandam ochram dulcem, quæ ab eo facilè ſeparatur. Quod rerum lenitiuum, ac verum narcoticum eſt: omniumq; dolorum leuamen ac ſedatiuum. Quod in nepenthe noſtro alibi deſcripto tanquam baſim conſtituimus. Colcotar autem aut fæx illa rubra in fundo ſubſidens poſt ætherei, mercurii & ſulphuris dulcis ſeparationem, ſalem in ſe continet albiſſimum, cuius extractio maximum (attamen leniſſimum) exhibet vomitiuum, multis morbis congruentiſſimum & vtiliſſimum, vt hæc in vitriolo, comperiuntur tria principia, haud ſecus in alumine aliiſque ſalibus eadem deprehenduntur, prout in ſale communi iam oſtendimus.

In ipſomet ſulphure vulgari id ipſum animaduertere etiam licet, in quo præter ſubſtantiam ſulphuream &

inflammabilem, mercurialis etiam acidulus liquor vſque adeò penetrabilis, vt validiſſimas ac duriſſimas ſolis & lunæ portas reſeret, continetur. Sal verò aliis partibus detractis in fundo ſubſidet, vt cuiuis chymiæ tyroni notiſſimum eſt. Ac (vt obiter etiam hoc dicam) talis eſt ſpiritus iſte ſulphuris acidulus, vt quamuis ex ſulphure toto aduſtibili educatur, tantùm abſit eum flammæ concipiendæ eſſe obnoxium, vt etiam quò minùs incendatur, puluis pyrius impediat, ſi vel tantillum eius huic inſpergatur, vt iam alibi diximus.

Haud ſecus accidit vulgi mercurio, qui totus æthereus ac ſpiritualis eſt (vnde tertium principiorum rerum omnium, quod ſpiritualiſſimum eſt, nomen mutuatum eſt, etſi ſimile non ſit vulgari mercurio, aut argento viuo in forma;) Ex eo enim & liquor & dulce ſulphur, ac ſal, extrahi poteſt.

Hinc iudicare facile eſt, tria iſta Chymicorum principia non eſſe ſalem, mercurium ac ſulphur, vulgaria; at aliquid naturâ purius ac ſimplicius, quod tamen analogiâ quadam ſali, mercurio, ſulphuri vulgaribus reſpondet, vnde etiam principia noſtra eiuſmodi nomen ſuum ſortita ſunt. Nec immeritò, quòd vulgaria iſta ſint inter omnia mixta, ſimpliciſſima ac maximè ſpiritualia. Alia enim mixta craſſioribus corporum ſubſtantiis impediuntur, quò minùs æquè volatilia ac ſpiritualia ſint aut dici poſſint, ſiquidem multis heterogeneis etiam partibus conſtant, quibus vulgares iſti ſpiritus non adeò irretiuntur.

Ex prædictis illis tribus principiis metalla omnia compoſita ſunt, quamuis diuerſimodè: atque hæc eſt cauſa, cur alia ab aliis longè differant: ſiquidem in ferro ſulphur, quod cremabile eſt, & penè totum abit in fauillas per ignem, ſuperat quantitate alia duo principia, eisq; prædominatur. Hinc fit, vt totum igneſcat: cui idcircò à priſcis Philoſophis Cabaliſtis nomen Martis ple-

tis planetæ ardentiſſimi, impoſitum eſt.

Sic cuprum multum habet ſulphuris, ſed minus adustibilis, quàm ferri eſt, multum quoque ſalis vitriolati: at parum obtinet mercurii, Sal autem ille vitriolatus fermentum eſt illud acidum naturę, quo generationes rerum omnium naturalium propagantur: vndę cupro Veneris nomen tributum eſt, in qua ſecundus eſt inter planetas quaternarius, vbi aceruantur, fouentur ac coagulantur ſpiritualiter cœleſtes omnes eſſentiæ, vnde Planeta hic Venus dictus ab antiquis Philoſophis (altæ ac profundæ huius ſcientiæ gnariſſimis) mater generationum vocata eſt, & à ſpuma maris generata.

Stannum in ſe multum habet mercurii aerei ac ætherei, ſulphuris verò combuſtibilis mediocrem quantitatem: at minimam ſalis portionem obtinet. Atque hinc factum, vt ab iiſdem Philoſophis dictus ſit Iupiter, qui planeta eſt prorſus aereus ac ęthereus, vt etiã a Poeta hac ratione conſtituatur Rex aeris, & regio fulminis.

Aurum porrò & argentum, quæ omnium metallorum exquiſitiſſima ſunt, ac nobiliſſima, ex tribus iiſdem conſtant principiis, ſed in æqualitate permixtis, atque ita perfectè, ſummaque cum puritate vnitis, vt non tria in illis exiſtere, ſed vna tantùm videatur in illis eſſe eſſentia prima, ex qua conſtent. Nam ſal eorum, ſulphur ac mercurius, vsque adeò arctè & per minima inter ſe iuncta ſunt, vt vna ſubſtantia non tres aut ex tribus conſtans eſſe videatur. In Luna tamen puriſſimus mercurius videtur excellere ac dominari, vnde humidior ſole redditur, qui temperatiſſimus omnium eſt. At in auro ſulphur fixum & incombuſtibile, naturæ igneæ, efficit vt inuictum idcirco contra vim omnem ignis reddatur, ac ne tantillum quidem eius abſumatur, quod ſimile ſimili nullam vim inferat, ſed contra ſeſe mutuò foueant & conſeruent, vnde fit etiam vt in igne iubilet, ac nobilius puriusque ex

eo ſemper emergat. Idcirco auro, cùm veriſſimè ignis & ſplendor ſit æthereus, Solis nomen inditum eſt: Qui maximè igneus ac lucidiſſimus planeta eſt, nec non omnibus rebus vitam calore ac ſpiritibus ſuis impertiens. Argentum verò ob humiditatis mercurialis vim & proprietatem, quibus pollet, Lunæ, planetæ vtique humore radicali refertæ, ac prægnantis nomen ſortitum eſt.

Plumbum ſalis multum copioſumque mercurium indigeſtum, incoctum ac crudum continet: at minus ſulphuris volatilis. Hinc fit vt omnium aliorum metallorum, quæ in fumum diſpergit, (vt ex cupella promptum eſt videre) examinator eſſe dicatur. Excipiuntur tamen perfecta illa metalla duo fixaque, quæ nequit abſumere, aurum videlicet atque argentum. Hanc autem fugandi, & in auras imperfectorum metallorum corpora diſpergendi, virtutem obtinet, ab illa mercurii volatilis crudiq; quantitate, qua abundat: cùm alioquin ex natura ſulphuris ſui poſſit contra eoſdem ſpiritus metallicos coagulare, ac in corpora reducere: quemadmodum & argentũ viuum natura prorſus volatile, æthereum ac verè homogeneum & ſpirituale, congelat quodammodo ac figit. Ita vt hinc conſtet ſpiritum caloris & frigoris, atque idcircò vitæ ac mortis metallicæ, ei inſitum eſſe à natura. Vnde etiam agnoſci poteſt veriſſimum eſſe illud Hermetis, vt quod eſt ſuperius idem ſit ac quod eſt inferius. Qui enim Saturnus Planeta eſt in ſuperioribus elementis, idem & plumbum eſt in inferioribus. Atque ſic de reliquis. Luna enim cœleſtis terreſtri Lunæ reſpondet, hoc eſt, argento Iupiter æthereus, Ioui terreno aut aquatico, vt dictum eſt. Saturno autem primus quaternarius tribuitur, (ſi decem cœli ex maximorum Aſtronomorum opinione conceduntur) in quo omnes re-

rum

rum ſpirituales ac cœleſtes eſſentiæ primò, tanquam ex nihilo ſpiritualitatem quandam, aut ſimpliciſſimum ac ſpiritualiſſimum corpus ſibi inchoant, prout in Venere diximus ſecundum quaternarium eſſe poſitum, in quo magis fixæ redduntur eſſentiæ prædictæ. Siquidem vnus & alter planetarum, poſt triangulum ſuperiorem & præcedentem, qui infiniti inſtar eſt, & terminis veluti omnibus carens, quadraturam conſtituunt, qua cubum refert, in quo terminus conſtanter ſiſtitur. Plumbum autem natura ſua metallica eandem cum Saturno frigoris & cōdenſionis aut coagulationis proprietatem poſſidet: vnde idcircò & Saturni nomen obtinuit, nec non etiam, quòd ſicuti Saturnus omnium excelſiſſimus eſt ac primus, inſtar patris, ex Poetarum ſententia: ſic plumbum aliorum omnium metallorū, velut prima radix, ac primus parens habeatur. Nec vtique carebit res magna admiratione, ſi interiora plumbi viſcera diſſecemus. Etenim (præter ea, quæ de eius coagulationibus ac diſſolutionibus externis diximus, quæ vel tyrones ipſos in arte non fugiunt) quàm ſtupendæ glacies, ac ſuſpiciendi ætherei ignes intus in ipſo lateant: nec non vehementes ſpirituum coagulationes, ſolutionesque corporum etiam fixiſſimorum, quas operatur, cernere ac mirari ſubibit.

Hæc autem tàm præclara, tàmq; ſublimia myſteria, quùm æquiùs ſupprimere foret quàm inuidis, conuitiatoribus ac calumniatoribus proſtituere: Operæ tamen pretium eſſe duxi, eorum imperitiam, quam in loquendo & ſcribendo de ſibi ignotis oſtendunt, coërcendo: melioris notæ viros, ac arcanorum rerumque pulcrarum, ſtudioſos candidè hac in parte iuuare. Ac primùm vt oſtendam quàm craſſa ſit illorum hallucinatio, dum metalla humore omni primogenio

orbata opinantur, quòd extrinſecis tantùm oculis externam illorum duritiem ac ſoliditatem intueantur, nihil in occultis & interioribus eorum partibus mentis acie peruidentes: en, interiorem plumbi anatomiam hic exhibebo, vt tandem videre incipiant, oculisque ipſis hauriant, quæ nunquam animo, aut olfecerunt, aut concipere potuerunt. Ac primo loco principia illa tria, eorumque admirandas ἐνεργείας ac effectus, patefaciemus: nec non vitales eorum proprietates, virtutes, ac facultates, quæ quidem latent compedibus corporis craſſi ac terreſtris obrutæ, quo plumbum ita ponderoſum, craſſum ac impurum redditur, quale ab Anonymo noſtro tantùm conſideratur. Quod vbi diſſeruerimus, longè aliam de eo opinionem Anonymus noſter, ſi volet, concipiet, aliamque eius naturam eſſe, potentiorem ac nobiliorem, agnoſcet, vbi eam enucleauerimus, vt ſequitur.

Primò plumbum calcinetur, quod variis modis fit, (præter eam calcinationem, quæ vi ignis fieri ſolet, & quam ſolam agnoſcit Anonymus;) Plumbum enim in ceruſam reducitur, aceti odore, ſicut cuprum in viride æris vim pediculorum vinaceorumque vi conuertitur. In calcem quinetiam reducitur plumbum, cum ſolo ſale. In hunc modum figuli ſua vaſa plumbeo vitro incruſtant. Quocunque modo in calcem fuerit redactum, ipſam calcem accipe: vel, ſi mauis, Minium, quod nihil aliud quàm plumbum calcinatum eſt, in rubrum colorem vi ignis perductum: ex quo cum menſtruo aceti radicati vegetabilis vel animalis, hoc eſt, ex melle extracti, ſalem educito. Hinc fiet vt tota plumbi calx in gummi mellitum, aut conſiſtentiam, naturam & proprietatem ſalis habentem, reſoluatur. Salis enim inſtar diſſolui in aqua dulcedinoſi cuiusdam filtrari & coagulari poteſt, variisque aquarum ſolutio-

nibus ac filtractionibus ita dealbari, ac in ſaccari dulcedinem gratiſſimam reduci, vt tùm fiat præſtantiſſimum omnium febrium ac inflam̃ationum, tàm internarum, quàm externarum, vt opthalmiarum, refrigerium ac remedium.

Qui quidem ſal, etſi vſque adeò dulcis ac refrigerantis virtutis, in internis tamen ſui partibus mercuriũ æthereum ac ſulphur oleaginoſum concluſa habet, aut ardentiſſimam aquam, quæ acumine ſuo linguam violentiùs feriat aqua ipſa vini ſtillatitia, vitæ aqua dicta. Quæ ex ſaccarino illo ſale, vel dulcedine plumbi, vi ignis, ex retorto vaſe, in capax recipiens eruitur. Cuius operatio cernitur ex ſpiritib. candidis, recipiens prædictum opplentibus ac offundentibus, donec tandem liquor rubeus ſanguinis inſtar extillet, quod eſt oleum eius fixum.

Ex hoc autem liquore ardente, flam̃am promptiùs quàm ipſa aqua vitæ vini concipiente, ſeparari poteſt mercurius, aut ſpiritus magis æthereus per matratium oblongi colli, lento igne. Quo ſecreto reliqua materia mediocris ſubſtantiæ, hoc eſt, ſulphurea, oleoſa & conflagrationi apta, in imo vaſis, cum ſpiritu ſalis nitroſo ac ſulphureo, ſubſidebit.

Ex fæcibus nigris, quæ in fundo retortæ remanent, Philoſophico more in calcem redactis extrahitur ſal fixus, qui ſolutionibus & coagulationibus crebris cum proprio Phlegmate factis ac repetitis, cryſtallinus tandem euadit. Cui ſi poſtea affundatur ſenſim & ex arte ſpiritus eius æthereus, vt inde pondus duplum aut triplum ſalis volatilis & verè mercurialis contrahat, ita vt laminæ ignitæ iniectus in fumum diſpereat: Sic tandem mediante ſublimatione conſequeris terram foliatam Philoſophorum, quæ ſplendorem ac perſpicuitatem longè maiorem adipiſcetur, quàm quæuis

vel

vel pellucidiſſima perla Orientalis cerni queat: quam terram Philoſophi ſuum mercurium vocant, qui vel ſolus admirandas iam obtinet proprietates ac facultates.

Huic porrò ſi ea quantitate,quę iuſta & ſatis ſit,proprii etiam ſulphuris ſeorſim ſeruati ac exaltati, oleoſus liquor adiiciatur, variiſque cohobationibus ac extillationibus identidem repetitis is educatur, reaſſundatur ac diſtilletur, donec ex triade vnitas conſurgat:tunc ex terreſtri plumbo craſſo ac materiato emerget quoddam cœleſte,verumq́ue naturæ diſſoluens, ac quinta eſſentia admirandæ virtutis ac energiæ:verus ac viuus limpidiſſimusq́ue fons, in quo (vt aſſerunt Poetæ arcana ſua velantes) Vulcanus Phæbum abluit, ac omnibus impuritatibus defæcat, vt puriſſimum & perfectiſſimum reddat, vitalibus auris & ſpiritibus refertum vegetationisq́ue plenum: ſicque eum ſuis adamantinis vinculis, quibus conſtringebatur, & à victoria in Pythonem ſerpentem arcebatur,expedit, omnibusque impedimentis ita exuit, vt ab omnibus cataractis ac denſa caligine,quibus offundebatur liber,nunc ſplēdidiſſimum nobis lumen irradiet, quo toti refocillamur,iuueniles vires recipimus,omnem imbecillitatem deponimus, ac denique inſtar illius Cretenſis Regis Æſonis, ope Medeæ, in iuuentutem redintegrati renouamur. Qui cùm anteà totus frigidus exanguis, ac inanimis & prorſus extinctus videretur, hoc fonte ablutus totus ſplendens magnanimus omnibusq; virtutibus ſtipatus reſurgit & exultat,vt immenſa ſpirituū copia rediuiuus liberè ſplendorē ſuum nobis communicet,&balſami noſtri radicalis vires ſuo obtutu & contactu potentiſſimè foueat ac corroboret, omniū etiam affectuum latentes in nobis cauſas & ſeminaria prorſus erūcans, ac ita abſumens,vt nullo negotio in perpetua ſanitate

ſanitate ad præſcriptum vſq; vitæ terminum nos tuea-tur ac conſeruet.

Hic qui aures habet, attentè audiat: alioqui recedat ab opere, à quo etſi viam ad perfectam operationem præ aliis, qui me præceſſerunt, meo quidem iudicio, apertiorem parauerim, poſſit aberrare, niſi rei addictus totus fuerit.

Hinc via veris Philoſophis ſternitur, ad magnum illud & præſtantiſſimum opus minerale cōſtituendum, ſiue ad præparandam vniuerſalem Medicinam ex mineralibus, (vegetabilem enim iam libro meo inſulsè ab Anonymo carpto, deſcripſi) cuius cenſura, tanquam rei incognitæ, quantos riſus ac cachinnos moueat, quiuis vel idiota percipiet. Nec operam hic luſiſſem in illa caſtiganda, niſi publicæ vtilitati conſulerem: in cuius gratiam lubenter adhuc patior, hunc libellum à me extorqueri.

Atque hæc quidem demonſtratio eſt, qua in omnibus metallis vel ſolidiſſimis tria illa principia inueſtigari poſſunt, & ſeorſim etiam arte ſeparari, ac oculis ſubiici. Quod vt faciliùs intelligeretur, exemplo plumbi docere voluimus, quod ab omnib. tanquam viliſſimū abiiciatur, cùm tamē à Philoſophis in ſummo precio habeatur, quòd norint ſatis, quid intrinſecus arcanorum foueat: ſuumq; ſolem vocēt, aut leproſum aurum.

Ex huius Saturni ſtirpe Antimoniū oriundum, tanquam primus ex trunco ramus, quod ſuam Philoſophi magneſiam vocant: præ aliis omnibus metallicis ſubſtantiis, tria illa principia apertæ actiuitatis & efficaciꝫ plena, continet. Paracelſus inter omnes alios Chymicos Philoſophos mirum in modum omnes ipſius partes ac principia excuſſit, ac ſedulò examinauit: cuius ſubſtantiam ſupra alias omnes metallicas ſubſtantias extulit ac celebrauit; ac imprimis mercurium eius, ex

quo

quo tanquam ex præcipuo ſubiecto, ac nobiliore materia, pulcherrima & elegantiſſima ſuorum operum elaborauit. De cuius laudibus hæc ſunt Paracelſi verba, lib. de Aurora: *Verum, inquit, auri balneum eſt Antimonium, quod Philoſophi vocant examinatorem & ſtylangem. Poetæ verò fabulantur Vulcanum in eo lauacro lauiſſe Phœbum, & ab omnibus ſordibus imperfectionibusq; ipſum repurgaſſe: natum expuriſſimo perfectiſſimoq; mercurio, & ſulphure, ſub vitrioli genere in metallicam formam atque ſplendorem.* Idem ipſum Paracelſus Archidoxorum & de vita longa libris, primo enti auri adæquat, de cuius etiam virtutibus ac effectis admiranda prædicat: vtque ſupremum ac perfectiſſimum auri expurgatorem eſſe teſtatur: ſic & hominum, Mercurius eius in regulo ipſius conſpicitur. Rubeum etiam eius ſulphur dilucidè apparet, cuius ea eſt proprietas, vt ſulphuris vulgaris inſtar ardeat & flammam concipiat, id quod noctu præſertim & obſcuro loco videri poteſt, citra vllum fumum, quem vulgare ſulphur ſolet emittere. Hoc antimonii ſulphur ſolare eſt, vt quod argenti extrinſecam faciem inaurare queat. Quod ad eius ſalem ſpectat, ſeparatur etiam is ab illo, cuius proprietas in vomitu proliciendo poſita eſt. In eius enim floribus ſalinis vis admodum vomitiua delitеſcit: ex quibus ſi ſal detrahatur ac ſeparetur virtute cuiuſdam ſalis, vt fieri poteſt, tunc ex floribus illis præſtantiſſimum fit citra vomitum purgatiuum.

At non paruam adfert admirationem proprietas mercurii illius, qui in liquatione auri cũ pluribus aliis metallis facta, reiectis omnibus aliis, vnum aurum ſibi deligit, cui commiſcetur, amplexatur, ac in vnum corpus coit & vnitur, ita vt in fundum ſecum detruſo ſolo auro alia omnia metalla illi ſupernatent, excepta luna, quæ ad perfectionem ſolis quodammodo accedens

dens superficiem globuli aut nuclei aurei incruſtat tantùm, non tamen ingreditur, ſed facilè ab eo ſeparatur. Hoc ipſum Arnaldus Villanouanus ſic aſſerebat in ſpeculo occulto. Ecce totum magiſterium, inquit: Ergo conſidera illam rem ſolam, quæ mercurio & corporibus perfectis magis adhæret, & habebis ſcientiam per Deum viuum. Qui vbi fusè Leonem illum omniuorum depinxit, hæc adiicit: *Quia lapis noſter eſt ſicut argentum viuum occidentale, quod prætulit ſe auro & vincit illud, & eſt illud, quod occidere & viuere facit. Et ſcias quod argentum viuum noſtrum coagulatum, eſt pater omnium mineralium huius noſtri magiſterii, & eſt corpus & ſpiritus, &c.*

Sed quùm Anonymus noſter præter vitrum quoddam, quod ab omnibus Philoſophis damnatur, nihil de antimonio deguſtarit, mirari deſino, quòd ſenſa verborum Arnaldi ſummi Philoſophi ac Medici, myſtica, captum ingenii illius ſuperent, nec quantæ ſint, quamque variæ, ac admirandæ trium principiorum Antimonii proprietates, virtutes ac facultates, ſalis inquam, ſulphuris & mercurii illius (de quibus paulò pòſt aliquid dicemus) ingenio concipere, nedum intelligere valeat.

Eadem ſeſe nobis offerunt in aliis ſemineralibus principia, vt in Arſenico, auripigmento, & aliis id genus. Quæ licet naturæ ac ſpiritibus noſtris cōtraria ſint tota ſubſtantia, vt loquuntur: eam tamen à natura ſua poſſident promptitudinem ſpiritualem, ac, vt ita dicam volatilitatem, vt facilè ſeſe noſtris, licet naturæ contrarię ſpiritibus, ſiue intus aſſumpta, ſiue extra admota, ſubtilitate ſua immiſceant, venenoſosque ac lethales effectus inducant, idque ratione mercurii arcenicalis ac venenati ſeu ſulphuris arcenicalis atque ſalis arcenicalis.

Quin & gemmę ac pretioſi lapides iiſdem triũ principiorum virtutib. ac qualitatib. præditi ſunt: vtpote ex quorum igne ac ſplendore eorum mercurius pro ſua homogeneitate ac puritate refulgeat, ſali ſuo fixo firmiter, nec non eiuſdem naturæ ſulphuri adhærens, vnde ſecreta omni heterogenea ſubſtantia, puriſſimus lapis, conſtantiſſimus ac omnis temporis purgationiſque expers, diuturnitatis auri æmulus exurgat ac efformetur.

Huiuſmodi eſt firmiſſimus, ac conſtantiſſimus adamas, cui bonus ille ſenex Saturnus plumbeum ſui mercurii purioris colorem, nec non fixos ac conſtantes purioris ſui ſulphuris ſpiritus impertitus eſt, ſalemque cryſtallinum vſq; adeò affirmauit, fixiſſimeq; compegit ac conglaciauit, vt omnium factus ſit lapidum ſolidiſſimus ac duriſſimus, ex arctiſſima videlicet trium principiorũ vnione ac cohærentia, quæ nulla arte ſeparationis in ſolutionem principiorum ſuorum ſpiritualium diſiungi queat. Atque hinc factum vt nullius in Medicina vſus fuerit apud antiquos, quod nuſquam atteri, aut in primam ſuam materiam ſolui potuerit.

Nec putandum, antiquos ab eius vſu ſuperſediſſe, quod natura venenatum eſſe crederent: vt nonnulli falsò iudicant: qui quùm ſit homogeneæ ac ſimpliciſſimæ naturæ, totus cœleſtis eſt, ac puriſſimus, proindeque innoxius: ſed quòd attritus tantummodo, nec vſquequaque idonea præparatione aptatus, in ventriculum ingeſtus, atque ibi duritie ac ſoliditate ſua incoctus permanens, temporis diuturnitate, ſenſimque tunicas eius erodat ac dilaceret, vnde ex viſceris corroſione mors tandem pedetentim inducatur.

Auri eſt, ſulphure ſuo, carbunculos tinctura rubea, nec non rubinos ac granatos inficere: nec colorum eorum diſcrimen aliunde naſcitur, quàm ex mercuriorum & ſa-

& ſalium cryſtallinorum diſſimili defæcatione: quæ prout perfectior, aut imperfectior eſt, erumpit color alio præſtantior vel deterior, nobilior aut ignobilior.

Etſi autem luna extrinſecus alba eſt, nihilominus intrinſecum fouet azurinum ac cœruleum colorem, quo ſapphyris tincturam ſuam exhibet.

Venus externa ſuperficie ruborem referens, interno potitur virore, vt viride æris ex ea conflatum teſtatur: quo ſmaragdum viridi colore inficit.

Mars intrinſecus rubeus, vt crocus eius apertè indicat: ſed longè diſſimili ſulphure ab eo rubore igneo, quem ſol in intimis ſuis partibus occultat, colore hyacinthos imbuit.

At terrenus Iupiter, naturæ tamen cœleſtis particeps (quem etiam, vt iam diximus, fingunt aeris regem, quòd aereos omnes colores, eoſque varios apud ſe contineat) variis ac diuerſis coloribus opalas tingit ac imbibit.

Ex quibus lapidibus omnibus ab experto Chymico, non ſecus cum menſtruo eorum cœleſti ſuper proprio ſaccaro cohobato ac extillato (quod ante ſeptem & viginti annos in libro noſtro de ſpagyrica medicamentorum præparatione deſcripſimus) extrahi poteſt ſuus color: ac ex auro, aliiſq, metallis, ipſorum tincturæ educi poſſunt, cum menſtruis, veris ſpagyris notis, ac familiaribus: ſed præſertim cum cementatione ac reuerberatione, quam doctus artifex nouit ex tenuiſſimis ac ſubtiliſſimis metalli laminis cum pumice elaborare, qui ex ſulphure auri rubeſcit, ex veneris ſulphure vireſcit, vt & ex aliorum pariter ſulphuribus infici ſolet, cum quibus cementatur ac reuerberatur. Quibus tamen tincturis ac ſulphuribus metallicis cum idonea ac congrua aqua ſpoliari ac euacuari poteſt, vt in medicamenta variis morbis conferentia aptentur. Sic &

L colo-

&colores ac ſulphura lapidum extracta, vt ante dictum eſt, in Medicinas accommodari poſſunt.

Sed quùm, quæ in libro noſtro de ſpagyrica medicamentorum præparatione, non ſint multis peruia, quòd idcircò ac de induſtria ea obſcuriora reddiderimus, ne à porcis margaritæ proculcarentur: nunc in candidiorum Medicorum gratiam explicamus menſtruum illud cœleſte, quod nihil aliud eſſe dicimus, quàm rorem menſis Martii, eiusque ſaccarum mannam: ex quibus duobus ſimul mixtis, digeſtis ac diſtillatis generale diſſoluens erumpit tincturis lapidum omnium educendis aptiſſimum. Quin & ſaccaro ſolo, & ex melle priuatim diſſoluens quoddam extrahi poteſt, quod ſoluendis metallis, hoc eſt, tincturis eorum extrahendis opportuniſſimum habetur. Vt autem Philoſophi ac Medici Cabaliſtæ liquores ac tincturas ſapphyricas vitriolicasq; cerebri affectib. ſpeciatim adaptarunt, Auri verò cordis defectibus, Iouis pulmonibus adſcripſerunt, Mercurii hepati, vt Saturni lieni, Martis renibus, & veneris genitalibus membris, generationi dicatis; haud ſecùs gemmarũ ac lapidum ſulphura tincturęque, iisdem partibus, prout ex ſuis planetis conſtant lapides, inſeruiunt, ac conducunt: quibus prçterea innata eſt vis, vt generatim radicali noſtro balſamo corroborando ac reficiendo idonei ſint.

Atque hæc ex mediis aquis eiusque fructibus trium noſtrorum principiorum certiſſima elicitur probatio. Cuius rei vt fuſiorem adhuc demonſtrationẽ faciamus, aſſumamus corallum in exemplum: qui quidem marinus eſt fructus, oculis vegetabilis, ac in arboris formam excreſcens: quod præ aliis omnibus fructibus, quos mare progignit, plus ſalis nitroſi aut nitro ſulphuris flammam concipientis continet, ex quo vsque adeò flagrans liquor eſt, vt non minus aqua ardente ex vino

prolecta,

proiecta, flammæ & incendio ſubiiciatur. Quod experientia patebit, ſi vel citra calcinationem etiam in puluerem comminuatur, & diſſoluentis acuti ac acidi virtute, quemadmodum iam docuimus in plumbi operatione, in ſalem redigatur, in quem magna pars abit & conuertitur: ex libra vna huius ſalis exſiccati, & à menſtruo optimè ſeparati, Chymicus Philoſophus vel ſex vncias ſpirituum vi ignis poteſt educere, qui facilè in liquorem ſpiritualem, flammæ concipiendæ aptum, reſoluatur. Ex quo liquore idem expertus Chymicus & mercurium cœleſtem ac æthereum, tincturam rubram ſulphuream, nec non ſalem poteſt excernere, & ex iis mercurium Philoſophorum elaborare, qui cum ſua aqua vitæ coniunctus ac mixtus ſingulare per ſe auxilium præbet: cuius virtus & bonitas centuplo augebitur, cùm apta diſſoluendi arte aurum in eo ſolutum fuerit, vt à perito Philoſopho fieri poteſt.

Si quis iſta malè credulus in dubium reuocet, vt corralla ex ſe reddant aquam ardentem, & quæ flammam poſſit concipere, eaque quantitate, quam diximus, teſtem huiusce veritatis omni fide ſuperiorem adducere poſſum Dominum de Beauliei Ruzè in ſacro Regis conclaui Conſiliarium, ac ſecretorum ſcriniorum regnique Gallici ſtatus ſcribam ac Amanuenſem ſapientiſſimum. Cuius fides, probitas ac autoritas mihi centum teſtium inſtar eſſe poſſit ac debeat. Qui ipſis oculis artificium noſtrum & induſtriam in extrahenda ex corallis aqua vitæ ardentiſſima ac flagrantiſſima, cum tinctura, in ſua arce de Longemeaux intuitus eſt, præſente D. de l'Eſtoille, Doct. Medico, apud quem Medici ordinarii officio tum temporis fungebatur, quemq; ſibi adiunxerat explorandæ veritatis ſocium, eam vbi fas fuit prædicauit, ac malè credulos quosdam, nō infimæ alioqui notæ viros, in veritate huius artificii con-

firmauit, ne in re tàm certa incerti hærerent ampliùs, quàm ex me experientia didicerat ac peruiderat.

Hæc igitur tria principia, ſi in cœlo, aere & aquis comperiuntur, vt docuimus, quis dubitat, maiori ratione illa in terra exhiberi, & ex ea apertiùs enucleari poſſe, cùm ſit omnium aliorum elementum fœcundiſſimum ac feraciſſimum?

Quin imò in omni terra pluuiis aquis nequaquam diluta, at tota pingui, tria iſta principia, in vna eademque ſubſtantia, quæ nihilominus diſtingui poſſunt, deprehenduntur. Exemplum vnum huius rei propoſuimus in tractatu noſtro de Priſcorum Philoſophorum Medicinæ materia, in quem Anonymus noſter totus inſtitit & adhæſit, ex eo triumphum captans & canens. Exemplum fuit de nitro aut ſale petræ, quem artifex nitrarius in ſuum vſum ſolet diſſecare. Ex eo enim imprudens etiam & ignarus quid agat, diuerſa iſthæc noſtra principia apertè ſeparat ac prolicit. Sal enim marinus in eo apparet, in lixiuium ſuum ſolutus.

Deinde ſal nitroſus aut ſulphureus, quem præſertim quærit artifex, in glaciem coagulatus ab alterius ſalis natura longè lateque remotus, vtpote altero nempè maſculo & fixo, in aqua facilè ſolubili. Altero verò (qui ſulphureus eſt) in eadem aqua nullo negotio ſeſe coagulante: qui quidem nitro ſulphureus ſpiritus in ſe latentem continet æthereum ac cœleſtem mercurii ſpiritum, à quo magnam vim ac motum illum nanciſcitur ſal ille ſulphureus. Quique mercurialis ſpiritus ab artifice Chymico nullo negotio extrahi poteſt ex ſale petræ aut nitro ſulphure. Vt hinc facilè conſtet, tria illa vitalia principia in tota terræ ſubſtantia apertè contineri ac diſtinctè demonſtrari. Quæ quidem terra ac eius eſſentia, cùm ſit totius vniuerſi tertium princi-

principium, tribus tamen & ipſum conſtat principiis, ſale videlicet mercuriali, ſale ſulphureo, & ſale terreſtri, aut ſalino, quibus eſſentia illa terreſtris, ac tertium vniuerſale principium conſtat. Quæ à nobis ſatis dilucidè in libro noſtro explicata, & tamen ob exilem ingenij Anonymi noſtri captum in peruerſum ſenſum detorta, nec intellecta, facilè ei riſum mouerunt, quin & in calumnias diras aduerſum me concitarunt, qui auſus ſit impietatis me inſimulare, quòd huiuſmodi myſteriis, veterum ſequens veſtigia, ex creatione mundi, & in partes reſolutione, Trinitatem diuinam adumbratam notauerim, vnde eius Trinitatis gloria eluceſceret ac hominibus innoteſceret.

Nec non etiam hinc ſibi applauſit ingenioſus vir: quod recurrente nouo vere, cum tellus, veluti amore flagrans, & vi ſalis ſinum reſerans, excludere ac producere ſpiritus ſuos mercuriales ac nitro ſulphureos, vnde arbores ſuccis & liquoribus diffluant, herbæ & plantæ floribus luxurient, atque inde ridere prata ex Poeta dixerimus ſic apertis omnibus terræ meatibus, & virtutibus ſpirituum vbique ſeſe exerentibus. Dignum ſcilicet argumentum, nempè hominis ſtultitia, quæ rideatur.

Si probè homini iſti cognita eſſet generationum natura, rideret ne aut ambigeret à mercurialibus ſpiritibus & nitroſulphureis, non tantùm iſta in lucem produci nuda, ſed tot elegantibus tincturis, floribus, pigmentis tanquam gemmis ac pretioſis vnionibus inſigniri ac exornari? Sed iſta apertè ſatis docuimus libro illo noſtro, ſpirituum ſalis, petræ exemplo, qui alembici vitreum corpus etiã penetrant ac permeant, in eiusque ſuperficie excipiuntur inſtar minutiſſimæ farinæ floris, omnium generum colores ac picturas referentis, vt totum vitrum opalæ, variarum ac diuerſarum tincturarum ſpeciem exhibeat.

Mercuriales ſpiritus in foliis & fructibus ſeſe oſtentant. Sulphurei in floribus, ſeminibus & nucleis. Sales in lignis, corticibus & radicibus: ita tamen vt ſingulæ illæ tres arboris aut plantæ partes diſtinctæ, etſi aliæ ſpiritui mercuriali dicatæ, aliæ ſulphureo, aliæ ſalino; ſeorſim tamen in tria illa principia adhuc reſolui poſſint, nec ſine iis conſtare queant, vtcumque ſimpliciſſimæ ſint: omnis enim rerum eſſentia, qualiſcumque ſit in rerum natura, his tribus conſtat & perficitur principiis. Quòd autem aliæ mercuriales dicantur, alię ſulphureæ, aliæ ſalinæ, idcirco fit, quòd mercuriales plus mercurii, ſulphureæ plus ſulphuris, ſalinæ plus ſalis, quàm aliorum in ſe contineant. Ex plantis enim integris nonnullæ ſulphureæ ac reſinoſæ magis conſpiciuntur, quales inter arbores eſt abies, pinus, quæ perpetuò virent, vel in ipſis montib. rigidiſſimis, quòd ſulphureo principio abundent, præcipuo vegetationis inſtrumento admodum vitali. Nonnullæ enim aliæ ſunt plantæ, vt laurus, malus aurea aut medica, & id genus aliæ, quæ quidem diu vireſcunt, at frigori tamen obnoxiæ, quòd earum ſulphur ſit volatilius, ac minùs facilè diſſipari poſſit, quàm abietum, quę reſinoſæ ſunt ac mucilaginoſæ, atque idcirco fixioris ac conſtantioris vitæ arbores, aduerſus temporum iniurias munitæ. Denique aromata omnia, omneſque herbæ fragrantes ac odoriferæ, ſulphureæ ſunt: vt tamen ſingularum herbarum ſingula ſint, & admodum diuerſa ſulphurea, quæ propemodum varietate ſunt infinita, vt hic de iis plura dicere non ſit locus.

Aliæ ſunt plantæ, quæ ſalem referunt, vt quę guſtu etiam tales deprehendantur, qualis eſt chelidonia, vrtica, aron, raphanus, ſinapi, allia, porum, perſicaria. Quæ etiam virtute ac copia ſui ſalis temporum iniuriis reluctantur.

Ros

Ros ſolis, ſic dictus, inter Mercuriales plantas mercurio abundat, vt & horaria & cerealia omnia. Quod tamen principium, cùm ſit admodum volatile ac ſpirituale, niſi ab alio aliquo magis corporeo retineatur, nempè ab aqueo aut aereo liquore, omnē conſpectum effugit externū. At Chymica arte diſſectum & enucleatum, interiore ſua anatomia, cum aliorum principiorum ſeparatione ſecerni etiam ac deprehendi ſenſibus poteſt, vt Mercurius ex omni re primò in diſſectione aut ſeparatione extrahatur in vaporē aqueum, ſulphur in oleaginoſum. Tertiò ex fæcibus reſiduis rerum, & in cinerem redactis, ſal per propriam aquam prolicitur, qui albiſſimus & tanquam cryſtallinus ſalis acerbi, acris ac pungentis, aut alius id genus ſaporis, guſtum referat, vnde verū eſſe ſalem deprehendatur, qui in aqua, ſalium vulgarium more, ſolui poſſit, tantùm à cinerib. reliquis diſtans, quantum vita à morte: cùm fęces ab eo relictę terra mortua dicantur, hic verò actionibus planè vitalibus ſit refertus.

Deniquè in omni plantæ genere, eiuſque partibus omnibus, inhęrent tria hæc principia, variis proprietatibus ac facultatib. pro plantarum varietate inſignita: quibus etiam peritus Medicus variè vtitur, vt ſingula ſingulis, & congrua congruis adaptet, iuxta ſcopum, quem ſibi proponit attingendum.

Hinc patet internæ rerum anatomiæ neceſſariam eſſe cognitionē, quæ ex ſignaturis rerum proprietates ac virtutes earum facilè indicat, quas experientia confirmare liceat. Sumamus, verbi cauſa, oleum aut ſulphur buxi perpetuò virentis & vitriolati, cuius ingrato odore ſulphur narcoticum, quod continet, nobis exhibetur. Eius inquam buxi oleum, etſi facilè cremabile, maximum tamen dolorum omnium lenitiuum eſt, vtpote ſulphuris narcotici vitriolati naturam ac proprie-

tatem æmulans, æque cum vitriolo epileptico etiam morbo ſpecificè conferens.

Si proprietates principiorum camphoræ ſpectemus, perſpicuum erit (etſi in aqua ardeat) ex ingrato eius odore, proprietatem illi ineſſe refrigerantem & narcoticam; cuius etiam oleum dolorum ſedatiuum eſt præſtantiſſimum, cùm tamen contrarios effectus exerat, vt quòd primo inſultu igneam quandam qualitatem exhibeat. Ob proprietatem eius in ſedandis doloribus Arabes eam tertio gradu frigidã eſſe iudicarunt. Huius experientia in dolore dentium perſpicua eſt. Si enim dens eroſus ac cauus eius oleo attingatur, dolorem remittit & recreat. Hoc idem oleum præſentiſſimum eſt remedium in renum doloribus calculo laborantium. Eo enim & diſſoluitur & eiicitur calculus, ſi ex congruo liquore adminiſtretur.

Aliorum etiam oleorum aliæ ſunt proprietates. Siquidem aniſi & fœniculi olea aut ſulphura diſcutiendis ac exigendis flatibus apta ſunt.

Caryophillorum ſulphur, nucis muſcatæ, Cicamomi, aliorumque aromatum: quemadmodum & mentæ, & ambroſiæ, ſaluiæ, bethonicæ olea, atque id genus alia corroborando ac calefaciendo cerebro & ventriculo idonea ſunt.

Sic piperinum oleum, attenuans, diſſoluens ac incidens tartareas in corpore materias & nitroſulphureas aut bilioſas, etſi vtcumq; calidius à multis exiſtimetur; bilioſis tamen febribus, vt tertianis & aliis fugandis, longè quouis alterante aut refrigerante ſyrupo accommodatius eſt.

Haud ſecus ex ſeminibus papaueris, cucurbitæ, melonis, cucumeris, & id genus aliis frigidis, extrahi poſſunt olea flagrantia ac ardentia: quorum tamen operationes calorem non inducent, quin potiùs quietẽ ac refri-

frigerium. Cum ſpiritibus autem ſulphureis vegetabilium mercuriales ſpiritus ſæpenumero coniuncti ſunt: ita vt ex ipſa therebinthina ferè tota ſulphurea, vt & ex pice & reſina ſpiritus mercurialis, acidus liquor arte elici poſſit, vim habens aceti diſtillati inſtar diſſoluendi etiam ſoliditſſima ipſa corpora. Quinimo in doliolis, in quibus pix imponitur mercurialis, ille acidus liquor ab ipſa pice ſeparatus reperitur eademmet diſſoluendi facultate præditus. Ex raſura lignorum & corticum viridium arborum ac vitriolatarũ, prȩſertim quales ſunt Iuniperus, Buxus, quercus, caiacũ, &c. idem acidulus mercurialis liquor igne lento primò extillat ad diſſolutionẽ corallorum perlarum idoneus. Ex quib. mercurialib. acetatis liquoribus varia quinetiam concinnari poſſunt remedia tùm humorib. fermentandis, digerendis atque attenuandis apta: tùm ſudorib. vrinisq; mouendis, calculisq; atterẽdis & cõminuendis, variisq; aliis affectib. (mercurialib. prȩſertim) curandis idonea ſeu ſpecifica.

A ſulphuribus & mercuriis ad quorundam ſalium anatomiam tranſeamus. Diximus ea in genere expurgationi ac euacuationi vniuerſali corporum inſeruire: ſiue ſedes moueant, ſiue vrinas, ſiue vomitum, ſiue ſudores proliciant, ſiue detergant, incidant, aperiant, aut quacunq; ratione obſtructiones expediant.

Quemadmodum tamen inter ſulphura & mercurios variæ ſtatuuntur differentiæ: ſic magna eſt ſalium varietas, & inter eos virtutum ac operationum diſcrimina. Verbi gratia, ſal ſiliquarum fabarum inter alios mitum in modum cauſticus eſt ac vrẽs, qui tamen ex iuſculo iuſtà doſi exhibitus admodum dioreticus eſt, vt nihilominus citra noxam ac viſcerum offenſionem efficaciſſimè operetur.

Fraxini ſal potentiſſimè obſtructiones reſerat, lienis præcipue affectibus congruentiſſimus.

Artemiſiæ & Sabinæ ſales prouocandis menſtruis ſunt accommodatiſſimi.

Sic ſales teſtæ bouis, aut ononidis, ſaxifragæ, lithoſpermi aut milii ſolis raphani, diſſoluendo calculo & arenulis exturbandis è renib. ac veſicis magna proprietate conducunt.

Singularis etiam proprietatis ac facultatis habentur ſales bardanæ, petaſitis & cardui benedicti, qui diaphoretici ſunt, nec non mentę ac abſinthii, qui ventriculi tunicis expurgandis aut detergendis propriè ac priuatim incumbunt, ſtomachum ſimul corroborando. Sic guaiacinus ſal ſpecifica proprietate ſolutiuus eſt, vt mercurius eius aciditate, quam poſſidet, fermentationē ac attenuationem teſtatur: & oleum aut ſulphur eius vim diaphoreticam obtinere. Ex quibus tribus principiis, ſi priora duo ſpiritualia ac magis ſimplicia ex artis decreto proliciantur; fixum verò, hoc eſt ſal (arte veris Philoſophis cognita) extrahatur & ſeparetur: deinde in vnum corpus, quod elixir Arabes vocant, contrahatur: ſudorificùm, alterans, concoquens ac purgans ſimul fit medicamentum. Qui triplex motus ac operatio, ex vna eademq; eſſentia, ex tribus vnita, proficiſcitur, auxilium certiſſimum præbens, loco argenti viui (ſi vſus ipſius reformidatur) aduerſus luem Veneream, vt abundè conſilio noſtro de lue Venerea docuimus.

Tartareus ſal ex eorum genere, quæ acriùs linguam feriunt, (oleaginoſus ac ſulphureus) vsque adeò tamen acris eſt, vt pote ex vegetabili admodum vitriolico & acerrimo extractus, vt præ aliis omnibus acrimoniam exerat potentiſſimam: attamen ſi cum ſpiritu aut ipſomet oleo vitrioli acerrimo permiſceatur, eius nihilominus acerbitatem & ferocientem ſpiritum ita moderari & coercere poteſt, vt ex vtroque fiat coagulum, indeq; dulcis & gratiſſimus ſyrupus aut vtiliſſimus componi

poni poteſt, qui orexi aut acrimoniæ ventriculi, eiusque ardori conducat, nec non omnibus colicis affectibus ſedandis, ex ſpirituum ponticitate, auſteritate aut acrimonia vitriolica, quàm pituitam acidam aut vitream vocant, ſuſcitatis, aptiſſimus ſit.

Eiuſmodi omnes mercurii, ſulphur & ſales vegetabilium, ex terræ mercurialibus ac vitroſulphureis ſpiritibus, ſubſtantiisq; metallicis emergunt, ſed longè meliores, ſuauiores ac nobilioris conditionis ſuis parentibus, ex quibus orti ſunt, exiſtunt.

Nullus tandem dicendi fuerit finis, ſi ſingula omnium indiuiduorum principiorum diſcrimina ſeorſim perſequi vellem, ſingulorumque facultates, ac proprietates demonſtrare, quæ terra mariqúe procreantur, aut arte chymica ex procreatis eliciuntur. De his fuſiùs diſſero libro meo de Recondita rerum natura: quorum hic obiter quædam attigiſſe ſit ſatis, in exemplum tàm variorum effectuum trium illorum principiorum, idque vt nobiliora ingenia ad rerum arcanarum perueſtigationem, & tantæ tamque elegantis Philoſophię ſtudium, excitem ac exacuam, vtque Anonymus noſter ſuam hinc cæcitatem agnoſcat, ac deteſtetur, qui hactenus nondum trium principiorum, tùm in omnibus rerum naturalium indiuiduis apertè eluceſcentium, ſubſiſtentiam olfecerit, nedum intellexerit, quo factum vt eorum potentiis ac facultatibus, ſpiritualibus nequaquam, ſed craſi rerum materiæ, vitam & effectus vitales naturalium rerum adſcripſerit.

Tria igitur hæc vitalia principia, in cœlo, elementis, vt aere, aqua & terra, ac elementatis corporibus tàm mineralium quàm vegetabilium, ſatis dilucidè enucleauimus. Reſtat vt eadem in animalibus teneamur ac demonſtremus.

CAP. XVII.

Vbi docetur tria illa prima principia in animalibus omnibus reperiri.

A Volucribus autem ſeu auibus ordiemur, quarum primordia ab ipſo ouo excutiemus. In ipſis enim ouis, quàm vſpiam alibi, naturæ ſuæ luculentiora exhibent teſtimonia: ſiquidem albumen mercurium æthereum teſtatur. Quod etſi mucilaginoſum eſt, ſeminis tamen locum obtinet, ac æthereum ſpiritum, generationis autorem, & prolificum ſub ſe & in ſeſe fouet, ex quo potiſſimùm auis gignitur. Vnde etiam mirum eſt, tot tantaſque virtutes ac facultates diſſoluentes ac attenuantes in albumine oui, tanquam æthereo mercurio, deliteſcere: etſi contrà vulgaris hominum ferat opinio: qui quòd ipſum coagulari ac concreſcere in duritiem etiam lapidis videant, ex eius vſu in renibus & veſica lapides ac calculos generari iudicent, cùm ſecus potiùs veriſſimum ſit & præſtantiſſimum omnium ſalium, vel fixiſſimorum etiam, nec non ſulphureorum naturæ gummatum ſolutiuum. Luteum oui, volucris alimentum, verum eſt ſulphur. At pellicula & cortex non tantùm portionem quandam ſalis continent, ſed tota eorum ſubſtantia ſal eſt: idque fixiſſimus, ac conſtantiſſimus omnium naturæ ſalium, vtpote qui ad nigredinem perductus, & combuſtibili ſulphure per calcinationem expeditus, omnem ignis vehementiam ac vim ſuſtinet: quod proprium eſt ſalium fixiſſimorum, aut certiſſimæ ac conſtantiſſimæ eorum fixionis. Eiuſmodi paratus ſal nulli non calculo atterendo ac ſoluendo, ſummè idoneus eſt.

Nec in his tantùm, quæ dicta ſunt, continentur tria hæc principia, quin & in ipſam perfectam auem tranſeunt. Siquidem in ſanguine & carnibus mercurius exhibetur;

hibetur: in pinguedine ſulphur: in ligamentis, neru s, oſſibus & ſolidioribus partibus ſal deprehenditur, & illamet in volucribus principia ſunt ſubtiliora & magis aerea, quàm in aquatilibus aut terreſtribus. Verbi gratia, ſulphur ſiue oleoſa ſubſtantia volucrum ſemper eſt magis tenuium partium, quàm piſcium aut animalium terreſtrium.

Idem de piſcibus dici poteſt: qui etſi ex frigida aqua & procreati & nutriti, non tamen carent ſuis pinguedinibus calidis ac ardentibus, aut flammæ obnoxiis. Quin & mercurio ac ſale præditi ſint, nemo ſanæ mentis eat inficias.

Haud ſecus terreſtria quæque animalia his tribus principiis conſtant: quin & longè nobiliorem perfectionis gradum ea in illis conſequuta ſunt, quàm in vegetabilibus. Siquidem quæ in alimento, hoc eſt, vegetabilibus, quibus veſcuntur animalia, cùm ea ſint crudiora, coctione ab animali adhibita, vt ea animal in ſuam ſubſtantiam conuertat, fiunt longè perfectiora ac efficaciora. In vegetabilibus enim tantum erant ea vegetatiua, quæ in animalibus præter vegetationem, quam retinent, ſenſitiua etiam fiunt, atque ideò nobilioris naturæ ac præſtantiæ. In illis ſulphura referuntur per axungias, ſepa, pinguedines & medullas, vnctuoſas, oleoſas ac confragrationi aptas Salia oſſibus & ſolidioribus aliis partibus repræſentantur, vt mercurii eorum fidem facit ſanguis & reliqui humores, ac vaporoſæ ſubſtantiæ. Quæ tamen ſingulæ illæ diſtinctæ partes non idcircò dicuntur mercuriales, ſulphureæ & ſalinæ, quòd ſolo mercurio animali ſulphure animali, & ſale animali, citra aliorum principiorum coniunctionem conſtent; At quòd in mercurialibus mercurius, in ſulphureis ſulphur, in ſalinis ſalia dominentur, vt de ſero lactis, butyro & caſeo oſtendimus. Ex quibus tribus anima-

animalium principiis, olea, diuerſi liquores, ſaleſque diuerſi, vſibus humanis tùm ad nutriendum, tùm medicandum apti, arte chymica eliciuntur, vt alibi docebitur.

CAP. XVIII.

De Homine, in quo vina omnium eius partium ac humorum anatomia, principiorumque trium hypoſtaticorum virtutes ac proprietates, nec non eorum cum humoribus analogia demonſtrantur.

Reſtat vt in homine ea exquiramus ac inueſtigemus, in quo comperientur eſſe tantò ſubtiliora & perfectiora, quantò nobilitate & præſtantia reliquis omnibus creaturis antecellit. In illo enim, tanquam in Microcoſmo, tria hæc principia, tàm diuerſa, vt in Macrocoſmo, ſed longè ſpirituoſiora ac præſtantiora continentur. Homo ſiquidem à Philoſophis quaſi compendium totius maioris mundi dicitur: quem etiã Macrobius paruum mundum vocat, vt magnum mundum ingentem eſſe hominem vult. Idem Greg. Nazianzenus initio libri de hominis opificio teſtatur. Cuius hæc ſunt verba, homo, inquit, idcircò à Deo poſt reliqua factus eſt, vt Deus in ipſo exprimeret ſub breui cõpendio, quicquid diffusè antea fecerat. Hactenus ille, vbi videmus, inter homines à peritis Doctoribus ſimile quid præſtare, qui vbi diſcipulos ſuos fuſiore oratione docuerunt, in ſummam tandem omnia contrahunt, quæ paucis verbis & minori labore ea illoùe memoriæ inculcet. Sicuti enim vniuerſa hæc mundi machina in mundum intellectualem, cœleſtem & elementarem diuiſa eſt, quorum intermedius eſt cœleſtis, qui alios duos non tantùm diuerſiſſimos, ſed prorſus contrarios copulat

lat ſupremum illum intellectualem, videlicet totum formalem ac ſpiritualem: & elementarem, materialem ac corporeum. Sic in Homine triplex eiuſmodi Mundus perpendendus eſt in tres partes apertè diſtributus, arctiſſimè tamen copulatas ac probè vnitas, Caput videlicet, thoracem & inferiorem ventrem. Qui quidem inferior venter partes generationi ac nutritioni dicatas complectitur, qui elementari mundo & inferiori reſpondet. Intermedia pars, thorax ſcilicet aut pectus, vbi ſedes cordis poſita eſt, motuum omnium fontis, vitæque ac caloris, refert cœleſtem illum mundum intermedium, quod vitæ, calorisque ac motuum omnium principium eſt. In quo ſol imperium habet, vt cor in pectore. Summa verò & ſuprema pars, quæ caput eſt aut cerebrum, originem continet intelligentiæ, cognitionis & ſedem rationis, quemadmodum intellectualis mundus ſupremus, qui Angelicus mundus eſt. Hac parte enim homo fit naturæ cœleſtis particeps, intelligentiæ, ſentientis ac vegetantis animæ omniumque cœleſtium functionum formalium & incorruptibilium: cùm alioqui elementaris eius mundus totus ſit craſſus, materialis ac terreſtris.

Vt autem homo ob formam ſuam ſubſtantialem omnes animæ facultates, earumque gradus poſſidet: Naturalem videlicet, quæ vegetatiua eſt: Animalem, quæ ſenſitiua & vitalis: ac Rationalem, quam Deus iam formato homini inſpirauit: quæ quidem ſingulæ tres alias ſub ſe inferiores continent, quas hoc loco enarrare non eſt opus: ſic ratione corporis materialis hominis tres ſunt in illo radicales ac balſamicæ eſſentiæ, ex quibus tùm continentes corporis partes, vt carnoſæ & ſolidiores, tùm aliæ, tùm contentæ, ſpirituales videlicet & fluidiores partes formantur aut compinguntur, nutriuntur, & vitam ſuam hauriunt. Sal in illis ſolida-

rum omnium partium radicale principium eſt: vtpote quòd ſemini etiam animalis inſitum, ſolidas partes compingat ac coaguler, vnde veluti fundamentum habetur compaginis. Sulphuris verò dulcis radicale principium in animali, quod humidum primigenium, eo oleaginoſum eſt, in pinguedinibus, axungiis, medullis, & id genus aliis partibus tùm latentibus & occultis, tùm peruiis ſeſe oſtentat. Nec ſecus radicalis mercurius, totus ſpiritualis & æthereus, qui quidem eſt ſpiritus ille innatus, vniuſcuiusque partis & membri, proximum animæ inſtrumentum, ſeſe prodit in animalis vita fouenda ac conſeruanda, vt qui ſit ab ipſa anima, vita corpori infuſa, quam ſulphurea pars nutrit ac ſuſtentat.

Atque hæ tres radicales eſſentiæ in animalis ſemine concluſæ, quas in hominis conſtructione nunc exhibemus, & iuxta formam & iuxta materiam, tria ſpirituum ac facultatum genera in membris illius procreant. Prima facultas illa eſt, quæ naturalis dicitur aut vegetalis, cuius ſedes in iecore potiſſimùm poſita, à ſale primo illo radicali principio ac baſi aliorum, conſeruationem ac fomentum recipit. Vitalis facultas in corde ſita, à liquore ſulphureo fouetur ac ſuſtinetur: qui quidem ſulphureus liquor humidum eſt primigenium & fons caloris ac vitæ. Animalis verò facultas, tota mercurialis, ætherea, ac ſpiritualis, præcipuumque functionum animæ inſtrumentum, in cerebro collocata eſt: quæ à mercurio tertio radicali principio ſtipatur ac conſeruatur, quod totum æthereum eſt ac ſpirituale.

Hinc perſpicuum eſt promiſcuè iſtos ſpiritus radicales, aut ſubſtantialia ac formalia rerum principia, ſeſe ita mutuo amplecti, vt inter ſe diuelli nequeant: quin potiùs ſeſe mutuò foueant ac conſeruent, imò etiam generent. Ex quibus functiones omnes ac facultates rerum

rerum ſpirituales prodeant, emphytusque ac ſymphitus calor, qui & ipſe æthereus eſt, a. ὑσιώδης, promanet.

Sal autem terreſtre ac ſolidum, quod in oſſibus & aliis partibus durioribus ac ſolidioribus deprehenditur, compingit ac conglutinat ſua conglutinatione molliores partes cum durioribus: quemadmodum & flatuoſus ſpiritus, aut ventus aereus in omni corpore concluſus, viuum corpus leuius ac agilius reddit mortuo cadauere. Quæ quidem qualitates ac facultates totæ ſunt elementares, vtpote ex materia potiùs, quàm à forma proficiſcentes.

Atque ſic tria hominis principia, eorumque facultates ac potentiæ paucis enucleata ſint.

Corpus quidem ſic compactum, ac ex tribus illis principiis progenitum, aſſiduo indiget alimento, ac pabulo, vt cõſeruetur. Quod quidẽ alimẽtum aliunde non ſuppeditatur, quàm ex iiſdem eiuſdem naturæ rebus, ex quibus conſtat. Iiſdem enim nutrimur, quibus conſtamus. Attamen prima ſui origine, cum tenerum ſit ac imbecillum corpus, ſolidiore pabulo nequaquam fouendum eſt, ac facilis coctionis & alimoniæ eſca paſcendum, tria iſthæc principia continente.

Huiusmodi eſt lac, quod infantibus ſugendum exhibetur: quod citra exquiſitius artificium aut induſtriam tria ſua ſatis apertè per ſe explicat principia, vt iam diximus. Butyro enim ſulphuream ſubſtantiam, ſero mercurialem, & caſeo ſalinum principium facili negotio prodit. Eiusmodi lac, vna eademque eſſentia tres iſtas ſubſtantias continens, facilè in ventriculo infantis coquitur, ac in chylum, tandemq; in ſanguinem conuertitur. Qui quidem ſanguis poſſidet, quod magis formale ac radicale eſt iſtis principiis, cetera in fæces ac excrementum ſecernens & abiiciens. Nec non idem

ſanguis per venam cauam in cor vsq; delatus,qui veluti Pelicanus eſt naturæ, aut vas circulatorium, ſubtilius adhuc concoquitur,vt veluti quintæ eſſentiæ,aut aquę vitæ ſulphureæ ardentis vires aſſequatur, quæ emphyti & ſymphyti caloris origo eſt. Eadem aqua vitæ per arterias in B. maris cerebri deportata, illic rurſum in reti admirabili circulationib.exaltatur:ibiq;,in ſpiritũ verè æthereum ac cœleſtem commutatur, vnde ſpiritus naſcitur animalis, animæ præcipuum inſtrumentum, eò quòd ad ipſam ſpiritualem naturam magis, quàm duo reliqua principia accedat.Porrò quemadmodum ex vino prædicta illa tria eliciuntur principia à perito artifice (quod in opere vegetabili, in noſtro tractatu de priſcorum Philoſophorum Medicinæ materia, &c. fuſiùs tractabimus) ꝙ & ex ipſo lacte minimo artificio fit,ſic in ſanguine(quem merito cum vino comparamus)tria illa principia inſunt,quę ab ipſa natura,veri Alchymiſti officio fungente, in omnes corporis partes, quantũ vnicuiq; membro ſatis eſſe poteſt, prudenter ac diſtinctè diſtribuuntur ac diffunduntur. Vt oſſibus,neruis & ligamentis ſalina ſubſtantia copioſior quàm aliarum, conferatur: pinguedinib. axungiis ac medullis ſulphurea:carnibus verò & humorib. ex ſanguine, ac alimentoſis, innatiſque ſpiritibus, ſeu fixis,ſeu influentibus & vagis,maiore copia mercurialis ſpiritus tribuatur.

Transacta illa primæ infantiæ ætate, & robuſtiorib. coquendi cibi virib.factis,tum ſolidius alimentũ,vtpote panem, vinum, fructus & id genus alia fercula ventriculus expoſcit: tum ex vegetabiliũ familia deprompta,tum animalium, ex iisdem vegetabilibus educatorum, quæ in animalem naturam tranſierunt, hoc eſt, ſenſitiuam,quemadmodum ſubſtantia mineralis in vegetatiuam traducta eſt.

Supra oſtendimus,vegetabilia ac animalia in alimen-

tum

tum hominis deſtinata, in eius ſubſtantiam ac naturam cum ſuis principiis, quibus conſtabant, faceſſere, ita vt deglutita, concocta, & in chylum verſa, ac in iecur, cor & cerebrum diffuſa ac diſtributa, variis coctionum ac circulationum gradibus, vt tandem in ſpiritus naturales, vitales & animales, mercuriales, ſulphureos ac ſalinos æthereos, ac ſpirituoſos attenuentur & commutentur. Qua ratione alitur, creſcit ac in ſtatu ſuo conſeruatur homo ad prædeſtinatum vsq; terminũ Hinc etiã trium humorum origo & generatio colligi & intelligi poteſt, qui tum ex horum principiorũ, tum ex elementorum mixtione proficiſcuntur. Qui quidem non ſecus inter ſe differunt ac varii ſunt, ſiue perfectione, ſiue imperfectione, ac tria illa inter ſe principia diuerſa ſunt, gradibusque perfectionis diſſident. Primus humorum vtilium, de quibus nobis ſermo inſtituitur, chylus eſt, qui in ventriculo & venis finitimus, præſertim meſaraicis, ex prima coctione elaboratur, cùm ipſe Chylus tribus illis principiis conſtat, ſed adhuc valdè impuris, vnde prima nutritionis rudimenta extant: eaq; eſt prima digeſtio ac ſeparatio puri ab impuro trium illorum principiorum formalium, triumq; elementorum materialium. Secundus eſt ſanguis, primo coloris concoquentis gradu iecoris ac venarum ex chylo naſcens, qui ſuccus eſt εὔχυμος, vnde ſecunda quædam concoctio, ac puri ab impuro ſeparatio formalis tamen ac materialis eſſentiæ oritur, quæ prima concoctione ac ſeparatione longè ſubtilior ac nobilior eſt. Tertius humor is eſt, qui variis circulationũ reiterationib. calore cordis admodũ vitali celebratis, perfectione coctionis alios duos longè lateque ſuperat, qui humor vitæ alimentarius aqua vitæ ſulphurea ac radicalis dici poteſt: quæ quidem per arterias in totum corpus diſpergitur, in eiusq; ſubſtantiam conuertitur: ex perfectiſſi-

ma omnium aliarum concoctione, quæ tertia eſt, eaque vocatur aſſimilatio nutrimenti & nutriti.

Hunc certum eſt humorem maximè trium principiorum puritatis eſſe participem, ſpeciemq; rectificatæ aquæ vitæ animalis præ ſe ferre, quæ ab omni paſſiuo elemēto vini animalis, hoc eſt, ſanguinis, ſecreta ſit. Sanguis enim, quem iam diximus ſecundum eſſe humorem vtilem (quemque cū vino depurato ac defæcato comparabimus) quòd ab maiore vt impuriore parte ſui terreſtris tartari expeditum ſit, cuius tria etiam principia Chylum puritate ſuperant, ac ex illis tertia coctione ac digeſtione eliciuntur, aqua vitæ ſulphurea animalis: ſpiritus æthereus ac ſubtiliſſimus: nec non ſal variis etiam circulationibus ac coctionibus naturalibus depuratus ac attenuatus. Quib. extractis, quod reſtat in ſanguine (vt in vino) aqua eſt inſipida, ac fæces ſulphureæ & tartareæ impuræ, quæ ex elementis prodeunt materialib. Eiuſmodi in ſanguine ſunt pituita, frigida & humida mercurialis. bilis flaua, calida & ſicca ſulphurea, & melancholia ſeu atra bilis nō frigida ſed calida & ſicca ſalſiginoſa, quæ ſunt excrementoſæ partes puriorum illarum ſubſtantiarū. Nec tamen prorſus eæ iacent inutiles, ſiquidem ex actiuis tum trium principiorū tum elementorum qualitatib. nonnihil retinentes, quatenus materiatæ ſunt, ad aliquid conducunt. Bilis enim, quatenus nitroſulphurea eſt, calidiſſima & amara, præſertim ea quæ fellea eſt, exundans ex ſua cyſtide in capacitate inteſtinorū, expultricem facultatem ad deiiciendum prouocat. Pituita verò acida & mercurialis fermentationi, & appetitui excitando vtilis eſt. Cui etiam rei non inepta eſt melancholia, quæ acidi humoris ſanguinis veluti fæx eſt, analogiam quandam habens ad acetum ex vino factum. Primę enim ciborum contritioni ac concoctioni inſeruit, virtute ignis cuiuſdam in-

terni

terni & vitriolati in huiuſmodi humore acido delite-ſcentis, qui à calore ventriculi ſuſcitatus ac irritatus promptè ac expeditè cibos conficit ac deſtruit, & tanta vi interdum abſumit ac deuorat, dum ſuperabundat, vt famem caninam aut lupinam plerumque inducat.

At quæ planè etiam ſuperuacanea ſunt, ac moleſta naturæ, excrementa veritatem orationis noſtrę confirmabunt. Quę quidem talia ea ſunt, quæ partim à tribus illis principiis, partim ab elementis ſecernuntur, vapores nempè mercuriales, halitus ſulphurei, & ſalinæ exhalationes, quæ per ſudores expirant, vt mercurius & ſulphur per inſenſilem tranſpirationem euaneſcunt. Eiuſmodi excrementorũ ſeparationes, ſi ſenſim ac gradatim, nullaq; violentia fiant, felicem prorogant ætatem ad extremũ vſq; ſenium. Si verò præcipiti momento, & vi quadam violentiore vehemẽtioris alicuius motus, aut morbi, vt inflammationis, aut ardentiſſimæ febris extrudantur, ætatem corripiunt ac contrahunt, ſenectamq; accelerant, aut etiã per ſyncopas & lipothymias immaturam mortem præcipitant. Quin etiam, ſi eiuſmodi excrementa in corpore retineãtur, & ab exitu arceantur impedimento aliquo, extrinſecus occurrẽte, qualis eſt frigidior tempeſtas, ad quam cutis obrigeat ac condenſetur, qualis etiam victus ratio nimis refrigerans, obſtructiones aut aliæ corporis infirmitates eiuſmodi impedimenta afferentes variorum ac infinitorum affectuum ſemina fiunt, ac radices.

Idem de viliſſimis excrementis & craſſa elementaris materiæ fæce prorſus inutili, terreſtri ac putida fas eſt dicere. Etenim ex aqueis crudis & ſeroſis excrementis, ex aereis, flatuoſis aut ventoſis, denique ex craſſioribus ac terreſtrioribus vel fœtidiſſimis, vtcunque corruptiſſima ſunt, produntur tamen quædam in ſingulis veſtigia eorum effectuum, quos purior trium principiorum

ſubſtantia (ex quibus tanquam impura ſeparata ſunt) procreabat. Siquidem qui debitam iſtorum anatomem volet experiri, vrinæ, erbi gratia quæ tam ac curatè in morbis circumſpicitur ac obſeruatur, in ea magnā mercurialis liquoris acidi ſubtilis ac penetrantis, qui vel ſolidiſſima ac duriſſima corpora diſſoluat, quantitatem deprehendat: nec non ſulphureę eſſentiæ, flammam etiam concipientis, copiam: vt taceam ſalinum corpus, quod per ſe ſatis perſpectum eſt ac peruium in magna illa copia ſalis, quæ ab eo extrahitur: cuius tanta eſt acrimonia, mordacitàs ac corrodendi vis & vehementia, vt alios quosuis naturæ ſales omnes viribus ſuperet.

Hæc veriſſima eſſe, quæ a me dicuntur, Anonymus iſte noſter facilè perſpiceret, ſi vel tantillum ſcripta Chriſtophori Pariensis, Philoſophi vtique celeberrimi, qui diſſecandis vrinis inſudauit, delibaſſet, aut eius ſcripta ſubodorari aliquo modo potuiſſet: nec non ſi aurib. quicquid alii de iiſdem vrinis & earū anatomia diſſeruere, aliquid præſtantius & vtilius de earum virtutibus ac energia didiciſſet, nec in ſolis coloribus, nubeculis, encorematis ac hypoſtaſi contemplandis totus hæſiſſet, quamuis & ea conſiderari debeant à Medico, ad diagnoſim morborum.

Galenus, qui humanum corpus ex quatuor elementis conſtruxit, cùm per ignorantiam tria illa rerum omnium principia ſupprimens, plauſibili ſc. & eleganti methodo, omnes omnium morborum cauſas, nec non medicamentorū facultates, ad qualitates primas, ſecundas, tertias, ac ad materiam ipſam reuocaſſet, percepiſſetque rem ſic minùs feliciter ſuccedere, nec inſtituto ac votis reſpondere, tandem ad occultas proprietates totius ſubſtantiæ confugit. Quas cùm non poſſet ſatis apertè enucleare, ne videretur carere rationib. eas ad craſim & mixtionem elementorū certam reuocauit, vt ſu-

vt ſuprà diximus,&ex Ariſtotelis mente eius argumenta aut opinionẽ, ex Empedoclis doctrina petitã, eluimus.

At qui aliquid aliud in cõpoſitione & ſtructura corporis humani, quàm elementa & eorũ qualitates, h.e. calidũ, frigidum, humidum & ſiccũ rimabuntur, liquorem nempè mercurialẽ, ſulphur & ſalem omnis generis virtutib. facultatib. ac proprietatibus prædita principia, ex quibus infinitæ varietatis colores, ſapores, odores & id genus alia promanant, facilè perpẽdent, ſingula principia, à temperie ſua aut aliorum cõſortio excurrentia, morbos varii generis in corpore procreare, vt ſi ſulphur immoderatiùs luxuriet, varias inflammationes, varii generis febres inducat præter alios affectus narcoticos, ac ſoporiferos, quos ſuſcitat ſulphur narcoticũ ex ſpiritib. narcoticis ac inebriantibus, quos in ſe continet, & per totum corpus luxuriando diffundit. Quod facilè percipitur in nimia vini potatione meracioris aut potentioris, in eſu panis multo lolio permixti, nec non vſu croſi, camphora, ſuccorũ papaueris, hyoſcyami, cicutæ, aliorumq; opiaticorum: quæ ſoporiferis ſuis ſulphuribus, non frigida ſua qualitate, ſomnum conciliant. Ex mercurii etiam acidis ac acribus vaporib. comperient, epilepſias, apoplexias, paralyſes, & omnia defluxionum aut catarrhorum genera ſubinde procreari, qui quidem affectus, ſi veneno aliquo aut malignis ac contagioſis ſpiritibus ſtipentur, non poſſunt non Epidemicos morbos Eudemic. venenoſos ac contagioſos inuehere.

Si ſales diligenter excutient, deprehendent ex illis eroſiones internas, apoſtemata, vlcera, dyſenterias, hæmorragias, quoties ex ſedib. ſuis excurrũt, & ab aliis principiis ſecernũtur, aut naturę modum excedunt, naſci ac vim corpori inferre, vnde etiam, h. e. ex eorũ reſolutione, ardores vrinę, ſtrãguriæ, & id genus alia membris ſuſcitãtur incõmoda. Siquidẽ iuxta diuerſorũ ſaliũ varie-

tatem, diuerſa etiam vlcerum,apoſtematum, eroſionũ genera,per ponticum,auſterum,ac acerbum eorum ſpiritum,vt & variæ colici doloris ſpecies inducuntur. Horum etiam ſalium coagulatione diſcent, tophos calculos,ſcirrhoſos articulorũ tumores & nodos,ac infinita obſtructionum genera, vnde innumeri morbi naſcuntur, progenerari. Qui quidem coagulati ſales aut tartara,cum nunquam careant mercurio & ſulphure, crudis, incoctis ac impuris, ſi quoque laſciuiant,& ad ſummum ſuæ malignitatis gradum aſcenderint, iuxta varias ſuas naturas ac proprietates diuerſos affectus complicabunt ac commiſcebunt,qui ſingulorum principiorum qualitates ac vires, ſimul tamen inuolutas æmulabuntur.

Sed ſatis ſint ea,quæ propoſuimus exempla,ad veritatem trium principorum, vbiq; ſuos effectus prodentium,ſtabiliendã. Exactiùs,quæ reſtabunt, ac minutiùs, in libro noſtro de Recõdita rerum natura,excutiemus, nullumq; morbũ,ſiue internum,ſiue externũ,intactum prætermittemus, quin cauſas,ac veras origines,ad tria illa principia,ſiue ſola per ſe, ſiue inter ſe permixta,recta ratiocinatione reducamus. Neq; illis tantam qualitatum elementarium rationem habebimus;minimique momenti,occultæ illius, totius ſubſtantiæ proprietatis imperitia apud nos futura eſt. Nec tamen ab opinione Hippocratis recedemus,quin potiùs confirmabimus,ꝙ libro ſuo de antiqua Medicina ſcriptũ reliquit. Is enim exploſa eorum opinione,qui morborũ cauſas ac principia qualitatib.elementarib affigũt, alia explicat ac ſtruit fundamenta,dulce nempè, acidum,amarum,ſalſum, de quib.iam anteà,quæq; ad tria illa rerum omniũ primordia reuocauimus, ſingulis ſingulas ſuas facultates ac proprietates arrogãdo,quib.quicquid in natura medicamentorũ,morborũ virtutis ac potentię ineſt mouetur,ac ſeſe in actum excitat,propellitque No-

Nolim tamen ire inficias, quin ex qualitatib. elementaribus, in corpore noſtro diffluentib. ac excedentibus naſci queant morborum quædam genera, reuollacea Chymicis dicta, qualia etiam ab excremētitiis ac fæculentis humorib. vel retentis vel ſuperabundantib. proficiſci potiùs ex huiuſmodi elementis, quàm principiis certum eſt. Etenim ex flatuum ſimpliciter aereorum & ſpirituoſorum copia, ex aqueis ſeroſitatibus, nec non terreſtribus fæcibus, varias affectuum ſpecies procreari indies videmus: attamen eiuſmodi morbi exiguas & parùm firmas radices agunt: tincturasque habent momentaneas ac parùm fixas, vt quos etiam facilè ſit vel leuiſſimis ac elementarib. remediis exigere, iisq; calidis, frigidis, humidis & ſiccis: vt verbi gratia, aerei flatus in inteſtinis concluſi, & ſua diſtētatione colicos dolores patientes, multo negotio carminatiuis, vt vocant, clyſteribus diſcutiuntur; ſeroſitates aqueæ & ſuperfluæ humiditates medicamentis exſiccantibus abſumuntur: inflammationes ex terreſtri & ſimpliciter craſſa materia, nitroſulphure coruſcante profecta, ſimplici refrigerante auxilio extinguuntur.

Dicemus porrò cum Fernelio, quoſdam morbos verè ac prorſus eſſe occultos, quos idem trans naturā eſſe aſſerit: qui ex influxib. cœleſtibus progignuntur, quibusùe aliquid velut diuinum, aut ſaltē præ aliis vulgarib. morbis ſingulare ac peculiare quid obſeruatur: quod Medici τὸ ἴδιος vocant, & Hippocrates τὸ θεῖον: quales ſunt aſtrales & ætherei affectus, qui certis quibuſdā hominib. accidūt ſingulari quodā aſtrorum influxu, aut cœli cōſtitutione, aut maligniorum planetarum concurſu: ſub quo plerique nati ſunt: qui idcirco ex ſuorum aſcendētium radicibus, naturis, ac proprietatib. variis, fructusq; congruos oportunis temporibus, aſpectu ſuo & radiis producentibus variè afficiuntur. Eiuſmodi morborum

 cauſæ

cauſæ vt ad modum abditæ, ac imis penetralibus infixę, vna cum indiuiduo naſcente natæ, ſimilia ſuæ naturæ medicamenta, hoc eſt occultiſſima virtute prædita, & vt cœleſtes ſpirituales, ac ætherei affectus, ſic ſpiritualia quoque acætherea remedia poſtulant: quæ aliunde quàm ex tribus principiis in ſpiritualem naturam adductis peti poſſunt.

Sed longiùs æquo forſan orationem noſtram, de tribus principiis, & eorum doctrina, emenſi ſumus: quorum laudabiles ac admirandos effectus viſum eſt tantò magis commendare ac extollere, quantò ab Anonymo imprudentiùs deprimi ac explodi ſatis ſuperque conſtat.

Mirum autem eſt, quùm iam ante trigeſimum quintum annum doctiſſimus Seuerinus, in idea ſua Hippocraticę ac Paracelſicæ Medicinæ, abūdè ac eruditiſſimè de iisdem principiis differuerit, quòd tandiu Anonymus noſter à cenſura & caſtigatione ſcriptorum eius, fundamenta Galenicæ Medicinæ prorſus conuellentiū, quietus ac ocioſus ſuperſederit. Vnde tam diuturnum hoc Anonymi ſilentium? niſi quòd hic parùm ad ſe pertinere eius ſcripta putaret, qui remotiſſimam regionem habitaret: qui mundationi ſuarum mercum non poſſet officere: qui ſtrinxerit aliò aculeos ſuos, à quibus ſe tanto locorum interuallo impeti poſſe nunquam crediderit. Cur igitur nunc nobis inſultatur, quia eiuſdem ſortis, eiuſdem regionis, eiuſdem vrbis, cùm ſimus conciues, cominùs illuſtrari nolit, ſuas opiniones extremā ſuam φιλαργυρίαν patefieri libenter non ſinit? Deniq; in me aliosque bonos viros ac doctos Anonymus iſte virus ſuum eructat, non tàm veritatis odio, quàm inuidia, quòd cùm in ineptiis conſenuerit, reuocare gradū nunc erubeſcat, & alios plus ſe ſapere iniquo animo ferat.

Cetera quæ adhuc hoc loco de tribus principiis dici poſ-

poſſent, in librum noſtrum de Recondita rerum natura excutienda reiicimus, quòd eiuſmodi tractatio primum ac præcipuum veræ Medicinæ fundamentum ſtabiliat, citra quod nihil firmi ac conſtantis extrui poteſt. His igitur contentus in præſentia acquieſcat Anonymus noſter, quæ quàm apertiſſimè fieri potuit, enucleauimus, vt conniuentes oculos, aut luſcos, aut cataractis ſuffuſos eius, vt cunque detergerem, & luce aliqua obſcuriores mentis illius tenebras illuſtrarem, nec non vt intelligeret, quàm abſurdè loquatur ac ſcribat de ſibi ignotis: aut in ea inuehi deſinat, quæ certis & apertis demonſtrationibus ratione & experientia fultis ac comprobatis, peruia vbique reddi poſſunt.

CAP. XIX.

Quibus modis Galenici Medici virtutes ſuorum medicamentorum & alimentorum rimantur ac inueſtigant.

SOlent Galenici, vt virtutes ac facultates ſuorum medicamentorum aut alimentorum rimentur ac inueſtigent, eas ad normam corporis temperamento iuſtitiæ prẹditi, hoc eſt εὐκρατολάτῳ reuocare. Quod enim temperatum calorem, vel in ſenili etiam corpore iſti ætati parem & cõgruum impertitur, id εὔκρατον eſſe dicetur medicamentũ. Quod ſi immoderatiùs & cũ naturę moleſtia agat, hoc eſt naturalẽ noſtram temperiem caloris exceſſu ſuperet ac pturbet, tunc medicamentũ iſtud calidũ dicitur non temperatũ. Huiuſmodi autem calidæ qualitatis gradus quatuor Medici cõſtituũt. Primũ quidem, qui ſenſib. vix percipitur. Secundũ qui ſenſum ferit ac afficit, calidũ enim tactu eſſe deprehenditur. Tertiũ quem vix ſenſus citra inſignẽ offenſionem ferre poteſt, qui tamen non ſit vrens. Quartũ & poſtremũ qui cauſti-

cas & adurendi vires habet. Idem iudicium eſt de gradibus frigidi, humidi & ſicci. Singulæ autem iſtæ qualitates variis proprietatibus inſignitę ſunt: Atq; iuxta eorundem Medicorum ſententiam, inter eas aliæ ſtatuuntur ſimplices, quę ſeu alimentorũ ſeu medicamentorum facultatib. inhærent: aliæ verò compoſitæ: quarum etiam aliæ intenſæ, alię remiſſæ dicũtur, quarumq; compoſitio, vel in vnũ & eundem effectum tendit contemperamentũ, vel in oppoſitos effectus. Quæ quidem omnia, tum in ſuccis terrę & plantarum, tùm in animalibus comperiuntur, quorum tanta eſt copia ac varietas, vt ſingula quæque excurri nequeant. Senſib. tamen peruia ſunt octo ſaporum ſuorum generibus, vt volebat Plato, cuius celeberrimi quique Medici ſententiam amplexi ſunt & ſequuti. Huiuſmodi ſapores ſunt auſterus, quem adſtringentem vocamus, acerbus, acidulus, nitroſus, amarus, ſalſus, acer & dulcis. Quibus Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus pinguem & oleoſum addidit. Atq; hæ ſunt qualitates propè omnes, quę ſenſui guſtus innoteſcunt. Ad quas omnes aliæ, ſi quæ diſſimiles vtcunque occurrunt, reuocari poſſunt & debent. Aquoſa enim dulcedo, qualem olera, herbæ, fructus, atq; radices quædam repræſentant, & quæ vix ſenſum afficiunt, ſaporis dulcis ſenſu comprehenditur. Talis & eſt frumentacea qualitas, quæ in ſeminib. ciceribus ac leguminib. atq; id genus aliis deguſtatur. Quæ quamuis nullam propemodum qualitaté ſenſui explicet, attamen cùm ſit noſtræ naturæ familiaris, ac grata guſtui noſtro ſapore ſuo, eodem etiam ad dulcedinem nempè, cuius ampla eſt latitudo, referri debet. At vinoſa qualitas, qualitatum variis modis coeuntium miſtura, Medicis dicitur, quæ differentias etiam innumeras admittit, vt modò hanc, modò illam qualitatem ſaporis ac guſtus repræſentet. Sed nullius vnquam fuerit finis, ſi

ſingula

ſingula quæque excutere eſſet animus. Qualitatum enim eiusmodi, quæ ab elementorum mixtione proficiſcuntur, infinitus etiam eſt earum numerus.

Auſterus ſapor & adſtringens, quùm de natura terræ participet, terreus etiam ac craſſarum partium eſt ſuæ molis compage; frigidus verò qualitate. Hinc fit, vt eiusmodi auſtera ac pontica incraſſandi vim habeant, laxaque membra contrahendi ac corroborandi, nec non refrigerandi ac exiccandi & terreſtri illa ac craſſiore materia, qua conſtant.

Acerbum, quòd craſſitie & terreſtriore ſubſtantia ponticũ ſuperet, vi etiã refrigerandi ac exiccandi vincit.

Acida, etſi tenuiorum ſubſtantiæ partium ſint: frigida tamen qualitate paria ſunt adſtringentib. Tenuium autem illa eſſe partium hinc fides fit, quòd in ſenſilibus partibus velox ſit operatio, & ſaporis affectus: qui acerborum & adſtringentium tardus eſt, acidaque omnia in profundum corpus facilè penetrent, & vires ſuas illius tranſmittant, cùm ab acerbis ſuperficies tantùm corporis efficiatur.

Salſa & nitroſa terrea ſunt, calida & ſicca, ad quæ proximè accedit amarus ſapor. Qui quidem tres iſti ſapores, etſi terreo, calido & ſicco temperamento ſunt, non obſcurum tamen eſt inter eos diſcrimen: quòd amarus à caliditate & ſiccitate magis ſit attenuatus, vtpote ſalſum abſtergendi facultate vincens. Proinde etiam ſalſa & amara attenuare ac incidere craſſos viſcidosque humores ſolent: nec non putredinem arcere, quæ idcircò cadaueribus in balſamum aptantur, vt ea à putredine diu tueantur ac conſeruent. Sic quoq; videre eſt, nullam in illis putrilaginem, nec verminationem generari, prout in omnibus terræ radicibus, herbis & fructibus humidioribus aſſolet. Humiditas enim calore ſtipata corruptionem inducit, qua carent amara & ſalſa,

ſalſa,vt pote calidiora & ſicciora. Vnde ſcripſit Hippocrates, ſiccum ſano eſſe propinquius.

Acria autem omnium maximè calida & ſicca habentur,ſuntque partium tenuium. Hinc fit vt facilè penetrent,& intima corporum penitiſſimè attenuando,incidendo,& impedimenta omnia ſiue obſtructiones expediendo,nec non etiam vrendo,introeant.

Dulcis ſapor ex ſubſtantia omnium temperatiſſima,ac qualitatib.mediocriter calidis conſtat:quo fit,vt huiuſmodi dulcib.nutriamur ex Ariſtotelis ſententia: nec tamen eam dulcedinē, quæ in ſaccaro eſt,melle & id genus aliis ſemper intelligimus: ſed alias quasq; omnes, quę in albo dulcedinum cenſentur, etſi à ſuperioribus diuerſæ. Talia enim ſunt panis,vinum,& omnia quęuis alimenta,grato ſapore guſtui noſtro arridētia. Ea enim dulcia etiā dici poſſunt, pręſertim cùm ea coctionē adepta ſunt, quæ perfectam maturitatem vel proprio ac ſingulis reb.inſito calore; vel altero extrinſecus à Sole cœloùe allato,vel artificiali vulgaris ignis coctione,ſolarem æmulante, eis conciliauerit. Sic enim omnia dulceſcunt temperato videlicet huiuſmodi calore,vt videre eſt in vuis ex omphacib.ad maturitatē perductis:quę ad perfectionem decoctę dulces ſunt,ac palato gratiſſimę, quùm ſecus omphax,alioqui immatura,planè acida ſit, auſtera,ac acerba,ſenſum guſtus vellicans, nec ita arridens, vt alii maturi fructus. Hi enim perfectam coctionem à Sole aſſequuti, non tantùm ori delitias præbent, ſed magnæ ſunt etiam ad nutriendum poteſtatis. Haud ſecus alia fructuum genera, quę acrem ac acerbū ſaporem habent,cum nondū aſſequuta ſunt à natura pfectā coctionem,artificioſa ignis lenti coctione dulceſcunt.

Cuiuſmodi ſunt carnes, quæ crudæ,linguæ & palato moroſæ ſunt:coctione verò,hoc eſt elixatione aut aſſatione congrua miteſcunt ac ori fiunt gratiores. Quæ

etſi

etſi ſaccarinam non aſſequuntur dulcedinem: à dulcis ſaporis numero nequaquam tamen excluduntur.

Quæcumq; enim temperamentis corporũ quæ aluntur ſimilia ſunt (inquit Aetius) citra coctura m & præparationẽ iam dulcia apparent: Quæ verò diſſimilia, omnia iniucunda ſunt, priùs quã præparētur. Oportet autẽ calida caſtigare frigiditate: frigida verò calfacientiũ condimentorum mixtura & igne. Eodẽ modo per humiditatem emendantur, quæ terrea ſunt, & ſicca magis quàm conuenit: ſiccitate verò, quæ plus humida & aquoſa.

Quò igitur alimentum minùs dulce, maturum & coctum, minùs etiam calidum eſt. At quod perfectiorem attigit maturitatem & dulcedinem, plus caloris etiam obtinet: vt ſi maturitatis ac dulcedinis, iuſtęq; coctionis gradum ſuperauit, & ad nimiam aſſationem deuenerit, tantò plus caloris aſſequetur, quantò magis exceſſerit, atque ex grata dulcedine amaritudinem & acrimoniam ingratam conſequatur, vt in melle & aliis id genus dulcibus, plus iuſto coctis & aduſtis licet experiri.

Quæ pinguia ſunt, naturale rerum dulcium temperamentum, ac qualitates æmulantur: ſub quibus etiam quæ oliaginoſa ſunt, comprehendimus, cuius naturæ ſunt rerum omnium ſemina, tùm frigida, tùm calida.

Etſi de ſimplicib. medicamentorum qualitatib. verba feciſſe videbimur: nihilominus, etiamſi ſenſu ſimplices iudicentur naturã compoſitam habent: atq; ex diſſimilib. inter ſe particulis conſtant: ac proinde diuerſiſſimas quoq; in ſe facultates cõtinent, vt aperiendi, incraſſandi, excernendi & ſiſtendi, pluresq; id genus alias oppoſitas ac inter ſe repugnantes, vt in cinnamomo eiuſmodi diſſidium partium videre eſt. In quo & reſerans & obſerans facultas conſpicitur. Et in rhabarbaro purgandi ſimul & conſtringendi virtus: In aliiſq; multis id genus, quæ & calefaciendi & refrigerandi, exiccandi & humectandi vim ſimul obtinent. Vt

Vt autem in omni corpore particulis ſimilibus conſtante qualitates primæ, calidum nempè, frigidum humidum & ſiccum, ſingulatum rerum differentias efficiunt: ſic in iis, quæ ex diſſimilibus compoſita ſunt, ſecundæ qualitates, quæ ex illis primis prodeunt, acidum videlicet, acerbum, ſalſum, amarum, acre, dulce, pingue, idem præſtant. Quę quidem compoſitæ qualitates tot inter ſe diuerſas effectuum differentias habent, prout compoſitiones ſortiuntur, quot ex ſimplicium qualitatum variis permixtionibus oriuntur variæ poteſtates ac proprietates. Ita vt infinitus ſit earum numerus, quæ inter ſe varias ac diſcriminatas vt cum Auctuar. loquar, qualitates obtineant. Quæ ſi quis accuratius perpenderit, opportuno horum vſu, contrario etiam modo affectis, iis mederi poſſit.

Atque hæ ſunt tum ſimplices, tum compoſitæ qualitates omnes, quæ in alimentis, medicamentisue comparant: quo bona pars dogmaticorum Medicorum facultates omnes rerum reuocāt. Quod à nobis ex iis quę dicta ſunt, ſatis concipi poteſt: quod etiam diſertè fuſius explicare voluimus, præter celebrium etiam dogmaticorum Medicorum ſententiam, plauſibilibus ac ſpecioſis rationibus vtcumq; laruatam.

Hæ omnes, de quibus diximus, qualitates ex ſaporib. hauriuntur: quanquam illi nonnullas ex odorib. & colorib. peti velint, quarum exiguus eſt numerus. Putant enim odores eſſe calidos, aut a calore profici ſci. Atque ex eo calore variè in re naturali mixto, diſtinguūt odores ſuaues, ac iucundè fragrantes, ab ingratis & fœtidis halitibus. Ac quemadmodum inter ſapores, qui ſeſe linguę offerūt, dulcis eſt accepriſſimus ac gratiſſimus, quorum tamen variæ ſunt ſpecies, quæ ex æquo illi non arrident; ſic inter odores halituoſos, qui ſympathiam ac analogiā cum ſpiritu animali cerebri ventriculis inſito magnam,

magnam habent, ſæpè ipſi arrident: at iuxta ſpecierum eorum differentias alii aliis acceptiores ac optatiores occurrunt. Sed odorum diſcrimina longè à ſaporum differentiis numero ſuperantur: quo factum vt tot nominibus, quot ſapores, non inſigniantur. Etenim dicitur quidem acidus odor, acetoſus, vinoſus, quòd halitu ſuo ſaporem aceti vel vini repræſentent. At odorem amarum, ſalſum, auſterum, acerbum non dicimus, vt in ſaporibus occurrunt eiuſmodi qualitates.

Iſtæ enim qualitates ex craſſis & terrenis ſubſtantiis oriuntur, cùm alioquin odores merè ſint ſpirituales, qui tale quid expirare nequeant. Hinc liquet ex ſaporibus potiùs, quàm odoribus, de rerum facultatib. iudicium eſſe petendum.

Ex coloribus pariter iidem Medici indicationes quaſdam de rerum proprietatibus coniectura augurantur, vt ex hoc vel illo colore rem iudicent calidiorem, aut minùs calidam, ſic enim ſemper huiuſmodi qualitatibus affixi ſunt.

Hoc modo vina alba frigidiora rubris autumant, cœpamq; albam rubra minùs calidam.

Oportunum nunc eſt, vt Philoſophorum ac Medicorum Hermeticorum de hiſce rebus opinionem explicemus, vt expenſis vtriuſque ſcholæ rationibus de hisque à me bona fide allatis, æquus ac eruditus Lector ſententiam ferat.

Cap. XX.

De Natura, Differentiis ac Proprietatib ſalium, cùm foſſilium tùm aqueorum, naturalium artificialiumque: in quo etiã docetur, qualitates omnes virtuales, quas appellant, ſaporum videlicet, odorum & colorum tribus hypoſtaticis principiis potiùs adſcribendas, quàm qualitatibus elementorum primis.

ETſi longa ſatis oratione de ſalium præſtantia, tertio rerum omnium principio, quàm dilucidè & apertè diſſeruimus, vt hinc ſatis conſtet, quàm falſitatis arguatur Anonymi noſtri inepta concluſio, quùm ſic ratiocinatur pag.57. abortiui ſui fœtus, ſcribitq; in hæc verba: *Si ſales chymici ſunt artificiales,non poſſunt eſſe principium rei naturalis, vt neq; ars naturæ. Ergo falsò à vobis,* inquit,*ſal conſtituitur rerũ naturalium principiũ*.Etſi preterea abundè ſupra explicauimus, quod ſtatuimus,rerum omnium principiũ re ipſa & actu eis ineſſe,non vt ab arte additum, aut vt excrementũ externum, quemadmodum ſentit Anonymus, ſed vt naturale internum ac vitale principium: Operæ tamen pretium me facturum exiſtimaui, ſi rem iſtam fuſiùs adhuc perſequerer, vt hominis veſania coerceatur, qua ex autoritate Medicorum,ſalſa ægris denegantiũ, ſaliſq; vſum duntaxat in condimentum concedentium, audet ſalium in Medicina vires infringere, eorumque detrimenta ac perniciosũm vſum reſpuere ac damnare.

Multis iam locis ſupra diximus, omnium rerum facultates ac proprietates tribus illis hypoſtaticis rerum omnium principiis potius,quam qualitatib.primis,aut earum mixtioni ac craſi à Medicis Hermeticis adſcribi & acceptas ferri. Ea ſatis ſuperque,quæ ſint,docuimus, ſalem nempè, ſulphur & mercurium: quorum ſingulorum naturam abundè etiam excuſſimus,vt repetitione non ſit opus.

Præterea differentias euoluimus ſingulorũ illorum principiorum: ſaliumque varietates ſaporum varietatibus arrogauimus. Sic odorum diſcrimina ſulphurum differentiis adſcripſimus, & mercurialibus ſpiritib.colorum infinitam diuerſitatem. Quæ omnium tres ſunt primariæ ac præcipuæ qualitates omnium facultatum ac proprietatum parentes ac radices, vt ex Dogmaticorum etiam ſententia demonſtrauimus. Verum

Verum quidem eſt, ab illis eas qualitatum, ſaporum, odorum & colorum differentias elementis aut qualitatib. elementarib. aſſignari, vt iam oſtendimus: cùm ſecus Hermetici vim iſtam omnem proprietatum ac facultatum ad ſola illa principia reuocent. Atq; hoc diſſidium vtriusque ſectæ, & penes quam ſtet rei veritas, nunc demùm reſtat nobis enucleandum.

Apertè nobis ab Hermeticis in rerum natura ſex ſalium diuerſorum genera explicantur, quibus, vt diximus, ſaporũ omnium diſcrimina ab illis adſcribuntur.

Inter eiusmodi ſales alii ſunt terreni, alii aquei, alii aerei, aut quibus vel elementum terræ, vel aquæ, vel aeris dominatur: ita vt alii eorum fixi ſint, atq; naturę terreſtris: alii inter fixum & volatile mediam quandam proprietatem aqueam obtinent: At ſal Armoniacus naturæ (vt & Armoniacus vulgaris) ſpiritualis eſt, ac omnium maximè volatilis & aereus.

Omnis autem ſal, ſiue volatilis, ſiue fixus, non aliter in aquis diſſoluitur, & commiſcetur, quàm aqua aquæ, etſi vna ſit aqua ſicca, altera humida & madida.

Tria hęc ſalium genera, quę in abditis rerum partib. inhærent, ſiue ſint metallicę, vegetabiles, ſiue animales, quęue ſedem habent in eo præcipuè elemento, quod ex terra generationes ſuas producit, vt fusè in noſtro tractatu, quem inſulsè Anonymus ſuſcepit caſtigãdum, demonſtrauimus, de natura triũ principiorũ participant. Communis enim ſal & marinus, filtro terræ transfuſus, decoctus ac digeſtus in eiusdem terrę viſcerum calorib. de natura ſalis fixi ac firmi participat, pater ac origo aliorum omniũ. Nitrum verò partim fixum, partim volatile, de principio rerum ſulphureo, vt armoniacus ſal de mercuriali principio ſpirituali ac æthereo participat: quorum extremi duo, fixus videlicet & volatilis, ſulphurei ſalis aut nitroſi, partim naturæ volatilis, partim fixæ participis, interceſſione copulantur.

Digitized by Google

Hoc arcto admirandoq; trium principiorum vinculo, diuerſę tres ſalium proprietatibus diſtinctę ſubſtantię apertè elucent, eſſentia quidem ſimiles, at non qualitatum naturis. Præter enim opinionem, ex pingui ac feraci terra, ablutionibus (aut aquis nequaquam diluta, ingenioſus nitrorecton (etſi omnium, quæ hîc latent, myſteriorum prorſus ignarus, at ſolius nitroſi ſalis extractionis peritus, & eius ſolius extrahendi ſtudioſus) apertè enucleat tria hęc ſalium genera, marinum nempè & fixum, qui in lixiuio ſoluitur, nitroſum ſecus, qui ibidem coagulatur: & armoniacum volatilem ac aereũ, ex lixiuio partim auolantem, partim in vtroq; ſale contentum, ac proinde ſenſibus obſcurũ. Quæ tres ſalium diſtinctę differẽtię, vt in quauis terra pingui reperiuntur, ſic ex vtroq; ſale, marino nẽpè ſeu fixo & nitroſo volatili, ſeparari deinceps poſſunt. Salibus. n. illis vel coniunctim vel ſeparatim in retortam impoſitis, cum ſuo recipiente, primum vi ignis extillat volatilis ſal acidus, aeris & mercurialis: ſulphureus ac nitroſus vi maiore educitur, ac dulcis extillatur: fixo ſale ſalciginoſo ac firmo, nulla vi ignis fugaceſcat in fundo vaſis cõſtãter ſubſidẽte.

Ex tribus iſtis variis ſalium generibus, triplici illi rerum principio cõmunib. ſapores omnes deducuntur, vt ad calidum, frigidum, humidum & ſiccum non ſit opus confugere. Mox enim ex ſolis illis principiis eos aptè & re ipſa procreari demonſtrabimus.

Sal fixus, vt ſimplex & citra commixtionem conſideratus, ſaporem ſalſum ſimpliciter efficit. Sulphureus ſal ſimpliciter etiam intellectus, vt ſulphureus tantùm, ſaporem ex ſe oleaginoſum dulcem exhibet. At ſal mercurialis ſic ſeorſim & ſimpliciter conceptus acidum ſaporẽ repræſentat. Qui tamen ſimul ſapores æquis proportionibus ac viribus permixti gratum ſaporem in vniuerſum exhibeat, qui nullius particularis verè ſenſum aut guſtum præ ſe ferat.

Cùm

Cùm autem alibi iam docuerimus, tria iſthæc principia in mixto corpore ſimplicia non poſſe deprehendi vſq; adeò, quin compoſitionis aliquid habeant, & ſecũ inter ſe qualitates ſuas promiſcuè communicent: vt ſupra ex ſale marino & ſale petrę oſtendimus, in quib. prę-ter ſalſum ſaporem acidum etiam, & dulcem contineri ac ſeparari expoſuimus; in ſulphureis reb. & oleoſis, nec non in liquorib mercurialib. eiuſmodi etiam ſaporum coniunctionem ineſſe certum eſt. Idcirco aſſerimus, omnem ſalem fixum corporis mixti ſalſiginoſum maximè eſſe & amarum: ſulphureum ſapore oleaginoſo & dulci ſtipari: & mercurialē acido, acri & igneo: ita vt ex trib. illis ſimpliciter ſic dictis qualitatib. ſalſa, dulci, & acida, quæ in omni corpore mineralium, vegetabilium ac animalium comperiuntur, alii ſapores omnes pendeant. Nec non ad hanc rem parùm cōducunt, tanquam organicæ ac inſtrumentales cauſæ, elementares illæ qualitates paſſiuæ, terreſtris nimirum ac ſicca paſſiua qualitas atq; paſſiua frigiditas: & aereus humidus vapor, quæ huiuſmodi ſapores, aut qualitates potentes, ex tribus illis principiis prognatæ, ad hanc vel illam naturam promouent aut contrà infringunt, ac eneruant. Quod vt apertis rationib. confirmemus, atq; vt oculis ipſis ſubiiciamus, rem totam à corporib. mixtis, quæ tamen ſecundum elementa ſimpliciſſima ſunt, ordiemur,

Diximus ſapores priuato quodam iure ſalibus aut eorum ſpiritib adſcribi: quod apertè hinc elucet, quòd ſaporum diſcrimina non niſi ex ſalium differentiis, aut vice verſa ſalium differentiæ ex ſaporum diſcriminibus producuntur.

In ſinu naturæ tot propemodũ ſalium genera diuerſa comparent, quot ſaporum varietates. Sal foſſilis, ac marinus, ſalſa ditata ſunt qualitate, nitrum amara, alumen acerba, vitriolũ auſtera, armoniacus acida & acri.

Dulces verò ſales non tantùm in manna & ſaccaro manifeſti,ſed & in ſale marino, vitriolato,deliteſcere diximus,nec non monuimus in ſingulis horum ſalium tria iſta ſimul prima principia coniuncta contineri,ęthereū nempè ſeu aereum,mercuriale aut ſpirituale,quod acidum eſt & acre,terreſtre,quod auſterum eſt & amarum, & oleaginoſum ſeu dulce, quod intermedium eſt.

In ſolo vitriolo apertè conſpicitur (quod omnium ſalium maximè corporale eſt, vt alibi diximus) acre,acidum,acerbum & adſtringens.

Qui verò permixti ſunt ſapores aut qualitates, cum paſſiuis & elementarib. qualitatibus ſingulorum illorū integram vim non habent, at debiliores ex mixtione redduntur.Acre ſiquidem (quod non niſi vi ignis cum parte aerea extrahitur, ac ſeparatur) mercuriali liquori immixtum eſt,acidum phlegmati aut aqueo humori,& acerbum ſeu auſterum terreſtri ſiccitati, quæ quantò plus qualitatib.elementaribus,iisq́; paſſiuis abundant, tantò magis eneruantur ac languent. At ſi actiuę qualitates à paſſiuis ſecernantur,vt arte fit,tùm acre,acidum, integrā vim ſuam obtinent, ignesq́; ſuos apertè ac plenè linguæ inurunt,acre quidem igneæ& adurentis qualitatis magis particeps, acidum verò aqueæ proprietatis. Acre enim,vt iam ex dogmaticorum ſententia explanauimus,de natura ignis participans, virtutem admodum attenuantem obtinet, ac diſſipantem,atque etiam erodentem. Acidum, vt pote aereum, aqueum atque tenuium admodum partium, incidentem & aperientem,refrigerantem, nec non putredines arcentem. Acerbum & auſterum, quæ in colchotare reſtant(poſt acris oleoſi, & acidi aquei extractionem, cum aereis partibus elementarium qualitatum)naturam poſſident,& vim,qua incraſſent & adſtringant,ex ſubſtantię terrenę ac craſſæ proprietate.

Si au-

Si autem ex terreſtri illa parte, ab impuro, purum, quod ſal eſt, extrahatur, ſalſum ſaporem habebit, cuius virtute & deiectiuum & vomitiuum reddetur. At in ſulphure dulci vitrioli conſpicua eſt dulcedo, quæ planè narcotica eſt.

Denique in omnibus propemodum ſalibus congrua anatomia diſſectis tria hæc animaduertuntur, acidum, dulce ſalſum ſeu amarum, quæ agentium qualitatum vim habent, non tamen humido paſſiuo, terreſtri & craſſo deſtituta, ſed iis vario modo ſic perfuſa, vt ſaporum varietatem ſalibus inducant.

Atq; hæc ſit demonſtratio, qua conſtet, varias illas ſaporũm differentias apertè in ſalib. & coniunctim & ſeparatim, præſertim in eorum ſpiritib. contineri. Quas ex Hermeticorum ſententia, facultates, virtutes ac proprietates innatas, negamus frigido, calido, humido, & ſicco eſſe arrogandas: at eſſentiis naturæ ſalſæ, amaræ, auſteræ, acerbæ, acidæ, acris, dulcis & oleoſæ.

Sexcentæ enim frigiditates, ſexcenti calores, humiditates & ſiccitates, nihil quàm magis refrigerant, calefaciunt, humectant & ſiccant. At nunquam aquæ puræ aut ſimplici aliiſue ſuccis, ſalibus deſtitutis, ſaporis vllum ſenſum conciliauerunt.

Quicquid ſale caret, aut ſpiritu ſalino, nulli exhibere ſui guſtum vnquam poteſt, at inſipidum planè eſt. Attamen ſi ſimplex aqua cineribus infundatur & permiſceatur, minimo etiam calore ſalcedinem, amaritudinem maioremque vel minorem acrimoniam aqua illa tandem contrahet, ſecundum naturam ſalis magis aut minus ſalſi aut amari, qui in cinerib. continetur. Quod ſi dicat aduerſarius, mel & ſaccarum de coctione ſeu vi ignis acria aut etiam amara reddi poſſe, reſpondemus id quidem fieri, dum aereæ & ſulphureæ & aqueę partes, quę dulcedinē inducunt ac tuentur, decoctione illa per

eunt & ſeparantur. Terreſtres verò ſales quos intrinſecus poſſident huius ſint proprietatis, vt hunc vel illum acrem vel amarum ſaporem à temperie digreſſa ex ſua natura poſſideant. Sic ex cæpis & alliis, ſi volatilem & aereum aeremque ſalem mercurialem detraxeris, qui in ſuperficie corporum eorum exultat, dulcia illa & mitiora reddas, vt acrimoniam ſuam, qua linguam vellicant, deponant: calidam tamen ſuam qualitatẽ, qua ratione ſalium fixorũ abundant, retineāt ac repræſentent.

Vt de ſalibus loquuti ſumus, poſſumus etiam ad dogmaticorum imitationem ex odoribus facultates quaſdam elicere, citra calidarum qualitatum opem.

Etenim quùm ad ſulphuris proprietatem variam referantur, varii etiam inde non ex qualitatibus odores emergunt. Qui ſi grati ac ſuaues fuerint, cum voluptate ac delitiis à cerebro, vt diximus, excipiuntur. At ingrati odores tùm à naribus, tùm à cerebro reiiciuntur, quòd vtrique parti moleſti ſint. Eiuſmodi eſt narcoticus papauerum & iuſquiami ac cicutæ odor, atque id genus aliorum, quæ narcotica ſunt ac fætidi odoris. Qui quoniam cerebrum ſtupefacit ac conſopit, ſolet à Medicis qualitati frigidæ tribui; vbi legem ſuorum axiomatum infringunt, quibus odores calidis qualitatibus adſcribunt, vt veriſſimum eſt. Quod enim in papaueribus narcoticum eſt atq; opio, id nihil aliud eſt quàm pars quædam oleoſa ac ſulphurea flammam concipiens: (quale olei genus ex iuſquiami & papauerum ſeminibus extrahitur) quæ tamen etſi promptè ardet, effectus tamen quàm frigidiſſimos, vt vulgus opinatur, exerit. Quam quidem frigiditatem, opio attributam, vt corrigant vulgares Medici, videre licet in eorum remediis opiaticis aut antidotis, in quibus opiũ ingreditur. Huiuſmodi compoſitionum Myrepſus plures quàm octoginta deſcribit: vbi euphorbio igneæ & adurentis fa-

ſulfatis non minus parcitur, quàm vtrique piperi, aut id genus aliis cauſticis & ſummę caliditatis: cùm tamen verum & geminum opii correctorium (vt ita loquar) ab Hermeticis probè cognitum acetum ſit, quod vapores aut halitus narcoticos arcet, ni ad cerebrum euehantur, ſic illos ſua aciditate comprimendo, vt eos retineat, correctoria vero illorum calida illos magis ſuſcitent ac multiplicent. Vnde ſiniſtra prorſus ac exitialia ſymptomata inuadant, vt hac ratione aduerſus eiusmodi medicamentorum vſum & perniciem neceſſe fuerit ad empiricorum laudanum, quàmuis imperfectum, refugere.

Nunc de coloribus aliquid dicendum. Quorum, ne quid detrahant dogmatici de qualitatibus ſuis, varietatem quandam colorum ad ipſas referre ſolent, ac obſeruationes quasdam admodum lenes ac futiles notarunt: vt cùm dicunt in cæpa alba & vino albo ex colore frigiditatem maiorem iudicari, quàm in cæpa rubra aut vino rubro. At ſublimatum & Arſenicum album, etſi candidiſſima ſint inſtar cryſtalli: ſub iſta tamen albedine ardentiſſimum ac exitialiſſimum ignem fouent ac velant. Quin & ipſum ſaccarum, vſque adeò album, ſuaue ac dulce, in penitiorib. ſuis partibus miram tegit nigredinem, ac acrimoniam, ex qua poſſint aceta fortiſſima & regiæ veluti aquæ erui, quæ metalla quæuis duriſſima ſoluant ac comminuant. Abſurdum ergo fuerit dicere, à calido & frigido colores effigiari, qui ex ſolis ſpiritibus, vel tenuiſſimis vaporibus ac aereis, in ſale latentibus, proficiſcuntur: præſertim in eo ſale, qui natura ſulphureus eſt, quale eſt nitrum aut ſal petræ, vt vocant. De cuius admirandis proprietatibus cùm verba faceremus in tractatu illo noſtro, quem tàm peritè Cenſor caſtigauit, in quo hoc vnũ tantùm ſibi carpendum duxit, quòd alienum

prorſus à mea mente fuit. Nam quùm de ſale nitro agerem (qui optimè depuratus niuis inſtar candidiſſimus eſt) apertè tamen docui ex hac albedine infinitos varii generis colores prodire ac elucere, qui varietate omnes omnium colorum opalas ſuperent. Qui colores ex ſolis ſalis petræ ſpiritibus prodeunt, compactiſſimum vitrum etiam penetrantibus, ac in volatilis farinæ (omnibus coloribus inſignitæ) ſpeciem vi ignis extruſis, & in ſuperficie alembici vitrei adhærentibus. Ex quibus coloribus totum etiam alembici corpus infectum ac tinctum videre liceat, tàm in intrinſeca, quàm extrinſeca ipſius ſuperficie: Quique tàm varii appareant, vt verno etiam tempore, omnibus ſuis veſtita coloribus, tellus multitudine & varietate his cedat. Hinc liquet, iſtam colorum omnium diuerſitatem ex ſpiritibus non ſecus eſſe petendam, quàm alias omnes rerum omnium proprietates ac virtutes, ad eos eſſe referendas.

Si igitur iſtorum fundamentum ſuper tria principia, eorumque ſpiritus ponatur, firmum vtrique ac ſtabile futurum eſt, vbi etiam non fuerit opus, in alicuius cauſæ ignoratione ad occultas proprietates confugere.

Hæc omninò doctrina, vt certiſſima & veriſſima, ſi excolatur, addiſcatur, & omni ſtudio excutiatur, Hippocratis etiam illius magni nixa autoritatibus, omnes mentis noſtræ tenebras facilè diſcutiet, lucem clariſſimam afferet, difficultates omnes ſubmouendo. Ex ea enim ſchola certiſſima theoremata ac axiomata, citra tot diſtinctiones depromantur, quibus vt apertisſimis & firmiſſimis nihil opponi poſſit. Quin vſque adeò conſtanti muniuntur veritate, vt citra omnem controuerſiam ab æquis iudicibus vno conſenſu facilè admittantur ac recipiantur. Exemplum de aceto ſuma-

ſumamus, de quo quid certi aſſerant, nihil habent multi etiam magni nominis Medici.

Quod enim acidum ſit,atq; ideò refrigeret,frigidum ipſum eſſe volunt. At contra, cùm facultatem eius attenuantem,incidentem ac diſſoluentem intuentur,nec non eius in terram effuſi feruorem, ac ebullitionem, diſcedere coguntur de ſententia, quidque de eo iudicent, incerti ſunt. Qui ſi ex Hermeticis didiciſſent, ſeparato vini ſpiritu ex eo ipſum idcircò aceſcere (vt patet etiam experientia) quò enim diutiùs ſoli aut locis calidis exponitur,eò maiorem acrimoniam contrahit ſenſim, quicquid in eo aereum eſt,& de eſſentia quinta vini,vi caloris exhalante, detractâ illi ea cœleſti ac ætherea eſſentia,qua vinum mira ſuauitate perfundebatur (cum punctione tamen aliqua, ſed gratiſſimè palatum feriente, ex ſingulari illa temperie aciditatis vitriolatæ per dulces & ſulphureos ſpiritus à naturæ archæo vino indita & conciliata) tandem aceſcit, cuius aciditatis cauſa ad qualitates frigidas non eſt referenda, ſed ad occultos illos ſpiritus & ſalis acidos, qui vinculo ſulphureæ ſubſtantiæ in officio continebantur in vino, quo ſoluto, luxuriare effrenes ſolent, & occultam ante ſuam naturam,vt pote liberam & ſolutam, manifeſtam reddere. Hinc fit vt aceta alia aliis ſint acriora, prout magis vel minus in ſe continent ſalis armoniaci naturæ, nihilque prorſus ſulphureæ ſubſtantiæ.Simplex enim aqua omni ſale deſtituta,nulla vnquam frigiditate aceſcere poteſt. Sed quemadmodum ex vino, ſic & ex hydromelite, cereuiſia,omnique defruto ſeparata,propria aqua vitæ aut ætherea ſubſtantia acetoſa fieri poteſt, eò quòd in ſeſe contineant ſalem acidum naturæ.

Eiuſmodi ſal acidus eſt,quem Philoſophi mercurium ſuum vocant, aut ſalem armoniacũ volatilem, ac ſpiri-

tualem

tualem (quòd omnium metallicorum ſalium armoniacus vulgaris ſit volatiſſimus) vt qui in farinæ formam albiſſimæ ac ſalſæ ad nubes vsque ſublimatione efferri poſſit, naturamque habet ſiccam & ſpiritualem, quam Philoſophi aquam ſuam ſiccam vocant: quod hic ſal vsque adeò volatilis ſit, at vnà cum aereo aut vapore aqueo attollatur, ex quibus facta eſt compoſiti mixtio: tantaque iſtius ſalis eſt aciditas, vt ſcrupulus vnus, aut octodecim aut viginti grana huius ſalis mundiſſimè deputati ac ſimpliciſſimi, in hydria aquæ communis ſoluta, totam illam mirè acidam reddant.

Atque hic eſt ſal, qui in aceto cum aquoſa ſubſtantia (detracta ſulphurea eſſentia) ſeſe acore ſuo conſpiciendum præbet. At quò generoſius fuerit vinum, eò acrius fermentum aceti, & vehementior eius acrimonia ſeſe prodet, ex quo attenuantes ſpiritus penetrantes & promptè diſſoluentes à perito artifice extrahuntur: qui vires & facultates aliunde quàm ab ipſo ſale armoniaco ſpirituali ac volatili cum humore aqueo permixti prodire nequeunt.

Atque vt hoc dilucidiùs adhuc declaretur, & re ipſa comprobetur, accipe fortiſſimum acetum album vel rubrum: hoc ad ſiccitatem in balneo Mariæ extillato, idque leni admodum igne: ex ſextario, tres partes aut amplius inſtar aquæ fontis limpidiſſimas, ſed acerrimas aut acidiſſimas extrahes, reliqua materia tartarea aut fœcali in imo vaſis ſubſidente, cum acerrimo & mordaciſſimo ſale, qui quòd ſit fixus, & terrenæ aceti parti adhærens, non niſi magna ignis violentia extrahi poteſt. Quo medio acerrimum oleum, aquæ regiæ naturam æmulans, corrodentiſſimum extrahitur, non caloris ignis ratione, ſed vi & potentia ſubſtantiæ ſalſuginoſæ, quæ cum ſale per ignem ex reliquis fæcibus expellitur in olei ſpeciem.

Sed

Sed relicto acri illo igne tartareo, ſumamus nunc explicandam aceti diſtillati aciditatem. Leni diſtillatione elicitur primùm aquoſum quoddam elemẽtare phlegma, quod ex toto corpore ferè inſipidum proiicitur, relicto alio in fundo vaſis liquore, longè acidiore aut acriore, atque idcircò ad diſſoluendum potentiore, qui alioqui antea non vſque adeo acer erat, quòd aquoſo phlegmate ſal armoniacus temperaretur. Cuius quanta ſit copia, ſi noſſe cupis, accipe quantum voles optimi ſalis tartari, qui eiuſdem naturæ eſt, ſed fixæ, per quem ſenſim, ad vnciæ vnius pondus, ſextarios duos aceti iſtius diſtillati, & dephlegmati, traiiciendo, comperies volatilem ſalem Armoniacum cum ſale fixo acri coniunctum eſſe: quodque ab eo diſtillatur prorſus inſipidum aut dulcidulum reddi, volatili armoniaco ſale depoſito, traiectione in ſale fixo: Ita vt ſupra vnciam vnam ſalis tartari vini fiat auctio vnius aut aliquot ſcrupulorum ſalis volatilis, alterius fixi quantitatem augentis: ſic qui ex aceto cum aquoſa & aerea ſubſtantia euolauerat armoniacus ſal volatilis, traiectione retineatur in proprio ſale fixo, atq; ibi hæreat, deſtituens ſeu ſpolians, abſentia ſua, omni aciditate liquorem, qui diſtillatur, quique idcirco nullius eſt virtutis, aut minoris aqua ipſa pura & ſimplici efficaciæ: vt hinc liqueat quàm exiguo aut pauco fermento ad magnam paſtæ quantitatem, vt loquuntur Philoſophi, acuendam ac augendam opus ſit: citra quod nulla futura ſit acrimonia ex elementari aquâ, eaque nullo perfundatur acore aut ſapore, ſi deſit illa ſalis armoniaci vis ac facultas. Hermeticus igitur Philoſophus ac Medicus, in viua rerum anatome probè verſatus, ad controuerſa iſta, de qualitatibus aceti, diluenda problemata, quæ inter dogmaticos agitantur, deſignatus, docebit, ſaporem acrem acidum, at attenuantem aceti, diſſoluentemque facul-

facultatem naſci ex eo, quod res acidæ, ſiue aquæ, ſiue ſucci ſint, ſale armoniaco perfuſæ ac aſperſæ ſint: atque idcircò acetum, non tantùm acre, ſed tenuiſſima ac ſpirituoſiſſima illa ſalis acida eſſentia, penitiſſimas corporum, etiam duriſſimorum, partes penetrare. Si verò effectus quoſdam refrigerantes exerat, inde fieri, quòd ab aceto ſulphurea & ignea vini qualitas, aqua vitæ nempe, ſecreta ſit, citra cuius ſeparationem nunquam poſſit acetum fieri, aut factum nullum vnquam aquæ vitæ guſtum aut ſaporem exhibere: eamque acrimoniam, qua feruet, elementaris aquæ ac frigidæ vehiculum eſſe, quo in penitiſſimas partes fertur ac penetrat, vt in ea aqua aciditatem illam contineri, & cum ea coniunctam eſſe, experientia crebra didicimus. Atque hoc exemplo, citra moroſius animi ſtudium ac moleſtiam, citraq; occultarum totius ſubſtantiæ proprietatũ ſubſidium, eiuſmodi nodi ſolui poſſent, ac occultarum cauſarum, facultatum ac omnium rerum proprietatum veritas elucere, vt fuſiùs dilucidiuſque alibi iſta explanamus. Atque hæc obiter hic monuiſſe ſit ſatis.

Ex his quæ ſupra dicta ſunt, tantùm hic obſeruamus vt quemadmodum liquorem acidum ac mercurialem rerum demonſtrauimus aciditatẽ ſuam mutuari ex ſale quodam armoniaco & volatili, qui à fixo promanat; ſic liquorem ſulphureum ac oleaginoſum aliunde virtutem ſuam non expiſcari, quàm à ſale dulci nitroſulphureo, qui ipſam ex ſale fixo mutuatur: ita vt in fixo ſale, & ex eo mercurialis illa aciditas & ſulphurea virtus promanent, ab eoque tanquam à radice & prima origine fructus ſuos recipiant. Vt hinc notare liceat, ac admirari, in vna eademq; eſſentia triplicem ſubſtantiam diſtinctè educi: ex qua res omnes creatæ facultates, virtutes ac proprietates ſuas depromunt ac hauriunt:

ſicque

ſicque eas in vno eodemque ſubiecto ſubſiſtere, vt duæ aliæ ab vna alia producantur. Eæ autem tres eſſentiæ, vbi ſeparatæ fuerint, & rurſum copulatæ aut vnitæ, admirandis creſcunt virtutib. ac facultatib. & ingentem perfectionem aſſequuntur. Quæ quò ſæpius & diſiunguntur & vniuntur, eò perfectiores ac ſublimiores poteſtatum gradus obtinent, vt inde etiam vniuerſalis ac præſtantiſſima omnium Medicina comparetur. Hoc vnum tantùm hic non reticebo, quòd cùm virtutem ſalium in vſum etiam Medicinæ deprimat Anonymus, nihil præter ampulloſas voces, rationũ vice & loco plenis ac tumidis buccis in auras proiiciat, quibus non tantùm ſales, ſed omnem operationem chymicam eleuare contendit, his verbis: *Sales Chymici ſunt cauſtici: In aduſtis enim omnibus manet empyreuma. Ergo non poſſunt viuens conſeruare. Quin imò non poſſunt illis niſi contra naturã ineſſe.* Atq; ſic tantum principium hoc tam nobile & efficax abiicit, quantum ob inſignes eius virtutes, & quòd balſamum vitæ radicale in ſe contineat, extollere ſtuduimus. Eſt enim & fœcunditatis & conſeruationis rerũ naturæ prima radix, & vitale principium. Contra ille paulo antè ſic ſcripſerat: *Generandis & conſeruandis animalibus ſola dulcia conferunt: ſalſa illis ſunt infenſiſſima: Iis enim animalcula omnia, vt vermes, interficiuntur, eaque vt capitalem hoſtem reſpuunt.* Deinde ſic infert: *Concludamus igitur: Poteſtne ſal eſſe principium rerum naturalium? Medici iubent abſtineamus à ſalſis: ſalem duntaxat pro condimẽto, hoc eſt, pauciſſimũ concedunt, &c.*

Nobis itaque huic capiti primò loco reſpondendum eſt, deinde ad alia ordine progrediendum. Non videt plus ſe pugnantia loqui: vult enim ſales abiici, quòd noxii ſint potiùs nobis, quàm vtiles: attamen dulcibus nos nutriri & conſeruari, quaſi verò dulcia ex dulcibus ſalibus non proficiſcantur: quæ diximus tamen ſaporem

rem obtinere, quod temperata & perfecta maturatione coctionis eum gradum adepta ſint: cùm alii ſales alio modo, hoc eſt, plus vel minus perfectè cocti alium ſaporem referant. Ergo ſi dulcia nutriunt & conſeruant, ſales quoque nutrient & conſeruabunt, cùm ſuis ſaporibus & gratis ſpiritibus ſales foueant & nutriant, cùm ingratis verò & naturæ nequaquam familiaribus noceant. Præterea, quis non videt hominis ingenium, cùm ait ſales à Medicis in condimentum tantùm præſcribi? Condimentum nunquid eſt gratus ſapor appetitum excitans ad recipiendum cibum? Cibus nunquid cum appetitu exceptus faciliùs concoquitur, & in naturæ noſtræ alimentum conuertitur? Ergo condimentum ex ſalibus non aliunde concinnatū, & naturæ ciborum congruens, magis nutriet & conſeruabit. Sal igitur ſaporem condimento & cibis inducens, erit nutritionis materia, non inſtrumentū tantùm: ſiquidem docuimus ſapores ſpiritib. ſtipari, quorum officium eſt alere, conſeruare, aut alio quouis modo immutare. Addo porrò contra iſtud axioma, abſtinendum eſſe à ſalſis, & inſulſum panem ſalito eſſe ſalubriorem, diſtinctione opus eſſe. Si enim ad ſanitatis conſeruationem præcipiatur ſalis abſtinentia, inter populares errores hunc quoq; recenſemus, quemadmodum & poſt purgationem iuſculum inſulſum non minore errore præſcribi aſſerimus, quòd ſi ſaliatur temperatè, non modò non eluat ventriculum, & inteſtina, ſed ſalis vi etiā ad ipſas medicamenti reliquias abſtergendas conuenientiſſimum reddatur. Salis enim proprium eſt, inter ceteras facultates, quas poſſidet, detergere, obſtructiones expedire, putrefactionē ac corruptionē arcere, vnde moderatus illius vſus non tantū non noxius, ſed maximè neceſſarius ac in conſeruationē vitæ noſtræ ſemper vtiliſſimus futurus ſit, de cuius fructu legat plura Anonymus,

mus quid de eo ſcribat Marcilius Ficinus in libro de vita cœlitùs comparanda.

Quod autem iſte garrit à vermibus ſales, tanquam capitalem hoſtem abhorreri, ibi rurſus ſe prorſus inſulſum eſſe fatetur, qui potiùs ſalis virtuti ac vtilitati adſtipulatur, quàm refragatur, cuius vim ac effectum vermes potiùs quàm ipſe odorantur. Nec enim ſales omnes omnibus naturis congruunt, ſiquidem natura natura gaudet, & ſimile ſimili. Qui igitur delectantur dulcibus, amaris offenduntur, & econtrà. In omni enim rerum genere, imò etiam in omni indiuiduo, contraria deliteſcunt, alioqui ex elementis contrariis non conſtarent. Quorum diſſidium, vt iam diximus, tùm præſertim apparet, cùm alia ab aliis ſeparantur, & ſeorſim acuuntur. Sed quid dicat Anonymus de ipſis hominibus, quorum alii libenter veſcuntur carnibus, & piſces abhorrent, aut non citra offenſionem aſſumunt, alii contrà piſcibus delectantur, & magno faſtidio carnes reſpuunt? Quid dicam de ipſo pane, qui cùm omnium hominum vt familiariſſimum deſtinatum ſit alimentum, à nonnullis tamen faſtidiatur ac reiiciatur? An hoc ex ſalis vitio oritur? Quis hoc dicat præter inſulſum? Congrua congruis igitur copulanda & aptanda ſunt, familiaria familiaribus, & ſimilia ſimilibus, tunc ſales optimè nutriunt & conſeruant. Cùm autem origo Vermium generationis ex dulcibus radicibus aut fructibus promanet, quid mirum ſi amara defugiunt, tam naturæ illorum contraria, & dulcibus ſemper delectantur? Sic quibus conuenit ſal vulgaris, ſi vel mortua quædam corpora à putrefactione vendicat, quidni viuentia quoque conſeruet, quorum balſamo congruunt. Ergo ſic quoque in Medicina erit ſalium vſus, debitè & congruè adminiſtratus.

O Oppo-

Oppoſuit nobis Anonymus in contemptum ſalium vermes, qui eos abhorrent. Quid verò dicat de tantò animalium multiplicium numero, quæ ſummè iis delectantur, cùm & volatilia & terreſtria iis ſemper exugendis tota intenta ſint, ſiue in ſtabulis, ſiue in latrinis, vbi ſepenumerò ſale nitri volatili ex vrinis & ſtercoribus exudante parietes induuntur? Hoc ipſum indies cernitur fieri ab auibus columbinis, roſtris parietes, lapides & quiduis aliud vellicantibus. Sic oues, capræ, vaccæ, ſi ad halipolia acceſſerint, ſtatim ad ſalem occurrunt, vnde vix multis flagellorum ictibus abigi queant. Nec aliunde arua impinguantur, vt alibi diximus, quam ex ſtabulorum, columbariorum & ſterquiliniorum fimis ac ſtercoribus inſperſis. In quo genere præſtant ouillus & columbinus fimus, quem ſi ex ſuis locis extrahamus, tartarea quadam materia ſcatentem conſpiciamus: ex quo etiam halinitrarius artifex poſſit nitroſi ſalis potiùs, quàm ex quouis alio ſtercore, aut terra, arte educere.

Atque hi ſunt naturæ ſales, quibus tantoperè omnia delectantur, nec iis carere poſſunt. Quid enim in ipſo homine cibi proſint & poſſint inconditi, & ſale carentes, quàm putrefactionem & corruptionem ingerere, leproſos affectus & cutis defœdationes inuehere? Sed appoſitè vtique multiſcius noſter Ariſtarchus Poetæ citat autoritatem, ſalſa etenim tellus, & quæ perhibetur amara, frugibus infelix, ignarus, ſi totum aruum ſale puro conſperſum aut etiam obrutum eſſet, magno illius incendio tellurem aduſtum iri. Aliud enim eſt cibos ſale conditos edere, aliud ſalem vorare: hoc deſtruit, illud conſeruat. Mixtionis itaque aliarum ſubſtantiarum vi, cauſtica ſalium virtus vſque adeò infringitur, aut potiùs demulcetur ac temperatur, vt optimum fiat & terræ alimentum, & animalium medicamentum. Cùm enim, vt volunt Dogmatici, terra per ſe ſit fri-

ſit frigida & ſicca, ac proinde mortis imago, vnde vitam tot vegetabilib infundat, niſi calore ſalis humidum ſuum primigenium fortiter retinentis temperetur.

Si licet huc autoritatem ſacrarum literarum proferre, quantis quæſo laudib. ab illis ſal etiam vulgaris, quaſi myſticum quid ſignificans, extollitur? Quin & ipſe Plato diuinum quid ſalem appellat (ne dum vt reſpuat) ꝙ balſamo ſuo reb. immortalitatem videatur promittere. At vnde Poetæ finxerunt, ἀφροδίτην aut ἀφρογένειαν, matrem ſcilicet generationum ex ſpuma maris natam, vt iam diximus, niſi pſpexerint, & appetitum generandę prolis alendæ & cõſeruandæ, in ſale marino fructu poſitam eſſe virtutem. Quid aliud etiam cornu Amaltheæ, omnib. frugib. ac fructibus refertæ deſignatũ eſt, quàm omnẽ copiam & affluentiã rerum ex ſale, quo pinguiſſimo cornu præ ceteris abundat, proficiſci? Nulla re enim magis luxuriant arua, aut cambi rident (vt vult noſter Anonymus) quàm cornuum in ipſis putrefactorum ac digeſtorum adipoſo ſale. Fruſtrà etiam obgannit Anonymus, cùm Chymicos ſales vult eſſe cauſticos, vsq; adeò enim puerilib. ſcatet ratiunculis, vt illis refellendis diutiùs immorari ridiculũ ſit. Prætereą abundè ſatis de quibuſdam vegetabilium ſalib. variis ac admirandis facultatib. dotatis, ſuprà verba fecimus, vt hic plura repetere non ſit opus. Ceterùm vt tandẽ doceam, non tantùm ad condimenta vſum ſalium vſurpari, vt ait Anonymus, ſed in auxilia etiam & ſingularia remedia, vt pote magnarum viriũ, exhiberi, quæ ab antiquis ſummoperè laudata ſunt, & quæ in vſu apud illos erant frequentiſſimo: vtq; ſimul oſtendã, Priſcis illis non ignotas fuiſſe calcinationes, vt neq; alias chymicas operationes, quas tamen Ariſtarchus noſter improbat ac damnat, multas ab illis editas medicamentorũ cõpoſitiones in exemplũ huc conferam, vt tyrocinium ſuum in hoc argumento agnoſcat Anonymus.

CAP. XXI.

De præſtantia vſuq; ſalis in Medicina iuxta veterum vſurpationem ac adminiſtrationem, contra imaginarias Anonymi noſtri de eo in Condimentum tantùm præſcripto ideas ac falſas opiniones.

COnſtat ex Galeni, aliorumque Græcorum Medicorum ſcriptis, nec non Arabum ac Latinorum, vno eodemque conſenſu, ſalem, vt aliquid inutile, aut etiam noxium quid ab illis non fuiſſe exiſtimatum: nec tantùm condimenti gratia præſcriptum, etſi in victus ægrorum ſuorum ratione a ſalſis abſtinendum imperabant: ſed eum tanquam maximè neceſſarium ac vtilem in Medicina agnouerunt, & defenderunt, eiusque vſum ad variorum morborum curationem vſurparunt, quo diuerſos ſcopos attingunt feliciter. Detergendo enim, reſerando, incidendo, attenuando, nec non etiam ſudores ac ſedes mouendo, vrinas ciendo, vomitum prouocando, ſalis vſus idoneus eſt, vt hac multiplici facultate alia propè omnia remedia vtilitate ſuperet. In cuius rei probationem aliquot veterum Medicorum, eorumque celebriorum, aliquot exempla hùc afferemus. Primùm Ægineta hæc de ſalis facultate refert lib. de re Medica 7. cap. 3 Sal omnis multùm ſiccantem ac adſtringentem facultatem habet. Vnde quicquid humidi in corporib. eſt, id totum depaſcitur. Quod verò reliquum eſt adſtringendo cõpingit. Quapropter etiam condita aſſeruat, & à putrefactione tuetur. At vſtus ſal maiorem diſcutiendi vim habet.

Idem ſentit Oribaſius Medic. Collectionum lib. 15. *Sales,* inquit, *ſiue foſſiles ſint, ſiue ex mari oriantur, ſimilem facultatem obtinent: eaq; ex duabus qualitatibus abſtergente, & adſtringente miſta eſt: vtramque verò ſiccare ſu-*

pra

prà fuit perſpicuè declaratum. Differunt tamen, quòd ſales, qui ex terra fodiuntur, diſcuſſoriæ ſunt eſſentiæ, ex quo fit vt craſſiorum ſint partium, magiſq; adſtringant. Sales verò iſti magis digerunt, quàm ignem non experti, quatenus eorum corpus tenuiorum partium eſt redditum, (quæ verba notabit Anonymus) non tamen æquè (addit Oribaſius) *ac iſti contrahere, denſareq; etiam firmam ſubſtantiam poſſunt.*

Idem Oribaſius lib. 2. de Virtute ſimplici medicamentorum ad Eutrapium hæc ſcribit: *Hales.* 1. *ſales ſimilem vim habent* (De aloe prius ſermonem fecerat) *foſſiles & marini, & ex duabus mixti ſunt qualitatibus abſtergente, atque adſtringente. Vtrumque autem genus ſiccare planum eſt. Quamobrem omnem humorem in corpore depaſcit, & partes ſolidas ad ſtringendo condenſat: quod in cauſa eſt, vt eas ſale condiant ſalque corpora à corruptela conſeruet. Sal vſtus maiorem detergendi vim habet: non æquè tamen contrahit & condenſat. Hales ἄνθος* 1. *flos ſalis tenuiorum eſt partium, quàm ſal vſtus, eſtq; acris qualitatis & abundè digerentis.* Tantundem propemodum loquitur Ætius, paucis additis aut immutatis verbis Tetr. 1 ſerm. 2. cap. 41. & ca. 46. Hæc addit de ſpuma ſalis: *Salis ſpuma ſpumoſus quidem eſt ſalis floſculus, vicinis petris adhærens: multo autem tenuiorum partium naturam habet, quàm ipſe ſal: quare & attenuare & diſcutere multò magis poteſt, verum quod reliquum eſt ſubſtantiæ, denſare velut ſal non poteſt.*

Paulus Ægineta, eodem libro & capite, quæ ſuprà citata ſunt, eandem ſalis ſpumam eſſe ſalis efflореſcentiam ſcribit, ac magis tenuium partium, magiſque diſcuſſoriam eſſe, quàm ſit ſal, ſed minùs compingere. Et de flore ſalis hæc ſcribit: *Liquidum eſt medicamentũ, magis tenuium partiũ quàm ſal oſtus.* Vnde aper-

tè liquet, non ignotam fuiſſe antiquis calcinationum, attenuationum ac eſſentiarum ſcientiã, quam maiores longè virtutes ac energias penetrantiores poſſidere, quam corpora eorum, incraſſando opportuniora, valere compertiſſimum habuerunt, vt ſuprà de ſale & eius ſpuma, nec non flore, ex fluctuum marinorum agitatione, & ad ſaxa alliſione ac attritu naſcente diximus. Quæ quidem agitatio ſpeciem quandam diſtillationis præ ſe fert, qua ſpirituoſiora à craſſioribus ſecernuntur, quemadmodum ex ſimplici lactis agitatione huiuſce rei ſe prodit veritas & experientia. Tres enim ſic diuerſæ ſubſtantiæ ſeorſim abſtrahuntur, butyrum nempè, ſerum lactis & caſeoſa pars; vt iam à nobis toties inculcatum eſt.

Si huc varias, ab Antiquis tùm Græcis tùm Arabibus præſcriptas, remediorum formulas conferri neceſſe eſſet, vbi ſales veluti baſim totius compoſitionis ſuſtinent, nunquam huius argumenti vllus fuerit finis. Aliquot tantùm exempla hic proferam, vt diſcat Anonymus maiore in pretio ac commendatione ſalium virtutes, ac potẽtias habere, quæ in vſum ſagaci induſtria reuocet. Ex his etiam docebitur, qua arte & doſi exhibeantur, quantæque fuerint apud celebriores Medicos exiſtimationis.

Aetius Tetr.3 ſerm.1. cap.24. vbi de cruditate & de iis, quæ ad concoctionem iuuandam faciunt, ex Galeni aliorumque Medicorum ſententia, ſales nobis proponit. In quorum deſcriptione libra vna ſalis Cappadocis ingreditur, quæ omnium aliorum doſim piperatorum ac calidiſſimorum quantitate ſuperat, ex quibus puluerem concinnat, de quo ſemi cochleare ex ouo ſorbili, aut ex ptiſana ieiuno ventriculo & matutinis horis ſumendum præcipit. De cuius viribus hæc verba facit, quæ ſequuntur. Huius medicamenti (inquit) auxiliares facul-

facultates nemo pro dignitate laudare poteſt. Quare vt breuiter dicam ad frigidiores temperaturas non reperias aliud pharmacum, quod conuenientiùs crudos humores concoquat, vnde & colicis prodeſt, ventrem citra moleſtiam mediocriter mouet. Deſcribit porrò ſales Poletis aluum emollientes, pituitam a capite diſſoluentes, & per palatum tranſmittentes, reliquasque diſtenſiones attenuantes. Eam ipſam compoſitionem ingrediūtur ſales torrefacti ſplendidiſſimi ad drachmas centum & quadraginta quatuor. In qua compoſitione ſolummodo addit florum chamæmeli, conizæ tenuis, calamenthi montani, radicis eryngii montani, origani, ſylphii, piperis ana trientem. Quæ quidem reliqua ingredientia ſimul iuncta non accedunt, vel longiſſimè, ad ſalis illius quantitatem.

Aliam præterea ſalis compoſitionem tradit dodecatæos dictam, qua excipiuntur vnciæ triginta ſalis torrefacti, hyſſopi, pulegii, cumini: ſed longè minore doſi quam ſalis, cuius aſſiduum vſum, in ſalis vulgaris locum, præſcribit, non in condimentum tantùm, vt falſo interpretatur Anonymus, ſed quòd præſtantiſſimi medicamenti vices aduerſus multos humani corporis affectus expleat.

Qui enim eo aſſiduè (inquit) *vtitur, nullis morbis per omne tempus infeſtatur:* Præcipuè tamen caput alleuat, viſum acuit, pituitamque in thorace congregari non ſinit, cõcoctionem bonam operatur, & meſaraicas maximè venas ab obturatione liberat, & renes repurgat. Addit. *Quidam & origani ſextantem adiiciunt. Ego vero,* inquit *Aetius, ſemper ſpicæ nardi vnciam vnam annecto, in Hyeme amplius ℥ j. piperis addo.*

Hinc liquet veteres non ſimpliciter ſalibus eſſe vſos, ſed in deligendis ſplendidioribus ac defæcatioribus ſedulam nauaſſe operam, quorum etiam vt vires inten-

O 4 derent

derent ad attenuandum, concremarunt ac torrefecerunt. Vide quam diligenter Anonyme veterum ſcripta excuſſeris, cùm huiuſmodi aſſationes ac calcinationes ab iis improbari & reſpui vis, aut ex illa aduſtione cauſticum empyreuma non innoxium contrahi malè aſſeris. Hi, ſi vitæ humanæ obeſſent, & eius conſeruationi inepti prorſus eſſent, quorſum à veteribus tantis laudibus efferrentur, vt inter potiſſima ſanitatis tuendæ auxilia ab illis collocarentur? Qui ſiquied ventriculum & quaſcunque corporis partes attingunt, vt ſplenem, hepar, ac imprimis meſaraicas venas mucilaginoſis impuritatibus expediunt ac repurgant, vt nihil ſuperuacaneũ reſtet, quod corruptione ſua morbum inferat. Eiuſmodi enim partes ſuis excrementis liberæ validiùs concoctioni incumbunt, quam eandem etiam huiuſmodi remedia iuuant, vt hinc omnis cachexiæ, hydropiſis & aliorum id genus ex mucilaginoſis obſtructionibus naſcentium affectuum ſeminaria omnia tollantur. Denique ea pollent poteſtate, vt omnem putrefactionem ac corruptionem, vermium ac vitiorum aliorum originem prorſus arceant aut emendent. Quæ omnia cùm pręſtent ſales, quid in vitæ, aut ſanitatis conſeruatione, aut omnium morborum expulſione vtilius excogitari poteſt? Faceſſat igitur Anonymi noſtri inanis illa ſententia, qua ſuper ciliosè nimis fidum antiquorum Medicorum ſectatorem ſe eſſe iactitat, quos minimè habet familiares.

Qui poſſit ille cum quibuſdam eiuſdem calculi maledicis ac inuidis tantorum virorum eſſe imitator, cùm omnes iſtiuſmodi homines ita ſales abhorrẽt, vt propemodum plebi perſuaſerint, à condiendo ſalibus pane, tanquam ab exitiali re, eſſe abſtinendum? Nec minus piperatorum vſum prohibent, quæ tantæ ſunt vtilitatis, vt in incidendo, aperiendo, attenuando,

congruè

congruè aſſumpta, non poſtremum locum occupent, vt hinc multa a natura fruſtrà procreata, impudentiſſimè inferant. Sed deſinant iſti tantoperè ſuam erga antiquos veteres fidem ementiri, qui eorum formulas medendi prorſus damnent, (ne dum æmulentur) cum plura ingredientia, quibus concinnantur, planè cum conuitiis reſpuant.

Sed redeamus ad ſales noſtros, aliaq; id genus infinita remedia expendamus, quę partim ad προφυλακτικὴν, partim ad θεράπευσιν planè pertinent, ab omni antiquitate vſurpata ſub ſalium baſi & nomine.

Actuarius *lib. Meth. medendi cap. 9.* deſcribit quosdam ſales purgatiuos. *Sal, qui aluum ſubducit, ventri inteſtiniſque inhærentem pituitam, reliquosque humores euacuat: purgat quoque modicè bilem. Commodiſſimum eſt articularibus morbis, ſtomachicis: & ſi quis ob ſtomachi vitium comitialis aſſiduè concidit, eoq; vtitur, mihi, inquit, gratiam habebit. Qui eo familiariter vtuntur, à morbis ipſos vendicat.* Horum aliquot deſcriptiones aut compoſitiones tradit, vbi nihil præter ingredientia admodum calefacientia videas, inter quæ drachmas quindecim armoniaci ſalis præſcribat & inferat. At Armoniacus ſal quantam vim calefaciendi cum violentia habeat, ſatis compertum eſt.

Ibidem aliam ſalis compoſiti ſpeciem tradit ex ſeptem vnciis ſalis armoniaci torrefacti, additis aliquot ſimplicibus calefacientibus, ac aromaticis: quem quidem compoſitum ſalem ſcribit citra noxam aluum ſoluere, nec ſtomachum ſubuertere, quod omni tempore & cuiuis ætati exhiberi poteſt. Excernit enim, inquit, fæces duriores, omnemque putrem materiam à capite vſque ad vngues, à furfuribus & reliquis exanthematis, quæ in capite effloreſcunt, liberat: medetur tenebricoſæ vertigini, lippitudini, omnibusque

exanthematis,in capite efflorèſcentibus. Vindicat à tertiana, quotidiana & quartana, ſi in intermiſſionib. bona nimirum coctione, anteà in vrinis apparente, præbeatur. Sed præ reliquis ſuccis bilem euacuat.

Apud Nicolaum Myrepſum inueniat Anonymus, qui prorſus eſt nouus, in ſalium ab autoribus deſcriptorum lectione, primo eius libro de Antidotis ſectione prima, varias Antidotos ab eo conſcriptas: in quarum præcipuis inſerta videat multorum ſalium genera, qualia ſunt Armoniacum, ſal gemmæ, nitrum, alumen & vitriolum: vt qui etiam Myrepſus priuatim de ſalibus tractatulum edidit, in quo viginti & plures ſalium deſcriptiones tradit, quarum aliæ ad purgandum ſpectant, aliæ ad præcautionem inſtitutæ ſunt, & iam natorum morborum profligationem.

Inter alias compoſitiones vnam deſcribit, quam titulo ſalis ſanctorum Apoſtolorum inſignit, *cap. 15.* quam dicit viſum ad ſenectam vſque conſeruare, eiuſque acumen efficere, quæque tuſſire non ſinat, ac ſpiritus difficultatem prohibeat, capilloſque defluere aut erigi, fœtoremque fieri non permittat.

Aliam quoque tradit compoſitionem, quam Lucæ tribuit Euangeliſtæ ac Apoſtolo, eiuſdem ferè virtutis, qua ſacerdotes Ægyptios ad ſatietatem vti ſcribit, vt ſemper lectionibus vacare queant, aſſerens eius vſu pituitæ in pectore generationem impediri, omnemque lippitudinem ac dentium dolorem arceri, vellicationes ſedari, ac pedum dolores cohiberi.

Aliam item Gregorio Theologo eiuſdem poteſtatis, vt quæ etiam ſcirrhoſis lienis tumoribus opportuna ſit, vt hinc ſatis ſuperque liqueat, tantum ſalium apud antiquos ac tam ſalutarem fuiſſe vſum, vt ob inſignes illorum virtutes aliunde, quàm ab Apoſtolis aut diuis

hominibus

hominibus proficiſci ſibi perſuadere non potuerint. Neque hic negari poteſt Antiquorum eam fuiſſe opinionem, vt ſub ſalibus magna laterent ac comprehenderentur myſteria.

Marcellus Empiricus duo ſalium purgantium genera deſcripſit, in ſuo de medicam. libro *cap. 30.*

Æginetà *lib. de remed. 7. cap 5.* vinum purgatorium deſcribit, ſalem continens. Deſcribit porrò ſolutiuum ſalem.

Aetius *Tetr. 1. ſer. 3. cap. 108.* integrum hoc caput de ſalibus purgantibus inſtituit, quorum varias explicat formulas, admirandaque de iis prædicat, tùm ad præcautionem à morbis, tùm in grauiſſimorum etiam affectuum, nec non febrium quotidianarum, tertianarum, ac quartanarum curationem.

Oribaſius *ὑποθετικῶν lib. 1. cap. 9.* vbi de euacuationibus tractat, quæ ſanis conueniunt, hæc ſcribit: *Iam verò iis, quibus malitia humorum ineſt, & quibus propter ſuperfluorum acrimoniam exanthemata in cute oriuntur, quique morſum in lotio ſtercoreq́; ſentiunt, confert lac melli mixtum bibere.* Itemque ſerum lactis, ſed primum potui dandum eſt ſale iniecto, facit enim ſal, vt ſerum partes corporis celeriùs permeet.

Si ad ſalium theriacalium deſcriptionem ab Æginetà traditam lib. de remediis 7. ca. 11. animum aduertamus, ibi videre licebit viperas (virulentiſſima reptilia) ſale armoniaco, gentiana, ariſtolochia, cẽtaurio, cardamomo, atque id genus aliis variis ſimplicibus conditas, ac vndequaque circumuolutas. Dein omnibus melle Attico in paſtam exceptis ac copulatis; in ollam terream luto fortiſſimo munitam, cum ſuo operculo, tamen foraminibus pertuſo, vt quicquid virulenti eſt exhalet, iubet ad ignem reuerberii (vt vocant) exponi, vt in calcemq́ue, cineresq́ue prorſus redigantur: ex quibus cùm

bus cùm aliarum rerum additamentis ac mixtionibus ſales theriacales fiant ac concinnentur. Quæ quidem operatio tota vtique chymica eſt, fidemque facit, veteres ad exquiſitiſſima remedia calcinationes medicamentorum, tanquam virtutes rerum abundè ingeminantes ac adaugentes, vſurpaſſe: quod citra tamen humidi primigenii deperditionem, contra inſulſam Anonymi noſtri opinionem fieri poſſe non ignorarunt. Vnde quàm perniciosa ſit audacis hominis in vulgus ſparſa ſententia, videre eſt, qua cum catholica quada m, & citra exceptionem, lege ſancire vult, idque ex Medicorum decretis: A rebus ſalſis abſtinendum. Inde inferens tantæ vtilitatis ac neceſſitatis ſalis vſum omnem eſſe damnandum. At quid porrò docet Ægineta, lib. 7. de re Medica? A præſtere aut vipera demorſis ſalſam carnem non tantùm exhiberi vult, ſed in rarum ac exquiſitum remedium de ea abundè comedi præcipit. O quàm alienũ Anonymus noſter ab huius antiqui Medici ſentẽtia, conſilio & decretis oſtentat animum, qui quæ pro ſingulari præſidio habebant veteres in ſerpentum morſus, vſum videlicet ſalſarum carnium, ea prorſus citra rationem reſpuat. At nec ſolus Ægineta hoc ſenſit & ſcripſit, ſed Græcorum omnium celeberrimorum vnum eundemque conſenſum licet vbique agnoſcere.

Plinius ſecundus in epiſtola quadam ad amicos, de argumento Medicinæ agens, poſtquam expoſuiſſet, crebrò ſibi contigiſſe vt impoſturas ac fraudes quorundam Medicorum peregrinando detegeret, quorum alii vilia quędam & prorſus inania remedia, maximo tamen pretio (vt eo nomine gloriam & famam ſibi conciliarent) paſſim diuenderent: Alii lucro auidiſſimè inhiantes morborum, quos nunquam noſſent, opulenta mercede curationem ſtipularentur; Alii, qui (vt eius ipſius verbis vtar) hoc genere graſſarentur, vt languores, qui

paucíſ-

pauciſſimis diebus, vel etiam horis, poſſint ſanari, in longum tempus traherent, vt ſic ægros ſuos diu in reditu haberent, & ſæuiores ipſis morbis exiſterent: tandem addit. *Quapropter*, inquit, *neceſſarium mihi viſum eſt, vndiq; valetudinis auxilia contrahere, & veluti in breuiarium colligere, vt quocunque veniſſem, eiuſmodi inſidias vitare, & hac fiducia ſecurior ingredi queam: & vt ſciam, ſi quis mihi languor acciderit, non facturos Medicos ex me, vel ex meis reditum, nec taxaturos incommodorum, occaſionibus ſanitatis.* Quæ autem ille πολυίςωρ, ac totam Medicinæ ſcientiam apprimè callens, profert in medium, tùm in præcautionem, tùm omnium affectuum curationem, quos poſſet incurrere, hæc ſunt, quæ ſequuntur: vetus oleum, aqua marina ex mediterraneo mari hauſta: à quo ſi remotior eſſet, & ea frui non poſſet, duas ſalis partes cum quatuor aquæ partibus coniungebat, vt ſibi ſic ſalſam aquam compararet, quæ marinam ſapore & virtute æmularetur: atque hoc remedio in curationem priuatim vtebatur. Quin & habebat polentum vt vocat ex xx. libris hordei & lib. 1. ſem. lini. ac lib. ſs. coriandri, addito ſalis acetabulo concinnatum. Paratum etiam habebat ſemper oxymel, ac purum ſimplexque mel, cum quarundam auium cineribus, aliorumue animalium, ad inſtitutum facientium, quorum nomina ſupprimit. Horum tamen cinerum præparationem chymico verè artificiò abſoluendam docet, cùm ſic ſcribit: *In ollam nouam mittitur auis, aut quodlibet aliud animal, quod putaueris exurendum, quod addito operculo, circumlitoque argilla, in furno feruenti torrebitur*, ſpiramento permodico facto.

Hinc conſtat ſalſas aquas ac cineres, ex quibus ſales extrahuntur, veteribus iam pridem ſingulari fuiſſe auxilio ac vſui, perinde ac noſtri æui veris Medicis. Quin etiam egregium celebratur experimentum ſalſæ aquæ

in quadam Epiſtola deſcriptum, quam Vindicianus Comes Archiatrorum ad Valentinianum dedit Imperatorem, his verbis: *Quùm quidam febribus teneretur, & diu ventris duritie ſtrangularetur, ac duodecimo die iam morti proximus videretur, adhibitis ad curam multis & magnis Medicis vt remedium conſequeretur, hoc illis ſummum periclitandi præſidium viſum eſt, vt per inteſtinum clyſtere ei curatio pararetur. Quùm ille imminente periculo æſtuaret, & veluti morti proximus curationis etiam extrema depoſceret, ego pudoris & reuerentiæ modum ſeruans, quem cunctis ſemper exhibui, proſpexi ad tempus, ne veluti turpis cura forti viro applicaretur. Quùm ergo vidiſſem, febrem eius, quam de colore collegi, & ſiccitate viſcerum fatigari eum penitus aduertiſſem, illicò infuſo ſale aquam frigidiſſimam obtuli eius ardori: qui cùm deſiderio recenti, quo cruciabatur, totum, quod ei oblatum fuerat, ebibiſſet, autores Medicinæ magni, qui id ſpectabant, exclamauerunt, occidiſti hominem. Nec dum rex eorum de ore emanauerat cum è veſtigio eum ſomnus occupauit, ſudorq; perfudit. Quibus ego præſentibus (Clementiſſimus Imperator) tantis ſudoris eius abſterſionibus laboraui, vt (ſi dici fas ſit) Nilus ex eius corpore videretur effluere. Verùm quùm æger expergefactus, recreatum ſe extinctis febribus, & ab infirmitate leuiorem eſſe ſenſiſſet, ventris etiam cœpit deſiderio vehementer vrgeri. Allato itaque vaſculo, omne alui onus, quo grauabatur, expoſuit cum ingenti fœtore, &c.*

Vnde ſatis liquet, quantus ſit aquæ ſalſæ effectus in affectuum curatione congruè adminiſtratæ. Nec diſſimilis eſt illius temporis Medicorum exclamatio, qua hominem iugulatum falsò criminabantur, huic, quam Anonymus noſter cum ſui ſimilibus in nos debacchatur: inter illos vnicum hoc diſcrimen eſt, quòd priſci coram calumniabantur, hic verò furtim & latenter famæ meæ inſidiatur, quòd cauſæ ſuæ diffidat, & dedecus

& dedecus ac ignominiam reformidet, ſi palam, & aperto marte nobiſcum agat.

Galenus *4. de ſanitate tuenda cap. 5.* Trallian. *lib. 8. cap. 13.* Paulus *de re Medica lib. 7. cap. 24.* Actuar. *lib. meth. med. 5. cap. 6.* Myrepſus *de antidotis ſect. 1. cap. 185.* deſcribunt Antidotum, quam diaſpoliticum vocant, vel diaſpolitem. Cuius duas tradunt formulas, in quarum vna plus nitri quàm altera inſerunt. Quæ copioſiùs nitrum continet, cum cumino, pipere, ruta ac nitro anà, partibus æqualibus concinnatur, quæ hac ratione, vt ſcribit Aetius *tetr. 3. ſer. 1 cap. 22.* magis aluum ſubducit. Aliquando reliqua ſingula pari pondere miſcentur, nitri vero dimidia aut quarta pars additur. Vnde apparet ipſum Aetium vim purgatricem ſali nitro tribuiſſe. Dicit autem cuminum, quod immiſcetur, debere Æthiopicum eſſe, piper verò longum & album, cuminum in acerrimo aceto macerandum, deinde moderatè torrendum, folia autem rutæ præarefacta ſumi debere: recentia enim humore abundare ſuperfluo, vt ſic manifeſtum fiat, admiſſas eſſe & probatas ab antiquis medicamentorum aſſationes ac calcinationes, vt maximè vtiles ac neceſſarias. His enim modis, paſſiuum phlegma, aut aquoſus rerum humor vt inutilis, ſeruato medicamenti humido primigenio ſeparatur. Cui tamen ſententiæ & veterum artificio quàm inſulsè noſter Anonymus refragetur, experientia ipſa patet, qua, ex ruta, ſaluia, calamētho, origano, roſmarino aliiſque odoriferis ſimplicibus, non poſſint commodè olea erui, niſi nimio phlegmate perfuſa, ſi recentia, non ſicca aſſumantur. Priùs enim quàm oleum diſtillatione extrahatur, exiccanda ſunt ea, vt ſuperuacanea aquoſitas abſumatur, deinde aqua communi perfuſa in vaſculo opportuno digerenda, quæ ex ea digeſtione diſtillata humidum primigenium oleoſum & rei odorem referens ad ſe rapit.

Quùm

Quùm extrahuntur olea ex ſeminibus aniſi, fœniculi & aliorum id genus, aromatumque omnium, quùm ea temporis proceſſu exaruerint, aſſari aut torreri ampliùs non eſt neceſſe. At per ebullitionem aquæ olea in ea ſupernatantia facilè fuerit extrahere, quæ alioqui per vulgares decoctiones, ſpirituum vires, quos in ſuo primigenio humido continent, opportuno & congruo vaſe non concluſa, amittunt, & in auras ac fumos diſpergunt. Vaſis enim apti beneficio retinetur humidum primigenium citra vllam iacturam, in quo ſpiritus efficaces deliteſcunt.

Hinc igitur diſcant omnes, hanc eſſe vnicam cauſam qua in noſtra dogmatica Pharmacopæa, apozematum aut decoctionum, iulepis ac ſyrupis concinnandis inſeruientium, formam & artificium reſtituimus: ne quid ex ſimplicibus medicamentis virium depereat, vt vulgò aſſolet fieri, ſed integra virtus, ſola vtilis, conſeruetur. Quorſum igitur pluribus oſtrepat Anonymus, & damnatis diſtillationibus, in vacuis ſuis decoctionibus animam rerum quærat? Cuius errorem, vt experientia agnoſcat, decoquat ipſe lib. 1. ſeminis aniſi in lib. 6. aquæ vulgaris ſuo modo: Ego verò idem pondus etiã aſſumam: Ille autem ſuam traiiciat, tranſcolet, & prout libuerit præparet decoctionem, videbit ne guttulam quidem olei concipi, in quo tamen oleo tota aniſi virtus poſita eſt: certe nihil olei in eo decocto deprehendet, quòd omnis facultas cum eo in auras aperto vaſe euolarit: nec quicquam in decoctione ſua ſeruatum percipiat, quàm odorem quendam aniſi leuiſſimum. Cum contra ego artificio noſtro poſſim vncias olei duas prolicere, quod ad guſtum ſapore aniſi planè dulcedinem referat, eamque gratiſſimam, ſi dulce fuerit aniſum: cuius guttula multis aquæ vnciis admixta, aut alii liquori, eum prorſus ſapore ſuo imbuat,

viresq;

viresque magnas impertiat. Quin & ipſa aqua, quæ iam elicito ac ſeparato oleo ſubſidet & reſtat, etiamſi ſex librarum loco duodecim libras infuderis, plus odoris, ſaporis & virtutis retineat, aptiorque concinnandis apozematis, aut ſyrupis, gratiorq; palato vulgaribus iſtis decoctionibus, ac validior fuerit. Nec tantùm de aniſo hoc fieri certũ habeo. At ex omnibus aliis ſeminib. calidis ſua virtus, odor & ſapor ſic elici poſſunt, nec non ex herbis ac florib. odoratis, ex quib. etiam ſyrupi longè acceptiores ac maiorũ viriũ parari poſſunt. Libéter paululùm ab inſtituto digreſſi ſumus, vt aliquod ſemper in Iuniorum gratiam φιλομαθῶν, artificii documentum ac experientiam imitandam proponamus, vtq; ſimul maturè diſcant ab erroribus Anonymi noſtri recedere, qui Graculi inſtar ex capſula ſua nihil, quàm de rebus ſibi garrit incognitis.

Fœces, quæ poſt liquorum primigeniorũ ac oleorum extractionem remanent, quas ſedulo verus Chymicus ſibi aſſeruat, ab eo in calces ac cineres vi ignis rediguntur, ex quibus tertium illud principium admodum vitale, ſalem nempe, prolicit, admirandas adhuc in ſe continentem eſſentias: liquorem nimirum mercurialem & ſulphur quoddam oleoſum, aut oleum ſulphureum: nec non alium ſalem igneum longè efficatiorem, ac promptioris vt ita loquar actiuitatis, maioriſq; potentiæ, quàm qui iam fuerit extractus. Quem ſatis conſtat, quum tantæ ſit virtutis, nec vitali ſuo principio carere, nec humido primigenio vlla calcinatione ſpoliatum fuiſſe, vt ſentit Anonymus: quo ſi eſſet exutus, vnde tantæ attenuandi, incidendi, reſerandi, extergendi, laxandi ſudores, vrinas prouocandi vires prodirent, quæ in eo tanquam in vniuerſali lixiuio deliteſcunt? vt hac ratione corpus humanum omnibus propè morbis liberet, tanquam catholicum remedium, ſi

aptè, congruè & ex arte is ab experto & perito Medico adminiſtretur.

CAP. XXII.

Salium ex rebus omnibus extractiones & calcinationes ac incinerationes chymicas Antiquis etiam fuiſſe cognitas, & in medendo vſurpatas, contra Anonymi de hac re erroneam opinionem, qua ſales omnes Chymicos cauſticos dicit, ideoque damnat.

DE ſalibus ac eorum virtutibus, proprietatibusque, fuſiùs ac particulatim de ſingulis in Pharmacopœa noſtra diſſerimus, de quib. etiam hoc tractatu ſuprà aliquid attigimus, quo fiet, vt hoc argumentum longiùs hic non protrahamus, quùm abundè Anonymus noſter hinc doceri poſſit, quàm malè hallucinetur, & quàm inſulsè, in ſua Apologia, ſales Chymicos obterat, ac nihili faciat, cùm non ſit prudentis viri, citra cognitionem ac certam ſcientiam aliquid effutire aut reprehendere, imò quùm ſe dogmaticum profiteatur, dogmata ipſa celebriorum Medicorum, ab antiquo etiam æuo, explodat, ac aſſationes, calcinationesque illorum prorſus reiiciat.

Similibus noſtris calcinationibus veteres vſos eſſe, Oribaſius *med. collect. lib. 13.* apertè ſatis probat, cùm de calcinatione tartari, fæcumque aceti in olla, argilla incruſtata, verba facit. Dicit enim rem calcinandam in olla luto munita eſſe collocandam, tamdiuque ibi eſſe aſſandam, dum colorem album acquirat. Quod idem Alchimicè docet eſſe faciendum, initio ipſius & eiuſdem libri.

Vidimus ſuprà quid ſcripſerit Plinius ſecundus de auibus & animalibus in cineres redactis, vtq; eiuſmodi remedia

remedia inter ſingularia ac familiaria auxilia ſui vſus aſſeruarit.

Antiqui omnes de auicula, quæ regulus troglodites dicitur, verba fecerũt, ac docuerunt, eam in cineres redactam ſingulare eſſe calculi remediũ, nec non de vitro ac ſpongia calcinatis & in cineres aduſtis in eundem effectum loquuti ſunt. Pleriq; etiam recentiores Medici eiſdem ſpongiæ cinerib. vtuntur ex vino albo propinatis in curam broncoceles, toto vnius lunæ curriculo, quæ certiſſima experientia eſt.

Aetius *Tetr.1.ſer.2.* multa ac varia proponit auxilia, ab antiquis deſumpta, quibus illi calcinatis ac in cineres ſolutis vti vulgò ſolebant, quæ quidem arcanorum inſtar magni pretii commendatiſſima habebat, atque eius ſunt verba, quæ habentur *cap.156.* eiuſdem libri. *Aiunt*, inquit, *cornu cerui ſi poſt vſturam lauetur, dyſenteriam ac ſanguinis ſputũ & cœliacas affectiones ſanare: Ictericis quoq; vtiliter præbetur. Datur omnib. duorum cochlearium menſura.* Et cap.157. *Alii Suum vngues vrunt, & cinerem colicis in potu præbent. Aliqui Aſinorum vngulas vſtas comitialem morbum ſanare aiunt, ſi aſſiduè bibantur.*

Capite etiam 161. *Oſſa vſta*, inquit, *omnia diſcuſſoriam & ſiccatoriam vim habent. Quidam tamen de hominum oſſib. id maximè prædicant. Talum vtiq; ſuillum vſtum, deinde potum, inflationes ac tormina ſanare prodiderunt.* Et *noui ſanè ego quendam noſtrorum hominum, qui oſſa vſta potanda dabat, ignorantibus potantibus quid potarent, ne abominarentur. Atque ſic in multis & morbum comitialem & articularem curabat.*

Et cap.163. *Mergi ventrem terrefactum & ſali modico admixtum, crudis bonam coctionem facere credunt.*

Nec non cap.175. *Ceterum cinis cremati Cancri ſimiliter vt alia vſta ſiccat: verùm quadã totius ſubſtantiæ pro-*

prietate ad rabioſi canis morſum efficax eſt. Quin & formam calcinationis illorum quandam explicat, quam à præceptore ſuo didiciſſe ſe ſcribit. *Patinam*, inquit, *habebat is ex ære rubro, in quam viuos cancros miſſos vrebat, lignis vitis maximè ſubiectis, donec ad cinerem, vt commodè teri poſſent. Atque ſic habebat ſemper paratum Pharmacum.* Agnoſcat nunc Anonymus, num Chymici illi tunc fuerint, & quam ſedulò manum operi admouerint, vt ſibi ipſi ſua auxilia præpararent, ac deſinat credere, illos aliquid ſua maieſtate indignum exercuiſſe, quæratque alibi ſuæ deſidiæ, quam in illis operi perpetuò affixis, patrocinium. Non acceſſebant illi Pharmacopæos, qui vltrò citroque operi incumberent.

Redeamus ad noſtros cancrorum cineres, ac videamus, in quem vſum Præceptor ille Aetii reuocarit. *Ex eo verò*, inquit ille, *quotidiè à rabido cane commorſis dabat vsque ad quadrageſimum diem cochlearium ſatis amplum, in aquam inſpergens. Si autem non in principio, ſed poſt aliquot dies à morſu commorſi curam ſuſcipiebat, bina cochlearia quotidiè dabat, vt quadraginta dierum exhibitio expleretur.*

Tandem cap. 176. hæc ſcribit: *Locuſtæ teſtam vſtam ac tritam cum meraco bibendam dato, & alui inferum fluxum compeſcet. Expurgat eadem & calculoſos renes, multam arenoſam vrinam deducens.*

Quis iam aſſeret, calcinatorum & cinerum vſum antiquis fuiſſe inauditum, aut nequaquam in varios effectus familiarem eis fuiſſe? Etſi autem cinis omnis in genere, quatenus proprium ſuum ſalem in ſe continet, exſiccantis ac detergentis ſit poteſtatis: aliquam tamen apud ſe retinet eius rei, à qua extractus eſt, proprietatem.

Atque id ipſum eſt, quod *libro 7. de re Medica* docet Ægineta, τέφρα, inquit, *id eſt* cinis, *non omnis idem exactè*

actè temperamentum habet, ſed iuxta vſtæ materiæ differentiam euariat: Et acerborum quidem cinis, velut quercuum & ilicum, non modicam adſtrictionem habet, vt etiam ſanguinis eruptionem cohibeat, nullo alio præſente. At acrium cinis, velut fici & tithymali acrior eſt, & magis exterſorius.

Oribaſius *coll. lib. 15.* idem ſcribit: attamen vlterius progreditur. Apertè enim docet ſalis ex eiusmodi cineribus extractionem chymicam, ſic loquens: *Cinis* (inquit) *habet in ſe partim terreum, partim velut fuliginoſum, hæque partes tenues ſunt, & maceratis aqua cineribus & colo traiectis, ſimul abeunt. Quod verò reſtat terreum & infirmum & morſu vacans, efficitur calida vi in lixiuio depoſita.*

Atque ſic Oribaſius, actiui à paſſiuo & terreo, quod infirmum vocat, Chymici verò mortuam & damnatam terram, ſeparationem hanc vocant.

Quicquid peritiores noſtri huius ſeculi Chymici veterum calcinationibus ac incinerationibus rerum huiusmodi, ex quibus antiqui lixiuia excolabant, vt verba ipſa Oribaſii teſtantur, adiicere potuerunt, hoc vnum eſt, quod ex huiusmodi lixiuiis aquā totam educunt & exiccant: ac quod in imo ſubſidet ſal impurus, noua illius ſolutione per communem aquam, aut propriam ipſius aquam (quod vtique melius) ante rei incinerationem extillatam, vt totum defœcēt ac puriſſimum reddant inſtar cryſtalli. Multoties enim ipſum ſoluunt, filtrant, ac coagulant, non quidem ad extremam ſiccitatem, at eductis tantum illius aquæ duabus tertiis & ampliùs per alembici tubum, quem poſtea ab igne remouent, vt ſal in eo contentus & frigido loco expoſitus in cryſtallinos grumos, aut glaciales concreſcat: quod puriſſimus rei ſal verè eſt, quodque cochleari ligneo colligi & ſeparari debet. Si quæ reſtat aquea pars, denuò

exhalet,& vaſculum rurſus frigido aeri obiiciatur,noui inde grumi cryſtallini congelaſcent, qui rurſum ſeparandi erunt, ac toties operationes iſtas repetunt,dum nihil amplius in gelu aut glaciem poſſit concreſcere. Atque huiuſmodi glaciales grumi verum ſunt ſalinum principium, vitale ac admirandis virtutibus præditum. Quod quidem ſecum alia duo hypoſtatica principia in ſe concluſa non deſinit poſſidere. Etenim(vt de ſale marino diximus,& rem oculis ſubiecimus) ab ipſo mercuriale & ſulphureum principium, hoc dulce & vnctuoſum,illud acidum & æthereum, ab artifice educi adhuc poſſunt, fixiore rei parte,nempè ſalina in fundo reſidente.

CAP. XXIII.

Quo probatur calcinatione humidum primigenium in ſalibus non abſumi,at ipſas etiam formas in conſtanti vitalique illo principio deliteſcere.

HInc diſcet Anonymus,ignis vi & calcinatione non fuiſſe abſorptum humidum primigenium, quo eiuſmodi ſales abundè referti ſunt, vt iam docuimus, & fuſiùs adhuc demonſtraturi ſumus ac probaturi, validiores omnes tincturas ac impreſſiones, proprietatesque rerum, nec non potentiſſimas illarum qualitates ac poteſtates, quales ſunt ſapores, odores, colores, imò etiam formas ipſas, atque id genus alia, in illo firmo, conſtanti ac vitali principio concludi ac deliteſcere.

Cuius rei vt fidem faciam, aliquot demonſtrationes experientia à me ſepè confirmatas exhibebo. Vnam quidem, quàm crebrò poſt primum iſtius autorem ac inuentorem agitaui. Is enim hoſpitio meo exceptus

exceptus tale quid, quod mox enarraturus ſum, præſtitit. Alteram, quam à doctiſſimo & magni nominis viro Polono, apud Cracouienſes Medico, cuius nomen non citra deſiderium excidit, ante viginti ſex annos mutuatus ſum.

Is igitur vsq; adeò eleganter & Philoſophice apparare norat cinerem, ex omnibus plantæ cuiusuis partibus, idque cum omnibus tincturis ac impreſſionibus omnium plantæ partium, earumque vsque adeò ſcitè ſpiritus conſeruare, omnium facultatum autores, vt plures quàm triginta eiusmodi artificiosè ex cineribus paratas plantas, easque diuerſas haberet vaſculis ſuis vitreis contentas, Hermetico ſigillo obſignatis, quæ titulum plantæ ac proprietatis eius inſcriptum haberent, ita vt ſi quis rogaret, ſibi roſam ac calendulam demonſtrari, aut aliquid aliud, vtpote, papauer rubrum, album, aut variegatum, tunc cinerem illius plantæ arriperet, cuius ſpecimen eſſet editurus: vt ſi nempè roſam tibi monſtrari cuperes, vaſculum roſæ titulo inſignitum exhiberet, ex cuius vaſis fundo, lucernæ igni admoto, aliquantum incaleſcens, tenuiſſimus ac impalpabilis ille ciuis ex ſe apertam roſæ ſpeciem emitteret, quam ſenſim creſcere, vegetari, ac formam penitus, caulis, foliorum, tandemque geminæ floridæ roſæ, vmbram ac figuram exprimere, & tandem explicatiſſimam roſam producere, apertis oculis intueri liceret, vt nihil certiùs nec elegantiùs, quàm ex vmbratili illa roſa, apertiſſima roſa enucleari, ac conſpici poſſet, omnibus vsque quaque ſuis partibus abſoluta, vt planè corpoream diceres, quæ ſpirituali tantùm idea, reuera tamen ſpirituali eſſentia dotata ſeſe intuendam præberet, cui nihil aliud reſtaret, quàm congruæ terræ mandari, vt ſolidius corpus aſſumeret. Hæc autem vmbratilis figura, vaſe ab

igne remoto, rurſum in ſuos cineres relabebatur, ſuumque chaos euaneſcendo ſenſim repetebat. Quod quidem arcanum cùm ſummo ſtudio perſequerer, omnes intendi neruos, vt aliquo viciſſim reciproco arcano ipſum mihi comparando retaliarem, quod nunquam aſſequi potui. Idcircò cùm apud me ſepiùs meditarer, qua via ad ipſum perueniri poſſet, ne manus operi ſeriò admouerem, vt artificium tentarem, varia obſtiterunt impedimenta, partim ex aſſiduo principum Dominorum meorum comitatu, quibus inter bellorum procellas adeſſe volui, nec ab illis diſcedere licuit, partim quod & publicis negotiis diſtractus, & priuatis meis peregrinationibus ab hoc ſtudii munere interpellatus ſim, vt nullum adhuc oportunum tempus nactus fuerim, quò tam eleganti rei inſudare potuerim.

Quæ verò ſequitur demonſtratio, bona fide auſim affirmare eam eſſe certiſſimam, atque à me ſepius tentatam & expertam, quæque tanquam quid facilimum ab omnibus fieri poſſit.

Dominus de Luynes dictus de Formentieres, Conſiliarii munere in Principe Senatus Regii Prætorio olim defunctus, magnæ vir eruditionis ac nominis, nobilitatis genere clariſſimus, & de omnibus tùm publicè, tùm priuatim benè meritus, magno mihi animi ſtudio ac familiaritate coniunctus, qui indefeſſa diligentia, præſtantiſſimis naturæ arcanis, ac iis potiſſimùm, quæ ſanitati vel tuendæ, vel reſtituendæ conducunt, inuigilarat. Eiuſmodi enim remediis inquirendis ſedulò incubuit, quòd olim ex infirma, qua languebat, valetudine, quùm nullis remediis malum euincere potuiſſet, ac deploratæ ſalutis à Medicis indicaretur, vna tantùm tabella cuiuſdam electuarii Chymici magnæ virtutis, à Domina de la Noue nobiliſſima & pruden-

dentiſſima matrona ac heroiſſa adiutus, mirificè & breui conualuit, leni vomitu ab hoc medicamento omnem impuritatem tenacem ac viſcoſam inſtar ouorum albuminis, rotundam ac craſſitie magnitudineque hylo æqualem, variis infectam coloribus, quam quaſi motu preditam dixiſſes, ex ſtomacho & ventriculo eduxerit, vnde ingenti gaudio ſe planè integræ valetudini reſtitutum eſſe tunc exclamarit. Hinc deinceps magno flagrauit, non tantùm huius ſecreti addiſcendi ardore, cuius cognitionem facilè ab eadem nobili domina impetrauit, quam habebat affinem, ſuaque opera & conſilio in variis eius negotiis forenſibus regebat, ſed aliorum etiam non minùs egregiorum inueſtigationi incumbendi, quibus non tantùm apud ſe, & neceſſitate ita vrgente, vteretur, ſed ex charitate Chriſtiana, qua in proximum adducebatur, omnibus liberali ſubſidio eſſet.

Is igitur aliquando cùm apud me familiariter diuertiſſet, bellorum tempeſtatibus cum multis aliis Gallis exulans, animum ad ſalem ex vrticis extrahendum appellebat, vt inde diſſoluens cryſtalli remedium aduerſus calculum pararet. Hic quidem ſal lixiuio (quod concinnauerat ex cineribus vrticarum vſtarum, affundendo crebrò aquam calidam, & ſubinde multis vicibus traiiciendo; vt ſolent lixiuia à mulieribus fieri) commixtus, edidit ſuæ eſſentiæ lixiuio incluſæ ſpecimen hoc modo. Transfuſo lixiuio per filtrationem etiam crebram optimè defæcato, in vas terreum anguſtioris fundi & latioris aut capacioris oris, quam terrinam vocant: cumque aeri gelido trans feneſtras cubiculi prædictum vas expoſitum fuiſſet, ibique ſubſtitiſſet per noctem, concreuit in glaciem, per hyemale frigus. Aperta manè feneſtra, & luſtrato lixiuio, mera firmaque glacies illi apparuit, in qua mille

Quùm extrahuntur olea ex ſeminibus aniſi, fœniculi & aliorum id genus, aromatumque omnium, quùm ea temporis proceſſu exaruerint, aſſari aut torreri ampliùs non eſt neceſſe. At per ebullitionem aquæ olea in ea ſupernatantia facilè fuerit extrahere, quæ alioqui per vulgares decoctiones, ſpirituum vires, quos in ſuo primigenio humido continent, opportuno & congruo vaſe non concluſa, amittunt, & in auras ac fumos diſpergunt. Vaſis enim apti beneficio retinetur humidum primigenium citra vllam iacturam, in quo ſpiritus efficaces delitescunt.

Hinc igitur diſcant omnes, hanc eſſe vnicam cauſam qua in noſtra dogmatica Pharmacopæa, apozematum aut decoctionum, iulepis ac ſyrupis concinnandis inſeruientium, formam & artificium reſtituimus: ne quid ex ſimplicibus medicamentis virium depereat, vt vulgò aſſolet fieri, ſed integra virtus, ſola vtilis, conſeruetur. Quorſum igitur pluribus oſtrepat Anonymus, & damnatis diſtillationibus, in vacuis ſuis decoctionibus animam rerum quærat? Cuius errorem, vt experientia agnoſcat, decoquat ipſe lib. 1. ſeminis aniſi in lib. 6. aquæ vulgaris ſuo modo: Ego verò idem pondus etiã aſſumam: Ille autem ſuam traiiciat, tranſcolet, & prout libuerit præparet decoctionem, videbit ne guttulam quidem olei concipi, in quo tamen oleo tota aniſi virtus poſita eſt: certe nihil olei in eo decocto deprehendet, quòd omnis facultas cum eo in auras aperto vaſe euolarit: nec quicquam in decoctione ſua ſeruatum percipiat, quàm odorem quendam aniſi leuiſſimum. Cum contra ego artificio noſtro poſſim vncias olei duas prolicere, quòd ad guſtum ſapore aniſi planè dulcedinem referat, eamque gratiſſimam, ſi dulce fuerit aniſum: cuius guttula multis aquæ vnciis admixta, aut alii liquori, eum prorſus ſapore ſuo imbuat,

viresq;

viresque magnas impertiat. Quin & ipſa aqua, quæ iam elicito ac ſeparato oleo ſubſidet & reſtat, etiamſi ſex librarum loco duodecim libras infuderis, plus odoris, ſaporis & virtutis retineat, aptiorque concinnandis apozematis, aut ſyrupis, gratiorq; palato vulgaribus iſtis decoctionibus, ac validior fuerit. Nec tantùm de aniſo hoc fieri certũ habeo. At ex omnibus aliis ſeminib. calidis ſua virtus, odor & ſapor ſic elici poſſunt, nec non ex herbis ac florib. odoratis, ex quib. etiam ſyrupi longè acceptiores ac maiorũ viriũ parari poſſunt. Libẽter paululùm ab inſtituto digreſſi ſumus, vt aliquod ſemper in iuniorum gratiam φιλομαθῶν, artificii documentum ac experientiam imitandam proponamus, vtq; ſimul maturè diſcant ab erroribus Anonymi noſtri recedere, qui Graculi inſtar ex capſula ſua nihil, quàm de rebus ſibi garrit incognitis.

Fœces, quæ poſt liquorum primigeniorũ ac oleorum extractionem remanent, quas ſedulo verus Chymicus ſibi aſſeruat, ab eo in calces ac cineres vi ignis rediguntur, ex quibus tertium illud principium admodum vitale, ſalem nempe, prolicit, admirandas adhuc in ſe continentem eſſentias: liquorem nimirum mercurialem & ſulphur quoddam oleoſum, aut oleum ſulphureum: nec non alium ſalem igneum longè efficatiorem, ac promptioris vt ita loquar actiuitatis, maioriſq; potentiæ, quàm qui iam fuerit extractus. Quem ſatis conſtat, quum tantæ ſit virtutis, nec vitali ſuo principio carere, nec humido primigenio vlla calcinatione ſpoliatum fuiſſe, vt ſentit Anonymus: quo ſi eſſet exutus, vnde tantæ attenuandi, incidendi, reſerandi, extergendi, laxandi ſudores, vrinas prouocandi vires prodirent, quæ in eo tanquam in vniuerſali lixiuio deliteſcunt? vt hac ratione corpus humanum omnibus propè morbis liberet, tanquam catholicum remedium, ſi

P aptè,

aptè, congruè & ex arte is ab experto & perito Medico adminiſtretur.

CAP. XXII.

Salium ex rebus omnibus extractiones & calcinationes ac incinerationes chymicas Antiquis etiam fuiſſe cognitas, & in medendo vſurpatas, contra Anonymi de hac re erroneam opinionem, qua ſales omnes Chymicos cauſticos dicit, ideoque damnat.

DE ſalibus ac eorum virtutibus, proprietatibusque, fuſiùs ac particulatim de ſingulis in Pharmacopœa noſtra diſſerimus, de quib. etiam hoc tractatu ſuprà aliquid attigimus, quo fiet, vt hoc argumentum longiùs hic non protrahamus, quùm abundè Anonymus noſter hinc doceri poſſit, quàm malè hallucinetur, & quàm inſulsè, in ſua Apologia, ſales Chymicos obterat, ac nihili faciat, cùm non ſit prudentis viri, citra cognitionem ac certam ſcientiam aliquid effutire aut reprehendere, imò quùm ſe dogmaticum profiteatur, dogmata ipſa celebriorum Medicorum, ab antiquo etiam æuo, explodat, ac aſſationes, calcinationesque illorum prorſus reiiciat.

Similibus noſtris calcinationibus veteres vſos eſſe, Oribaſius *med. collect. lib. 13.* apertè ſatis probat, cùm de calcinatione tartari, fæcumque aceti in olla, argilla incruſtata, verba facit. Dicit enim rem calcinandam in olla luto munita eſſe collocandam, tamdiuque ibi eſſe aſſandam, dum colorem album acquirat. Quod idem Alchimicè docet eſſe faciendum, initio ipſius & eiuſdem libri.

Vidimus ſuprà quid ſcripſerit Plinius ſecundus de auibus & animalibus in cineres redactis, vtq; eiuſmodi remedia

remedia inter ſingularia ac familiaria auxilia ſui vſus aſſeruarit.

Antiqui omnes de auicula, quæ regulus troglodites dicitur, verba fecerũt, ac docuerunt, eam in cineres redactam ſingulare eſſe calculi remediũ, nec non de vitro ac ſpongia calcinatis & in cineres aduſtis in eundem effectum loquuti ſunt. Pleriq; etiam recentiores Medici eiſdem ſpongiæ cinerib. vtuntur ex vino albo propinatis in curam broncoceles, toto vnius lunæ curriculo, quæ certiſſima experientia eſt.

Aetius *Tetr.1.ſer.2.* multa ac varia proponit auxilia, ab antiquis deſumpta, quibus illi calcinatis ac in cineres ſolutis vti vulgò ſolebant, quæ quidem arcanorum inſtar magni pretii commendatiſſima habebat, atque eius ſunt verba, quæ habentur *cap. 156.* eiuſdem libri. *Aiunt,* inquit, *cornu cerui, ſi poſt vſturam lauetur, dyſenteriam ac ſanguinis ſputũ & cœliacas affectiones ſanare: Ictericis quoq; vtiliter præbetur. Datur omnib. duorum cochlearium menſura.* Et cap. 157. *Alii Suum vngues vrunt, & cinerem colicis in potu præbent. Aliqui Aſinorum vngulas vſtas comitialem morbum ſanare aiunt, ſi aſſiduè bibantur.*

Capite etiam 161. *Oſſa vſta,* inquit, *omnia diſcuſſoriam & ſiccatoriam vim habent. Quidam tamen de hominum oſſib. id maximè prædicant. Talum vtiq; ſuillum vſtum, deinde potum, inflationes ac tormina ſanare prodiderunt.* Et *noui ſanè ego quendam noſtrorum hominum, qui oſſa vſta potanda dabat, ignorantibus potantibus quid potarent, ne abominarentur. Atque ſic in multis & morbum comitialem & articularem curabat.*

Et cap. 163. *Mergi ventrem terrefactum & ſali modico admixtum, crudis bonam coctionem facere credunt.*

Nec non cap. 175. *Ceterum cinis cremati Cancri ſimiliter vt alia vſta ſiccat; verùm quadã totius ſubſtantiæ pro-*

prietate ad rabioſi canis morſum efficax eſt. Quin & formam calcinationis illorum quandam explicat, quam à præceptore ſuo didiciſſe ſe ſcribit. *Patinam*, inquit, *habebat is ex ære rubro, in quam viuos cancros miſſos vrebat, lignis vitis maximè ſubiectis, donec ad cinerem, vt commodè teri poſſent. Atque ſic habebat ſemper paratum Pharmacum.* Agnoſcat nunc Anonymus, num Chymici illi tunc fuerint, & quàm ſedulò manum operi admouerint, vt ſibi ipſi ſua auxilia præpararent, ac deſinat credere, illos aliquid ſua maieſtate indignum exercuiſſe, quæratque alibi ſuæ deſidiæ, quam in illis operi perpetuò affixis, patrocinium. Non accerſebant illi Pharmacopæos, qui vltrò citroque operi incumberent.

Redeamus ad noſtros cancrorum cineres, ac videamus, in quem vſum Præceptor ille Aetii reuocarit. *Ex eo verò*, inquit ille, *quotidiè à rabido cane commorſis dabat vsque ad quadrageſimum diem cochlearium ſatis amplum, in aquam inſpergens. Si autem non in principio, ſed poſt aliquot dies à morſu commorſi curam ſuſcipiebat, bina cochlearia quotidiè dabat, vt quadraginta dierum exhibitio expleretur.*

Tandem cap. 176. hæc ſcribit: *Locuſtæ teſtam vſtam ac tritam cum meraco bibendam dato, & alui inferum fluxum compeſcet. Expurgat eadem & calculoſos renes, multam arenoſam vrinam deducens.*

Quis iam aſſeret, calcinatorum & cinerum vſum antiquis fuiſſe inauditum, aut nequaquam in varios effectus familiarem eis fuiſſe? Etſi autem cinis omnis in genere, quatenus proprium ſuum ſalem in ſe continet, exſiccantis ac detergentis ſit poteſtatis: aliquam tamen apud ſe retinet eius rei, à qua extractus eſt, proprietatem.

Atque id ipſum eſt, quod *libro 7. de re Medica* docet Ægineta, *τέφρα*, inquit, *id eſt* cinis, *non omnis idem ex-*

acta

actè temperamentum habet, ſed iuxta vſtæ materiæ differentiam euariat: Et acerborum quidem cinis, velut quercuum & ilicum, non modicam adſtrictionem habet, vt etiam ſanguinis eruptionem cohibeat, nullo alio præſente. At acrium cinis, velut fici & tithymali acrior eſt, & magis exterſorius.

Oribaſius *coll. lib. 15.* idem ſcribit: attamen vlterius progreditur. Apertè enim docet ſalis ex eiuſmodi cineribus extractionem chymicam, ſic loquens: *Cinis (*inquit*) habet inſe partim terreum, partim velut fuliginoſum, hæque partes tenues ſunt, & maceratis aqua cineribus & colo traiectis, ſimul abeunt. Quod verò reſtat terreum & infirmum & morſu vacans, efficitur calida vi in lixiuio depoſita.*

Atque ſic Oribaſius, actiui à paſſiuo & terreo, quod infirmum vocat, Chymici verò mortuam & damnatam terram, ſeparationem hanc vocant.

Quicquid peritiores noſtri huius ſeculi Chymici veterum calcinationibus ac incinerationibus rerum huiusmodi, ex quibus antiqui lixiuia excolabant, vt verba ipſa Oribaſii teſtantur, adiicere potuerunt, hoc vnum eſt, quod ex huiusmodi lixiuiis aquā totam educunt & exiccant: ac quod in imo ſubſidet ſal impurus, noua illius ſolutione per communem aquam, aut propriam ipſius aquam (quod vtrique melius) ante rei incinerationem extillatam, vt totum defœcēt ac puriſſimum reddant inſtar cryſtalli. Multoties enim ipſum ſoluunt, filtrant, ac coagulant, non quidem ad extremam ſiccitatem, at eductis tantum illius aquæ duabus tertiis & ampliùs per alembîci tubum, quem poſtea ab igne remouent, vt ſal in eo contentus & frigido loco expoſitus in cryſtallinos grumos, aut glaciales concreſcat: quod puriſſimus rei ſal verè eſt, quodque cochleari ligneo colligi & ſeparari debet. Si quæ reſtat aquea pars, denuò

 exhalet,

exhalet,& vaſculum rurſus frigido aeri obiiciatur,noui inde grumi cryſtallini congelaſcent, qui rurſum ſeparandi erunt, ac toties operationes iſtas repetunt,dum nihil amplius in gelu aut glaciem poſſit concreſcere. Atque huiuſmodi glaciales grumi verum ſunt ſalinum principium, vitale ac admirandis virtutibus præditum. Quod quidem ſecum alia duo hypoſtatica principia in ſe concluſa non deſinit poſſidere.Etenim(vt de ſale marino diximus,& rem oculis ſubiecimus) ab ipſo mercuriale & ſulphureum principium, hoc dulce & vnctuoſum,illud acidum & æthereum, ab artifice educi adhuc poſſunt, fixiore rei parte, nempè ſalina in fundo reſidente.

CAP. XXIII.

Quo probatur calcinatione humidum primigenium in ſalibus non abſumi,at ipſas etiam formas in conſtanti vitalique illo principio deliteſcere.

HInc diſcet Anonymus,ignis vi & calcinatione non fuiſſe abſorptum humidum primigenium, quo eiuſmodi ſales abundè referti ſunt, vt iam docuimus, & fuſiùs adhuc demonſtraturi ſumus ac probaturi, validiores omnes tincturas ac impreſſiones, proprietatesque rerum, nec non potentiſſimas illarum qualitates ac poteſtates, quales ſunt ſapores, odores, collores, imò etiam formas ipſas, atque id genus alia, in illo firmo, conſtanti ac vitali principio concludi ac deliteſcere.

Cuius rei vt fidem faciam, aliquot demonſtrationes experientia à me ſepè confirmatas exhibebo. Vnam quidem, quàm crebrò poſt primum iſtius autorem ac inuentorem agitaui. Is enim hoſpitio meo exceptus

exceptus tale quid, quod mox enarraturus ſum, præſtitit. Alteram, quam à doctiſſimo & magni nominis viro Polono, apud Cracouienſés Medico, cuius nomen non citra deſiderium excidit, ante viginti ſex annos mutuatus ſum.

Is igitur vsq; adeò eleganter & Philoſophice apparare norat cinerem, ex omnibus plantæ cuiusuis partibus, idque cum omnibus tincturis ac impreſſionibus omnium plantæ partium, earumque vsque adeò ſcitè ſpiritus conſeruare, omnium facultatum autores, vt plures quàm triginta eiusmodi artificiosè ex cineribus paratas plantas, easque diuerſas haberet vaſculis ſuis vitreis contentas, Hermetico ſigillo obſignatis, quæ titulum plantæ ac proprietatis eius inſcriptum haberent, ita vt ſi quis rogaret, ſibi roſam ac calendulam demonſtrari, aut aliquid aliud, vtpote, papauer rubrum, album, aut variegatum, tunc cinerem illius plantæ arriperet, cuius ſpecimen eſſet editurus: vt ſi nempè roſam tibi monſtrari cuperes, vaſculum roſæ titulo inſignitum exhiberet, ex cuius vaſis fundo, lucernæ igni admoto, aliquantum incaleſcens, tenuiſſimus ac impalpabilis ille cinis ex ſe apertam roſæ ſpeciem emitteret, quam ſenſim creſcere, vegetari, ac formam penitus, caulis, foliorum, tandemque geminæ floridæ roſæ, vmbram ac figuram exprimere, & tandem explicatiſſimam roſam producere, apertis oculis intueri liceret, vt nihil certiùs nec elegantiùs, quàm ex vmbratili illa roſa, apertiſſima roſa enucleari, ac conſpici poſſet, omnibus vsque quaque ſuis partibus abſoluta, vt planè corpoream diceres, quæ ſpirituali tantùm idea, reuera tamen ſpirituali eſſentia dotata ſeſe intuendam præberet, cui nihil aliud reſtaret, quàm congruæ terræ mandari, vt ſolidius corpus aſſumeret. Hæc autem vmbratilis figura, vaſe ab

dentiſſima matrona ac heroiſſa adiutus, mirificè & breui conualuit, leni vomitu ab hoc medicamento omnem impuritatem tenacem ac viſcoſam inſtar ouorum albuminis, rotundam ac craſſitie magnitudineque hylo æqualem, variis infectam coloribus, quam quaſi morti preditam dixiſſes, ex ſtomacho & ventriculo eduxerit, vnde ingenti gaudio ſe planè integræ valetudini reſtitutum eſſe tunc exclamarit. Hinc deinceps magno flagrauit, non tantùm huius ſecreti addiſcendi ardore, cuius cognitionem facilè ab eadem nobili domina impetrauit, quam habebat affinem, ſuaque opera & conſilio in variis eius negotiis forenſibus regebat, ſed aliorum etiam non minùs egregiorum inueſtigationi incumbendi, quibus non tantùm apud ſe, & neceſſitate ita vrgente, vteretur, ſed ex charitate Chriſtiana, qua in proximum adducebatur, omnibus liberali ſubſidio eſſet.

Is igitur aliquando cùm apud me familiariter diuertiſſet, bellorum tempeſtatibus cum multis aliis Gallis exulans, animum ad ſalem ex vrticis extrahendum appellebat, vt inde diſſoluens cryſtalli remedium aduerſus calculum pararet. Hic quidem ſal lixiuio (quod concinnauerat ex cineribus vrticarum vſtarum, affundendo crebrò aquam calidam, & ſubinde multis vicibus traiiciendo; vt ſolent lixiuia à mulieribus fieri) commixtus, edidit ſuæ eſſentiæ lixiuio incluſæ ſpecimen hoc modo. Transfuſo lixiuio per filtrationem etiam crebram optimè defæcato, in vas terreum anguſtioris fundi & latioris aut capacioris oris, quam terrinam vocant: cumque aeri gelido trans feneſtras cubiculi prædictum vas expoſitum fuiſſet, ibique ſubſtitiſſet per noctem, concreuit in glaciem, per hyemale frigus. Aperta manè feneſtra, & luſtrato lixiuio, mera firmaque glacies illi apparuit, in qua mille

P 5 vrti-

vrticarum formæ, radicibus, caudice, foliis, ac locuſtis conſtantes, ſeſe conſpiciendas mira elegantia præbuerunt, vt nihil elegantius, nec perfectius, vtpote planta, omnibus ſuis numeris abſoluta, ac diſtincta membris & partibus, ſuſpici potuiſſet: omnibus eam intuentibus, vrticas eſſe certiſſimè agnoſcentibus. Cum igitur hoc animaduertiſſet vir nobilis, tanquam miraculum ſuſpiciens, ad me ociùs aduolat, hisque compellat verbis, ad imitationem Archimedis. Inueni, exclamat, veni, vide. Vbi acceſſi ad eius ergaſterium, arripui glaciem, eius fragmentum ſeparaui ſatis grande, quod ita aptè à me diſpoſitũ, ne liqueſceret calore manus, ad varios magni nominis viros & fide digniſſimos, qui tunc eandem vrbem nobiſcum habitabant, & adhuc ſuperſtites ibi ſedem & domicilium fixerunt, comportaui. Qui ſinguli, vt glaciem conſpexerunt, vrticas eſſe conclamarunt, nec minùs quàm ego rem vsque adeò incredibilem, ac eleganter portentoſam admirati ſunt, vnusquisq; cogitabundus meditabatur, quid rei iſtud eſſet, & vnde ac quomodo tàm elegans res in natura naſci poſſet, memoria repetentes omnes, quod in ſacris literis habetur: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris*, cogitantesque ſub cineribus eiusmodi rerum formas deliteſcere ac immorari, vnde reſurrectio noſtri corporis certiſſimè ſit expectanda. Illud ipſum iam notaui, quaſi ſupra fidem omnem miraculum libro ſecundo magni mei ſpeculi Mundi, his verſibus.

I'ay beaucoup de teſmoins encore pleins de vie
Qui les formes ont veu de mainte & mainte ortie
Dans le ſalé lexif de leur cendre eſcoulé
Lexif, qui par le froid s'eſtant vn iour gelé
Sur ceſte glace d'eau tellement repreſente

Racines

Racines feuilles,tige & fleurs de ceſte plante
Que l' œil diſcerne tout la recognoiſt ſoudain
La bouche auſſi la nomme,il n'y a que la main
Deceuë en ne ſentant quand elle la vient prendre
Des cuiſantes fourmis luy poindre la peau tendre:
Ie n' en ſuis point l' autheur,mon Deluynes c' eſt toy
Qui trouuas ce ſecret eſtant logé chez moy,
Secret dont on comprend que quoy que le corps meure
Les formes ſont pourtant aux cendres leur demeure.

Hoc vtique elegans experimentũ ſepiùs à me poſtea arte repetitum reuocat mihi in memoriam eam quoque hiſtoriam, quam de Polono illo Medico commemoraui, quam à me viſam omnibus ingenii viribus, rimari, meditari, ac imitari contendi, ac primùm rationes omnes, quibus tàm elegans operatio abſolui poſſet, ac quid eſſet, quod ita roſam, aut aliam plantam tàm perfectè & ad viuum cum omnibus ſuis coloribus vno momento per leuem calorem effigiaret, variis modis apud me agitare ac expendere cœpi.

Sed inter cogitandum, ac in operationibus aliis laborandum, animaduerti, formam quidem aut figuram rei in ſale ſuo citra vllum colorẽ incluſam eſſe, nec alios colores in aqua, quã aqueos, hoc eſt albos, poſſe ac debere exhiberi. Præterea quod vrticæ in illa glacie omni deſtitutæ eſſent colore, prẹterquam aqueo aut albo, cogitabam eam eſſe cauſam, quòd nempè ex aſſatione ac calcinatione earum in aprico ſpiritus ætherei ac mercuriales, halituoſique & ſulphurei, exhalent & euaneſcant, à quibus colores promanant, vt ſuprà oſtendimus exemplo à ſale nitri petito, qui etſi albus ſit aſpectu, alembico tamen operto exceptus, & igne arenæ compulſus, vt figatur, non deſinit volatiles ſuos ſpiritus trans corpus, etiam compactiſſimum alembici traiicere, ſexcentis coloribus variè diſtinctos, & exter-

næ vaſis

næ vaſis ſuperficiei farinæ volatilis inſtar adhærentes. Cùm igitur eiusmodi varii colores in ſale petræ (qui terræ eſt ſal pinguis) deliteſcant & incluſi ſint, non dubium eſt in aliis quoque rebus omnibus eiusmodi nitroſos ſales contineri, qui ſuos quoque colores proprios ex terræ potentia hauſtos in ſe contineant, quos opportunè & ex artis ſolertia explicent.

Sic igitur animo ſepè volui ac reuolui, & apud me attenta meditatione eiusmodi rationes agitaui, ac philoſophatus ſum, cuius rei periculum facere in animo habebam. Decreueram enim integrum ſimplex, in ſummo ſuo vigore exiſtens, quod mihi tentandum, & experientia examinandum ſumpturus eram, verno tempore colligere omni tum ſuo virore, floribus ac poteſtatibus luxurians, hauſtisq; tùm ex terra per radices, & abundè exuctis ſuccis, ac tincturarum vitalium impreſſionibus, proprietatibusque, quæ in ſpiritibus ſalium naturæ concluduntur: Integrum inquam eiusmodi ſimplex ſuis radicibus, caule, foliis, flore ſtatueram contundere in marmoreo mortario, atque ſic in chaos, confuſamque molem redigere, quam vitreo vaſe, Hermeticè clauſo, includerem, eamq; materiam digerendam, macerandam, ac fermentandam ad idoneum tempus exponerem, ex qua poſtea tria illa principia educerem ac ſepararem, eo quem diximus modo, omni diligentia ſpiritus conſeruans, & ex ſuis mercurialibus ac ſulphureis liquoribus actiuis elementarem aquam paſſiuam ſecernens, qua ad extrahendum ex fæcibus aridis ac philoſophicè aſſatis ac calcinatis ſalem, ad cryſtalli puritatem adductum, qui candidiſſimus eſt cinis ac viuaciſſimus; huic ſali deinceps paulatim ac guttatim liquorem ſuum mercurialem redderem, quem ab eo extillarem, vt cum ſale fixo, armoniacum volatilem, qui in eo liquore eſt incluſus,

& à

& à quo vim omnem ſuam liquor mutuatur, coniungerem, quem ſolum obſeruandum ſuſciperem, à ſale ſuo fixo detentum & abſorptum; ſic enim natura naturam amplectitur, & ſimile gaudet ſimili, vt ſal ſale. His abſolutis, hoc eſt, talibus iſtis ſimul rurſum vnitis, denuò paulatim ac ſenſim ſulphuream eſſentiam adderem, quam in terram foliatam reducerem, ſimpliciſſimam nempè eſſentiam, & omnibus ſuis tincturis vitalibus, ac proprietatibus inſtructam. Sed cùm hactenus, vt ſupra dixi, defuerit mihi operandi otium, nondum attigi certam iſtius tam nobilis arcani experientiam, cuius cùm dabitur occaſio, iuuante Deo, periculum faciam. Cum enim in rerum natura ſit, & re ipſa confectum fuerit, non dubium eſt, quin iterum abſolui poſſit ab aliis ſolertibus artificibus, qualis ille fuit, qui mihi conſpectus eſt. Nec puto commodiorem aliam eò perueniendi viam ſterni poſſe ea, quam propoſuimus, & quæ omnibus trita eſt ac familiaris verè philoſophantibus. Hac enim ratione quælibet res elaborata virtutes ſummè efficaces & actiuas, vitaleſque ac firmiſſimas qualitates conſequitur.

Sed eruditior me aliquis, & in Philoſophia Chymica exercitatior, acutiùs poſſit rem iſtam intueri, & penitiùs artificium totum introſpicere. Cui etiam liceat, ſi maius nactus ſit otium, huius operationis periculum facere, & re ipſa artificii veritatem ac certitudinem comprobare. Quò ſi pertingere vlli contingat, ne ſibi ſoli arcanum ſeruet, ſaltem benè meritos homines hoc beneficio ſibi deuincere in perpetuum dignetur. Etſi enim res eſt aſpectu elegantior, ac iucundior, quàm vtilior: ſopitos tamen oculos & conniuentes, acutorum & doctorum hominum, ad maiora & vtiliora generi humano aggredienda vehementiùs excitabit: qui cæcos poſtea, & in inſcitia ſua deuios,

in re-

in rectam viam reuocent, ac maledicis inuidiſque hominibus altum ſilentium imponant. Qui etiam tanto beneficio deuincti Deo, eius laudes celebrent, ac aſſidua operum eius meditatione perpetuò ipſum colant, immortaleſque gratias habeant.

CAP. XXIV.

Quo docetur, rerum metallicarum ab Antiquis vſurpatarum & in antidotos adaptatarum, qualis fuerit vſus non tantùm extrinſecus morbis inductus, ſed intrinſecus etiam aſſumptus ac vſurpatus.

IN huius primæ partis noſtri opuſculi concluſionem operæ prætium eſt, Anonymi noſtri, qui vſque adeò aſpernatur & reſpuit auxiliorum metallicorum adminiſtrationem, oculis ſubiicere, quantus & quam pretioſus eorum apud antiquos fuerit vſus, quibuſue modis antidotos ſuas illi exornarunt ac locupletarunt, quas præ omnibus commendatiſſimas habuerunt, vt citra tamen præparationem ea metallica remedia vſurparent. Nihilominus negari non poteſt: quin vires maiores ea aſſequantur ac efficatiùs agant, ſi ſolertis Chymici induſtria declarata ac depurata, abiectis ſuperuacaneis fæcibus, noxis potiùs quàm vtilibus, in vſum ſic ritè præparata reuocentur.

Satis ſuperque dictum eſt anteà, ab iis, qui eiuſmodi remedia repudiant, aquas ſimul metallicas neceſſe eſſe expui ac damnari, quas tamen adhuc in deſperatis ac deploratis morbis, in quibus alia ſilent remedia, ab iis inuocari ac in vſum introduci quotidiè videmus. Quorſum enim ad thermas metallicas aut fontes minerales deſperatæ valetudinis ægros ablegant, ſi mineralium aut metallicorum auxiliorum vſum vſquè adeò

adeò reformidant? Hinc quàm parùm iudiciosè de iis diſſerant videre eſt: quàm inconſultè ac malignè ea auerſentur, quæ inſcitè poſtea admittunt, quàmque impudenter de ignotis ſecuram auſint ſententiam ferre.

De eiuſmodi autem metallicarum aquarum naturis, proprietatibus, virtutibus, eſſentiis ſalinis, mercurialibus, ſulphureis, fuſiorem tractationẽ in librum noſtrum de Recondita rerũ natura differemus, vbi & præcipuarum ac primarum totius Europæ ſcaturiginum, thermarum, lutorum, diſtinctionem ac veram virtutum illorum demonſtrationem ac declarationẽ, vſumque in varios morbos accuratè perſcribemus, vt omnibus inde liqueat, quàm benigna, liberalis ac profuſa ſit erga humanum genus natura in tot tamque præſtantium auxiliorum productione, quæ aduerſus etiam inuictiſſimos ac deploratiſſimos morbos cuiuſuis ſortis hominibus abundè elargitur ac ſuppeditat.

Hanc igitur liberalitatem naturæ, in metallicis diuitiis, ex quib. tot admirandi effectus prodeunt, vt exceperint antiqui, & quanta artis induſtria in concinnandis ſuis ex illis antidotis verſati in vſum humanum ea promouerint, nunc demum reſtat nobis dicere, atque ex hac demonſtratione Anonymi noſtri inſulſas opiniones eluere.

Ac primo loco Nicolai Myrepſi autoritatem citabimus, qui inter Græcos ex recentiſſimis eſt ſcriptoribus Actuario ætate poſterior, quem cum aliis ſuperioribus Græcis ſolet in ſuis ſcriptis, vt probatiſſimos autores ac teſtes, adferre, ex quibus quam plurimis, vt & ex antiquioribus Græcis, Arabibus ac Latinis, compoſitiones ac antidotos mutuatus ſit, vnde etiam inter vulgares Pharmacopœos, celeberrimus pharmaciæ excultor ac diſpenſator habitus eſt, ab omnibus

bus ſequentis æui Pharmacopolis præ ceteris in exemplar ſuarum compoſitionum idcircò repræſentatus, & in imitationem adductus, præſertim vbi ex Græco Latinus factus eſt, & infinitis mendis, quibus ſcatebat, à Leonardo Fuchſio, doctiſſimo ac celeberrimo inter Germanos Medico, repurgatus.

Primùm igitur in ea antidoto, quæ Aurea dicta eſt Alexandrina, ab ipſo Nicolao deſcripta lib. de Antid. ſect. 1. cap. 1. recenſentur metallica hæc, Sulphur, Aurum, Argentum, Sapphyrus, Smaragdus, Iaſpis.

In antidoto è Roſis, quam valere dicit aduerſus ſtomachi calorem, potiſſimum verò iecoris, lienis, pulmonis, omnem denique calidam totius corporis intemperiem: Quam item cardiacis & quibus nimium diſcutitur aut diſſoluitur corpus conducere ait, nec non ad omnem animi defectum ex calore ortum, inter cetera metallica recipiuntur hæc, Aurum, Iaſpis, Sulphur, & Cryſtallus. Quam quidem antidotum conſulere liceat deſcriptam cap. 96. eiuſdem libri de Antidotis Myrepſi.

Capite 111. idem Myrepſus deſcribit Antidotū, quam inſcribit *de lapide radiante*, qui lapis eſt Lazuli: quæ quidem antea ſub eodem titulo ab ipſo Meſue & tradita, & gemina ac germana ab ipſo tanquam legitimum fœtus agnita erat, in quam ingreditur etiam aurum. Quæ quidem antidotus aduerſus omnes melancholicos affectus ac cardiacos celebratiſſima eſt, nec non lapis Lazuli immiſcetur: qui etiam aliis noſtræ confectionis Alkermes ingredientibus, cum auro accenſebatur: niſi noſtris temporibus ab ea reliqua propemodum omnia alia ingredientia retinente aut ſaltem paucis immutatis, abſciſſus eſſet, & in locum eius kermes ſuffectus, vnde confectio Alkermes, non antidotus de lapide Lazuli, dici cœperit.

Ea verò antidotus Chryſippo vindicata, quæ capite 157. deſcribitur, dyſentericis ac cœliacis ſummè vtilis, lapidem hæmatitem, ſulphur viuum, alumen ſciſſile & vſtam calchytidem excipit.

Quin & antidotus, quæ Tryphera dicitur è ferro, frigiditati & humiditati ventriculi, atque inflammationi, nec non frigidis ac putridis humoribus è ventriculo, vniuerſoque corpore repurgandis conferens: ſtomomatis ferri lib. 1. admittat, quæ fere reliquorum ingredientium pondus, ex aromatibus adſtringentibus ac roborantibus conſtantium, quantitate ſuperat: cuius deſcriptio habetur capite. 221. eiuſdem libri.

In antidoto porrò Perſica vocata, multis ægritudinibus vtili, ſulphuris & arſenici, vel ſingulorum etiam drachmæ quinque immiſcentur, quod vix ego crediderim ab vllo Pharmacopola in exemplum trahi, vt audeat arſenicum, ſepticum ac virulentum pernicioſumque medicamentum, citra vllam præparationem, compoſitioni adiicere, etſi Dioſcorides eo nec non auripigmento etiam in quibuſdam morbis pectoris vtitur, & aliis etiam antidotis, vt ei quæ Muſæ Apolloni adiudicatur, ab ipſo Myrepſo cap. 303. in vſum hepaticorum, hydropicorum, nephriticorum, ac ægræ mingentium deſcriptæ, arſenicum adiungatur.

Antidotum quoque argyrophoram ob præſtantiam medicamenti ſic dictam, quòd non paruis ſumptibus, aut mediocri pecuniæ collatione comparetur, cap. 320. deſcriptam, & ab ipſo Myrepſo ad infinitos morbos ſummè laudatam, bitumen, aurum, Iaſpis & Sapphyrus ingrediuntur.

Præterea in antidoto cap. 330. explicata, quæ eclogæ nuncupatur, hoc eſt ſelecta, cenſentur alumen calchytis, pumex, miſy, bitumen Iudaicum, nec non etiam

Q con-

conchyliorum vſtorum ſquamæ: vt ſic perſpicuum ſit calcinata antiquis etiam fuiſſe in vſu probata & aſſumpta.

Quidam etiam ex optimis Mithridaticatum Antidotorum compoſitionibus, quæ cap.412. habentur imponuntur, ſulphur, nitrum & aduſtum plumbum.

Quin inſuper ea antidotus, quę epilepſiis, apoplexiis, maniacis affectibus & febribus quartanis propria eſt, quæq; è Zinzibere inſcribitur, intromittit lapidem Lazuli, lapidem Armenum, antimonium, & aurum: Antimonium inquam tam Anonymo noſtro illaudatum, ac exitiale, vel citra vllam etiam præparationem. Quæ tamen antidotus non deſinit eſſe in deliquiis animi aut cordis defectibus, maximè vtilis.

Liceat porrò videre apud ipſum Nicolaum Myrepſum, in Antidoto purgante de Cynamomo. cap. 506. deſcripta, vt Antiqui in ſuis ſoluentibus medicamentis tartaro etiam crudo, & ſimpliciter in puluerem redacto, aliis vi purgandi præditis admixto, locum dederint. Idem quoque conſpicitur in Antidoto ex myrobalano cap. 510. tradita.

Si veteres illi Medici crudis eiuſmodi medicamentis, noxiis potiùs quàm vtilibus, vtentes commendantur ac laudantur, cur nos tanto artificio tamque ſalubri præparatione eorum virus infringentes, ac innoxia prorſus, imo ſummæ efficaciæ ac vtilitatis ea reddentes, vt qui (exempli gratia) loco crudi tartari cryſtallos, aut cremorem eius, ..lius aquæ ebullitione extractum, diaſennæ noſtro, & ſoluentibus aliis medicamentis ad veterum illorum imitationem, nec non etiam recentiorum celebriorum, qualis eſt Montagnana, admiſcemus, tanto deſpicatui ac odio iniuſtè habeamur, & ab imperito iſto Anonymo, duobusque aut tribus aliis ſtupidiſſimi & hebetis ingenii hominibus, ſummè inuidis,

uidis,ac mihi priuatim capitali odio infeſtiſſimis, nouitatis impudentiſſimè inſimulemur?

Exclament quantum velint, vel ad raucedinem vsq; tollantur, crucifigantur, eliminentur ac extreminentur eiuſmodi Chymici homines, noſque vt anthropoctonas execrentur, quòd in vſum ſulphuris florum (tantæ elegantiæ ac vtilitatis) præparationem à nobis vſurpari perceperint. Quid aliud quam canum more vt lunę, ſic eruditioni Chymicorum, quam aſſequi nequeunt, prę inuidia rabioſæ allatrent? Quid enim ſulphuris floribus præſtantius aduerſus inueteratas tuſſes? Quid mercuriali illius aciditate, aut vitriolato liquore acidulo, naturæ aliarum eius partium aut proprietatũ diſſimulis, in eo præſertim, quod numquam flammã concipiat (quod ſulphuris maximè proprium eſt, vt iam alibi diximus) at potiùs à conflagratione puluerem bombardicum arceat, in variis ægritudinibus & vtilius & efficacius dici aut exigi poteſt? Quàm feliciter enim is à nobis indies variè ægrotantib. exhibeatur, infinitis nobis experientiis compertũ eſt, vt nulla non etiam febris hoc tam nobili remedio iugulari, nullus non ardor ac incendium corporis extingui poſſit.

Vt hinc quàm imperitè ac iniquè Anonymus iſte nobis conuitietur, calumnietur, & inſultet, quaſi ignem igne, & incendium incendio augentibus, abundè liqueat. Hinc imperitia illius eluceſcit quòd citra vllam veræ viuæque ſulphuris anatomiæ cognitionem ac rationem nos damnet, eò quòd cortices tantum rerum oculis eradat, interiores verò medullas nulla animi ſolertia rimari poſſit, non ſatis edoctus, quod occultum eſt in receſſu cuiuſuis rei, illud eſſe prorſus contrariũ manifeſto, vt hinc liceat arguere, quantò faciliùs exteriora ſulphuris ardeant, interna eius viſcera, hoc eſt occultam quandam eſſentiam in illo latentem, quæ

arte tamen ſagaciter extrahi poteſt, omnibus ardoribus ac incendiis reluctari, eiusque viribus illa emori ac extingui. Nec quicquam facit inepta illius ratio, qua aſſerit, ſulphur pinguedinē eſſe terream concipiendæ flammæ idoneam, & igneæ eſſe proprietatis, cum ea ſua mole cadat, nullisq; fulcris muniatur, imo iisdem Medicorum Arabum axiomatibus infringatur, ac deſtruatur, quibus camphoram volunt eſſe frigidam, quæ tamen flammam facilè concipiat, eoque etiam ardentiùs excandeſcat ac promptiùs incendatur, vt hinc ſibi non ſatis conſtare Anonymum, ſed in varias incertasque ſententias diſtrahi illum apertè liqueat.

Sed iamiam excutiamus, quomodo Antiqui viuo ſulphure, ac citra vllam præparationem, in ſuis remediis vſi ſunt. Oſtendimus iam id plus ſatis ex ſuperioribus antidotis, quibus metallica excipiuntur ex veterum arte, quibus etiam conceſſus eſt locus in plusquàm viginti aliis compoſitionibus, quæ hoc nomine quàm maximè commendantur, & aduerſus varios affectus celebrantur, inter quas & ſequentes addemus ad maiorem veritatis fidem, Antidotum nempè Symphonos dictam, quòd conuenienti efficacia prædita ſit ad curandos affectus, quibus dicata eſt, congruit enim tuſſibus, & tabidis opitulatur. Hanc deſcribit Galenus lib. 7. de compoſitione medic. local. cap. 2. quam crudis huiusmodi ingredientibus veteres concinnarunt.

Addemus & antidotum de Baccis lauri, nec non innumeras alias adiiceremus, niſi ſatius eſſet Lectores ad deſcriptiones earum, ab eodem Myrepſo accuratè traditas, relegari, quas peruidere omnibus liceat.

Quin & compoſitiones extant atque antidoti, diſertè ex eiusmodi ingredientibus præſcriptæ, quæ vel ipſorum nominibus inſigniantur, qualis eſt antidotus de ſulphure & oxopyretos capit. 158. & 159. ab ipſo Myrepſo traditæ.

traditæ, quas idem conferre ſcribit ad tuſſes diuturnas, tertianas & quartanas febres, nec non omnes internos dolores inteſtinorum, coli inflammationes & ſtomachi, & comitiales affectus. Vnde conſtat ſulphur ab Antiquis in remediis tanquam etiam eorum baſim vſurpatum, non tantùm aduerſus quartanas febres, ſed tertianas etiam ab humore calidiſſimo, ſulphureo atq; igneo, originem ducentes.

Quid ad hæc obganniet Anonymus, qui tam clamosè in metallica remedia tanquam exitialia ac lethifera inſurgit? An ſic eum ab Antiquorum fide & medicaReligione totum pendere, vt ementitur, æquum fuerit credere? An veræ videri poſſint eius calumniæ, quibus tanquam nouitatis ab vno Paracelſo inuectæ, nos eius diſcipulos, vt vult, inſimulat ac criminatur, cùm ab antiquis prius excogitata ſint ac vſurpata in vſum, tantique facta remedia.

Vt tandem concludamus, & de noſtris ſcriptis modeſti ac æqui Lectores aliquid vtilitatis reportent, auſim illis ſecurè promittere, & fidem facere, vt ex ſex aut ſeptem eiuſmodi metallicis Chymica arte elaboratis, poſſe vsque adeò exquiſita auxilia educi, qualia ſunt præparantia, & purgantia omnis generis, incidentia, alterantia, corrigentia, attenuantia, corroborantia, & id genus alia, quæ omnium morborum omnibus indicationibus ſatis eſſe poſſint, ex quibus etiam nullum non corporis ex humoribus incendium, ſiue internum, ſiue externum, extingui queat, omnis etiam generis dolores ſedari poſſint.

Quod Iunioribus Medicis erit vtiliſſimum, ſummopere notandum, quò ſolertibus præparationibus inſudent ac animum maturè appellant, vt tandem inſtauratio veræ Medicinæ ac geminorum remediorum, veræque ac ſyncer æ præparationes enaſcantur & in vſum

reuocentur. Quam quidem prouinciam pro virili parte ſuſcepimus, ſperamusque fore, vt Deo fauente, in noſtra reſtituta dogmaticorum Pharmacopæa, cuius iam initia euulgata ſunt, aliqua ex parte, ſi non integrè, ſcopum collimando attingamus, & poſteros, quæ ſequenda ſit via recto tramite, doceamus.

Addemus & hoc, ſubſtantias nempè metallicas, ex quibus præcipua illa remedia, de quibus loquimur, extrahuntur, queque breui, vt ſpero, publica ſum facturus, idque fuſè pro loci & temporis opportunitate in ſpagyrica noſtra Pharmacopęa aucta ac locupletata, has eſſe, aurum videlicet & argentum inter metalla perfecta, vitriolum inter ſales, atq; inter ſpiritus ſemimetallicos, antimonium, ſulphur & mercurium. Ex quibus etſi vulgaribus hominibus, vt Anonymo noſtro, venenata & exitialia eſſe imperitè iudicantur, ac damnantur, ſuo tamen loco quanta ex eis arcana & præſtantiſſima auxilia eruantur, re ipſa ac luculenta experientia demonſtrabimus.

FINIS.

IOS. QVERCETANI DOCT. MEDICIQVE REGII,

Ad veritatem Hermeticæ Medicinæ, ex Hippocratis etiam veterumq́ decretis ac Therapeuſi propugnandam, aduerſus cuiuſdam Anonymi Phantaſmata dilucida Reſponſio.

TRACTATVS SECVNDVS.

In Examen Capitis primi Antilexis.

PRIORE huius Libri tractatu ad veritatem Medicinæ Chymicæ ex Dogmaticorum etiam ſententia ſtabiliẽdam, vniuerſaliori quadam & fuſiore docendi ac dicendi methodo, apodicticiſquè rationibus, nec non ſingularibus quibuſdam exemplis vſi ſumus, nòn tàm priuatas Aduerſarii noſtri cenſuras, in quædam libri noſtri capita intuentes, quàm vt ad eos, qui verè Medicinæ ex Dogmatica & Hermetica ſchola petitæ, ſtudioſi ſunt, docẽ-

dos ac erudiendos reſpicientes, ſtylum noſtrum accommodaremus. Hac verò ſecunda libri parte decreui minutiùs ſingulas noſtri Maſtygophori caſtigationes expendere, ea tamen breuitate, vt ſimul, quod fuſiùs à nobis tractatum eſt, in compendium contraham, vnde Lector etiam citra faſtidium hæc percurrere poſſit, & inde fructum capere.

Pergamus igitur in excutienda tua cenſura, videamusque quid velis. Mendacia, præſtigias, ineptias, & ſi quid peius latrare potes, obiicis à me in vulgus efferri ac ſpargi, indeque iudicum auxilium imploras, ſic limen tuæ orationis exornas, quaſi prima fronte futurus omnibus terrori, ne ad mei libri lectionem quis aduolet, cuius vtilitate omnes priuare niteris, ne quid habeant, quo te ſuperent. Sic vulpes ille Æſopicus abſciſſa inter ſeges cauda deformis, aliis abiiciendas ſuas, vt pondus inutile perſuadere voluit, ne ſcilicet deformitatis ſuæ conſcius alios ornatiores & perfectiores videret, quibus eſſet opprobrio. Haud ſecus inuides aliorum perfectioni, quam nondum aſſequi potuiſti, & ad eam anhelantes, ne te ſuperent, omni ſtudio auocare contendis. Sed quicquid oppónas, illud facilè veritas virtute propria eluctabitur. At quibus argumentis, Anonyme, venenum, ineptias, mendacia, præſtigias, & ſi quid peius cacolalia iſta tua eructare potes, eſſe euincis? Quia, inquis, à ſexaginta Medicis Pariſienſibus liber exploſus eſt, tanquam falſam & ridiculam doctrinam inducens. Vix crediderim, ex tanto numero te eundem conſenſum & ſuffragia collegiſſe; Probos ſaltem excipere debuiſti, quos, ſatis noui, eò vſque dementiæ non eſſe progreſſos, Sed, vtvt ſit, vah? ni rideant ipſi pueri, qui ab Exemplo Argumentum claudicare ſatis norunt. Quales igitur Medicos intelligis? Qui tuæ ſcilicet farinæ ſunt homines: alios magis pudeat

deat τῆς σῆς ἀναλκίν ἀλαζωνείας, quàm te tuæ ipſius temeritatis. Pudet te (inquis) diutiùs in noſtris ineptiis verſari, at pudibundum magis tibi eſſe oportuit, quòd in tàm vili elaborando & excludendo fœtu bonas horas quatuor menſium perdideris. Sed eia cùm tres tantùm Medicorum ſint Sectæ, conquereris quartam Hermeticam à me introduci, quaſi ſit nefas plures inſtitui, quàm ex Galenicis ſcriptis didiciſti. Ita videris Pythagoricus diſcipulus, qui rationis loco Tyrannicum illud vſurpes, αὐτὸς ἔφα. Nunquid vides paſſim, hoc omnibus artibus eſſe commune, vt ſingulæ ſingulas ſectas ſibi conſtituant? Sic ſi quid additur ad inchoatam Medicinam, & in ea docenda ac facienda præclarius inuenitur ac docetur, an nefas fuerit Inuentori aut Caſtigatori, ſequaces ſuos ac imitatores, ſectamque ſuo nomine inſignire? Si hoc liberum fuit antiquis, cur recentioribus idem denegabitur? Sed quorſum iſtud ad ratiocinandum? quorſum etiam diſſenſio illa opinionis de Mercurio Trimegiſto, an fuerit Moſes Hebræus nec ne, an alius quis, (quod veriùs ex triplici illius officio, vnde Trimegiſtus dictus eſt, quo Moſes caruit, affirmari poteſt) modò de re conſtet, & de eius doctrina fides fiat? Nunquid hoc liberè in campo expatiari, & nullo conſilio euagari eſt? Sed αὐτάδεια iſta tua, qua tibi in loquentia (eloquentiam dicere volui) plus æquo blandiris, hanc tibi excurrendi voluptatem attulit. Frui igitur iſtis deliciis te oportuit, non anxiè in Paracelſum ita debachari. Hunc falsò & contumelioſè Alchymiæ originem à Cacodæmone aut Diabolo accepiſſe aſſeris, vbi ſatis prodis tuam in illius ſcriptis inſcitiam, quę calumniarum hanc tibi anſam præbuit. Non abs re igitur vanitatis argueris, qui ſenſa ſcriptorum doctorum non capis, aut ea turpiter in contrariam ſententiam detorques? Sed miſſa iſthæc faciamus; tu

Q 5 verò

verò circumſpice, ne, ſi quid eſt, quod ingenii tui, in ſcriptis & Hermetis & multorum Philoſophorum Chymicorum, captum ſuperet, cuiquam iniurius ſis, & repentè ad inſaniam adigaris. Quęre ſapientiam ex eo, qui vel ſomniorum ſignificationem, ne dum ſcriptorum hominum interpretationem elargitur. Falsò etiam Spagyrica remedia citra rationem & experientiam reperta eſſe pronuncias, quorum vbiq; tot virtutes & admirandi effectus cum vtilitate & voluptate conſpiciuntur. Apud te quidē ratione carent & experiētia, qui rationis es & experientiæ expers, quod ſatis indicant occultæ tuæ proprietates, ad quas tamquā ad aſinorū pontem, cùm te aliqua difficultate extricare non potes, ſtatim perfugis.

In aliis tuis rationibus excutiendis futilibus, ac vanis, non eſt quòd diutiùs tempus atteramus. Eæ enim cùm ſint leuiſſimi momenti, nulliusq; laboris, in illo campo alacriter loquentiam tuam expatiari ſinemus. Hoc vnum eiuſdem primi tui examinis non prætermittam, quod argutiſſimæ ſcilicet & ſubtiliſſimæ ſit rationis, Medicum nempè à Pharmacopæo eſſe diſtinctum, ne ſeorſim illorum ſinguli ægros iugulare auſint. Notate hìc viri doctiſſimi Grammatici acumen. Cetera in ſtercus caprillum faceſſant.

Quæ autem vndequaque ex dogmaticorum ſcholis corraſa recenſes, quorſum iſta, nobis iam à puerilibus annis toties inculcata, & decantata, diutiùs auribus noſtris obſtrepant? Valeant & iſta ad ſua magiſteria, ibiq; incinerentur ne reuiuiſcant. At quis te ferat ita inconſultò in præceptores tuos iniurium? Quos conſtat ita parandis remediis, hoc eſt, Pharmacopææ, inſudaſſe, vt ſuis manibus operationes eiuſmodi attrectarent & verſarent, ægris ipſimet Doctores auxilia exhiberent, & ſi quæ arcana medica callebant, ſibi ſolis ea aſſeruarent, vel ita aliis impertiebantur, vt non niſi ſagaciſſimo Oedipo

dipo enucleatore fas eſſet ſuis inuolucris expedire. Habuerunt ne Hippocrates & Galenus diſtinctos Pharmacopœos? aut, cùm ipſimet miniſteria iſta obirent, putarūt ne ſibi dedecori vertī, aut, vt tu delicatulus cenſes, de maieſtate ſua & reuerentia detrahi? Proh vanitatem, cuius vitia quāplurima ignoras. Quàm turpe eſt Medico, ſibi Doctoris titulū arrogare, & materiā, qua vti debet, modumq́; illius parandæ ac adminiſtrandæ ignorare, patiq́; ſe a miniſtris ſuis ſuperari? An ignoras, Anonyme, experientiam rerum eſſe magiſtrā? Ergo Pharmacopæus eam callens Magiſter erit, tu verò bruta ſtatua cathedræ affigeris. Quod ē̄t falsò ſubiicis, malā diatheſin ex Chymicis remediis, nobilib. partib. relinqui, hoc quàm ſit à veritate alienū iam docuimus. Hic nunc ſatis ſit, ſi de rebus etiā incognitis, abſurda & inepta effutienti pro tuo more, tibi reſpondeamus. Si autē imperiti & agyrtæ præparationib. ſuis, aut potiùs deſtructionibus, antimoniū & præcipitatū (quæ iā pridem damnauimus, & hactenus exploſimus, vt ſcripta noſtra teſtantur) adulterant potius quàm emendant, aut non probè venenū in iis latitās extinguūt: quo fit, vt perniciem exhibita inferant, quid ad nos? an aliorū imperitia & abuſus, nobis culpæ vertatur? Quod quàm iniquū ſit, iudicēt ſanæ mētis homines. Tu vero tuas tibi ſerua Hiſtoriolas, quas adiicis: cū enim à te recitatore aut etiam fictore progrediantur, ſuſpectæ fidei nobis eſſe debent.

Quod verò tibi occurrit, cenſura dignum, eſſentiam quintam, nempe lapidem Philoſophorū, & Chymiam à me *συνωνύμως* vſurpari: inepte addis Chymiā de tuo, aliàs non eſt quod mireris aut caſtiges. Eſſentia enim quinta, & lapis Philoſophorum, promiſcuè à Philoſophis ſumuntur, quòd vnū & idem re ſint, vtrumq́; enim vniuerſalis eſt medicina balſamica, quę omnia quęcunque natura cōplectitur in ſtatu ſuo conſeruat, heteroge-

nea diſgregans,&homogenea ita copulans,vt antè prę-deſtinatum finē nullum interitum experiantur aut ſubire poſſint. Erras autem toto cœlo,nec Philoſophorum ſententiā capis,ſi lapidem tantùm pro ea affectus parte intelligas,qua viliora metalla in aurum commutantur. Longè quid maius promittit Philoſophorū lapis. Ergo & hic diſce ſapere, & de incognitis plura loqui deſine, quàm fert ſobrietatis regula & ſapiētiæ lex. Eadem lege cautum, ne defunctorum manes turbentur; ſine igitur Moſis manes in pace requieſcere, & falſam, quam concepiſti de Mercurio Trimegiſto opinionem, excute. In cęteris, tanquam in vacuo ac inani incertoque campo, futilis ac vanus excurrito & expatiator:In arenam enim noſtrā nunquam deſcendiſti, vt nos oppugnares,& armorum noſtrorū ſpeciem tibi videndam exhiberes; ſed phantaſmatis & inanib.tuis ſpeculationibus bellum indiceres,vt tibi gloriolam inde, ſi poſſes, comparares. At quid poſſit ἀναλφάβητος in Chymia? Quod ad Democritū attinet,fruſtrà quoq; laceſſis eum: cuius,vt & Ariſtotelis,ſi diligenter & attentè ſcripta perlegiſſes,longè aliud ſentires. Scias illos Socratis more αἰεὶ γηρᾶσθαι πολλὰ διδασκομένους. Excutis deinceps, an aurū poſſit arte fieri, ex multis rationū, & ab Eraſto petitarum inuolucris, niteris negationē adſtruere. Si ęque familiaris eſſet artificib.eius conficiendi,ac vitri,ex herbis & lapidib.aut etiam metallis,educendi ratio,ac tàm creber illius ac huius aſpectus: mirari,credo, aut dubitare deſineres. Quis enim rerum ignarus credat ex herba,plumbo,lapillis,vitrum extrahi poſſe, formæ tàm diſſimilis, ac ſubſtantiæ? Quis ex linteo aut filamentis chartam? ex lignis,virgultis,conchyliis,oſſibus, paleis, lapides & ſaxa vi aquarū concreſcere & efformari? Quidni igitur à ſimili & aurum fieri poſſe, & traſmutationē metallorum inter ſe annuemus,pręſertim cùm in ſimilia,quàm

diſſimilia liberior fiat tranſitus? Quis conſenſum propè omnium gentiũ, Hæbræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Romanorũ, Italorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum, & Hiſpanorum, citra ratione aſpernetur aut rideat? nec non quæ propoſita ſunt admirandarũ transmutationũ exempla ſuperbè nimis reſpiciat, rationumque momenta, quib. tam nobilis ars confirmatur, non ſatis iudiciosè expendit? Sed cùm ab illis ſolis contradicatur, qui ea nunquam vel olfecerint, aut ſi quid in Chymicis libris legerint, tarditate ingenii ſui nihil aſſecuti fuerint, quid iſtos moramur homines? Audiant tecum, Anonyme, Auicennam Chymicum dicentem, neminem vnquam magiſterium lapidis negaſſe, qui eſſet ſapiens. Sed vt ad auri conficiendi artem (de qua ne my quidem aut gry in priore meo libro, niſi quatenus argumentum ad medicinam facit) contra inanes tuas rationes tandem accedamus: viſum eſt pauca hic de ea diſſerere, ac primò inanes iſtas tuas rationes diluemus, poſtquam eius artificium Laconico dicendi modo, qui Philoſophis proprius eſt & vernaculus, cùm de Saturni menſtruo egimus, iam à nobis ſatis enucleatum eſt, vt illis ſatisfactum fuerit, qui ingenio pollent, & ad hanc artem nati ſunt.

Primò internum principiũ eſſe vis, ex quo procreentur omnia, deinde illud duplex cõſtituis, naturã videlicet & animã, quo quidem Principio, quùm ars deſtituatur, eam idcircò ineptã eſſe ad conficiendũ aurũ infers.

Præterea vt forma eſſentialis corpori aptetur, materiam debere eſſe ad formã excipiendam idoneam aſſeris, quæ talis redditur temperie certa, & legitima conformatione. In iſtis quàm apertè in generatione rerum ignorantiam tuam prodas hinc liquet. Primò quòd duplex principiũ formale conſtituas, & ea diſtincta facias, quæ vnum & idem ſunt ratione & eſſentia. Secundò,

quòd

Principia, vt tu vis, quæ materiam illam temperatam & probè cõformatã ſubire debent. Duo igitur erunt principia, alterum Formarũ, alterũ Materiarũ. Atquiꝙ creatum eſt à Deo, vnum fuit, non binum, ex quo illo vno omnia ſeparata ſunt, quæ ſuæ originis & vnionis recordatione perpetuò geſtiunt ad illam vnitatem regredi. Hinc perpetua illa elementorum circulatio in ſeſe, vt ad vnitatem priſtinam redeant. Dum enim terra in aquã tranſit, aqua in aerẽ, & aer in cœlum, cœlum verò in terram, hoc appetitu & ſtudio feruntur redintegrandę ſuæ vnitatis, in qua omnia ſimul & vnum fuere, quæ aqua fuit primò, ſeu chaos aqueũ, in quã tandem vnionẽ poſt cõpletas circulationes, adperfectionẽ quandã cryſtallinam, lõgè primæ vnitatis creatione nobiliorẽ peruentura ſunt, quã Apoſtolus cœlorum & terræ renouationem vocat. Vt igitur quid generatio ſit rerũ, & ex quib. Principiis forma & materia in generationẽ corporis ex vno ſemine procreentur, paucis ex noſtra ſchola, Phyſicam ſacram Moſis ſequente, addiſcito.

DiciturDeus apud Moſem creaſſe vnum chaos, quod aqueum colligitur fuiſſe; quod Spiritus Dei aquis incubuiſſe dicitur à Moſe. Materia iſtius chaos nulla alia antè fuit, quàm Verbum ipſum Dei, (Fiat) quod quidem verbum non fuit inane in Deo, nihil enim ab eo proficiſcitur, quod non ſit immenſæ virtutis. Quemadmodum igitur cùm dixiſſet, Fiat lux, ſtatim facta eſt; ſic de chaos hui⁹ origine pronunciandũ eſt. Chaos igitur iſtud ex verbo Dei ortum, aut per verbum creatum, ſtatim in corpus immensè animatũ prorupit, ac Deus loquutus eſt. Immensè animatũ dico, ex infinitis virtutib. quas in dies exerit, ex ſemine rerũ omniũ vniuerſali, ei à verbo indito omnia producẽs. Semẽ aũt illud aliud nihil eſt, ꝗ anima vniuerſalis mũdi ex ſpirtiu Dei profecta, quæ iuxta verbum Domini, Fiat, ſtatim creata eſt, cum ſuo cor-

pore

pore vno & eodem momento ad rerum futurarum generationem. Hoc autem ſemen, ſeu anima illa vniuerſalis, licet prima creatione ſtatim cum corpore exorta ſit, aliam tamen habuit à Deo inſtitutionem, gradusque præſcriptos, vt ſenſim & paulatim ſpecies & indiuidua progigneret, dum ad perfectionem ſuam perducta ſint.

Semen igitur & principium omnium rerum fuit hoc verbum, (Fiat) quod cùm ſub ſenſus non cadat, ex nihilo idcircò dicuntur omnia eſſe creata.

Vt ergo ex nihilo creata ſunt à Principio omnia, ita & nunc creata naſcuntur, tanquam ex nihilo, Exempli gratia, Triticum nunquam reuireſcit, ni prius ſatum in terra corrumpatur, & ita obteratur, vt in nihilum redigatur. Nihilum voco (vt dixi antea) quod non poteſt ſub aſpectum aut alios ſenſus cadere, ſiquidem ſemen, in quo concluſæ ſunt proprietates omnes radicis, caulis, ariſtæ, grani, & virtutis in illis ſpecificæ, in meram ſpiritualem, hoc eſt in primum ens ſuum ſpirituale, aut in ſpiritum id eſt animā, redigendum, vt omnibus compedibus & impedimentis corporis liber ſpiritus nouum ſibi corpus, virtute ſibi ingenitą, effingat, atque induat, iuxta ſcientiam ac proprietatem omnium tincturarum, quas in ſe ſemper retinet; & corpori inchoato & ſuperereſcenti ad perfectionem vſque indiuidui communicat. Itaque ex digeſtione corporis & ſpiritus tritici in terra facta ſpirituale quid oritur, in corpus excreſcens, longè nobilius ac feracius parente ſuo.

Hinc vides non eſſe triplicem formam, nec aliunde materiam, aut temperiem, & conformationem, quàm à ſolo ſpiritu, vi fermentationis extracto & ſeparato, tincturas omnes, virtutes ac proprietates poſſidente, perfici, quas quidem virtutes in corpus, quod ſibi fabricatur, diffundit ac exerit, temperiem, conformationem,

ad perfectionem vſque indiuidui efformans. Hoc te docebit agricola, vinitor, olitor, & rerum quotidiana experientia. Sic in auro principium auri ineſt, quod ſi ritè præparetur, & in terrā ſuam iniiciatur, vt in ea putreſcat, digeratur ac fermẽtetur, in primum ens tandem redibit, hoc eſt, in ſpiritum mercurialem, qui liber à denſo illo corpore, reuiuiſcit, & quicquid ſibi tùm congenitum nanciſcitur, illud in ſui ſimile vertit, ac longè purius nobiliusq; reddit, quàm eſſet anteà ipſe parens, quemadmodum ex tritico nobis apparet, quod ex ſimplici grano, radicem, herbam, caulem, ſpicam, & centum ex vno grana producit.

Vt igitur paucis diluamus tua argumẽta, ſcias artem, quam nouitatis iniquè inſimulas, noui nihil producere, ſed naturam iuuare, eamque promouere ac intendere digeſtionibus ac coctionibus, vt cùm ſemen auri compedibus ſuis vinctum nullas vires in ſui ſimilis generationem habeat, vinculis ab arte expeditum & tractatum, vt par eſt, virtutes ſuas in materiam congruam poſſit diffundere, & principia illa ſpeciei imperfectæ, ex principiis ſuis, potenti vi ac ἐνεργείᾳ in ſuam perfectionem adducere.

Ceterum inſperſa ſunt quædam in hoc tuo examine inſignis iſtius tuæ Philoſophiæ ornamẽta, quę ſicco pede non ſunt prætereunda. Magnes, ais, trahit ferrum vi formæ ſeu proprietate ſubſtantiæ. Confugis hic ad proprietates occultas, cùm nullam rationem poſſis reddere virtutis Magneticæ in ferri attractionem. Quomodo potes dici Medicus & Philoſophus, ſi ignoras vnde ſpiritus noſtri in corpore latentes famelico appetitu ſtatim ex cibo & potu nutritiuos ſpiritus extrahũt, quibus reficiantur? An te fugit, ſpiritus in alieno corpore morantes ſuæ naturæ corpus validiùs attrahere, quàm ſi in proprio corpore manerent, vbi infixi quieſcerent?

Sic Magnes, vt hoc ex nobis addiſcas, cùm habeat ſpiritus ferri in ſe incluſos, quorum non ſit proprium corpus, non poteſt eos ita continere, quin, ſi proprio corpori, & quod ſuæ naturæ eſt, admoueantur, illud ipſum pro omnibus viribus appetant & attrahant. Ita vt ſpiritus ferri in peregrino corpore poſitus, longè potentiores vires habeat attrahendi, quod ſibi conſentaneum eſt, quam ſi ſuo proprio contineretur, quia in alieno poſitus proprium deſiderat, in ſuo verò otioſè moratur, in quo ad voluptatem requieſcit.

Sic ferrum à ferro non attrahitur, quia ſpiritus proprio corpore fruitur. At ſi ſpiritus in alieno ſit corpore (vt in Magnete) & ferro admoueatur, cognationis & vnionis recordatione, ſtatim ad ipſum fertur, aut quia retinetur in corpore peregrino, in quo eſt, corpus ſuæ naturæ conatur attrahere. Quòd allii litu ſpiritus arceatur, id fit impedimēto, quo obtunditur vis eius, nec tantùm allii, ſed omniū propè aliarū rerum inductione. Siquidem quo Magnes purior & limatior redditur, eò potentiùs attrahit, quòd nullis obſtaculis retineatur.

Prętetea abſurdè philoſopharis, quùm dicis, per formā totum rei eſſe, id quod eſt. Nā eſſentia dat eſſe rei. At eſſentia conſtat materia & forma. Ergo nō ſola forma eſt quæ dat eſſe rei, ſed materiæ iuncta. Anima, cedo, eſtne homo? Corpus humanū itidem, eſtne homo? Perperam reſpondeas, ſi vtramq; partē ſeorſim hominē eſſe dixeris. Neq; enim anima homo eſt, nec corpus homo, at anima & corpus ſimul iuncta hominē conſtituunt. Cum moritur homo, ſeparata anima non dicitur Homo, nec ſeparatum corpus homo, at cadauer dicetur.

Cetera ſunt puerilia, quæ de arte externa dicuntur, an picta muſca viuæ & naturalis formam internam arte admittat. Quis iſta afferat? Ineptum & id eſt à Chymico aurum elaboratum non eſſe naturale, ſed fucatum. Nam

ſi omnes

ſi omnes naturalis auri proprietates artificiali adhęrēt, quis negabit legitimū eſſe aurū? Imò quin ab artificiali naturale viribus ſuperetur, non dubium eſt, vt tritici exemplo demonſtrauimus. Neque idcircò ſimpliciter aurum artificiale dicendum eſt, ſed naturale etiam, cùm naturale principium ars promouerit, & ad imperfectum metallum formam & ſubſtantiam ſuam aurum artę transfuderit. Ars igitur tātùm adiuuit naturā, vt in ampliores vires ac maiores excreſceret, & ſui generis corpori ac formæ eas abundè impertiret. Sic diximus ouum artificiali calore, hoc eſt externo adiutum, tandem in formam pulli commutari, principio interno ſic virib. creſcente, & arte ad perfectionem ſuam tendente, eamque tandem aſſequente. Atque hinc à nobis, contra eam quam concepiſti opinionem, addiſces imperfecta reliqua præter aurum eſſe metalla, quæ coctionibus & digeſtionibus in aurum perfectum adduci poſſunt, quemadmodum ouum perfectum quidem ouum, ſed imperfectus pullus apto calore in pullum perfectiſſimum excludi poteſt. Cetera, quæ de metallorū proprietatibus garris, & de auro quod illis ineſt, perinde eſt, ac ſi cæcus de coloribus ex auditu tantùm loquatur. Hoc vnum aduerſum te pronunciari non animaduertis, qui vnicam tantùm formam vniuſcuiusq; rei eſſe voluiſti. Hic tamen formam auri ſeu aurū ineſſe vis, corpori aurichalci & cupri præter natiuam, vnde potiùs colligere debuiſti, imperfecta metalla auri principia in ſe habere, ad quod tendunt, atq; idcircò ad perfectionē poſſe arte promoueri, vt ouum ad pulli perfectionē. Dum finem metallorum attingere voluiſti, nō illepidè vtiq; ad ſcrinii loculos tuos conſeruātis ſynthesin animum aduortiſti. Sic aliis animus eſt in patinis, aliis in loculis, aliis in trocho & alea. Vt autem omniū metallorū finem nō eſſe probes, multa argumenta ex Eraſto corraſiſti, quæ

cùm nihil aduerſus libri mei argumentum faciant, ne in iſtis, quæ ex aliis meis ſcriptis haurire potes, & quæ fuſiùs alibi tractaturus ſum, tempus ludamus, cùm locupletiſſimè tibi ſatis factum fuerit ab iis, qui Eraſti ineptias, tuasque futuras ſubaugurati, confutarunt, ad eos te relego. Tantũ dico regeri in te crimen, quod meum eſſe falsò putaſti, nempè iis, quæ de tuo addis, Eraſtica, quæ cultiora erant, longè deteriora reddi.

Ad iſtud igitur caput venio, in quo Chymicorum remediorum cum conſuetis accuratiorem comparationem inſtituis. Vbi cùm de iis tantùm diſſeras, quæ ſub lunari mundo cõprehẽduntur, miror cur ſuperliminaria & cœleſtia omittas, cùm Aſtrologiam in Medico vt neceſſariam requirat Hippocrates, eumq; qui ea careat inſtar cæci hominis habere dicat, qui incertis errans paſſibus, baculo viam perueſtigat, vbi tutò pedem figat? Notandum & iſtud eſt, te tàm criticum Grammaticum, quid Alexipharmacũ ſit, ignorare. Inter venena enim collocas quaſi venenoſum medicamentum, cùm ex ipſius etymologia Veneni deleterium ſit, ſed ignoſcendum tibi eſſet, quòd Græcus non ſis, niſi Cretenſem ſatis ſuperq; te prodidiſſes. Quas primis iſtius capitis pagellis diſtinctiones adfers alimentorum, medicamentorum & venenorum, tuæ ſcholæ diſcipulis ſeruare debuiſſes, ni aliquid tibi ſcribendum eſſet, quo pagellas impleres, & ad iuſtam vtcunque libri magnitudinem Apologia tua excreſceret.

Totus autem in eo es, vt collatione vtriusq; ſectę remediorum facta tuam illam vulgarẽ medicamentorũ præparationem multis verbis probes vtiliorem, iucundiorem & tutiorem Hermetica. Non ſatis concepiſti me à dogmatica diſciplina nequaquam recedere, quam ſemper laudaui, vbi ea imperiũ habet in morbos. At vbi ſilet, fuerunt excogitanda & fortiora & vtiliora remedia

(quod

(quod à doctis Philoſophis & Medicis ſagacis ingenii factum eſt) quæ aliorũ imbecillitatem ſuperarent, & æquis virib. aut fortioribus etiam (modò ne quid nimis) cum affectu concertarent & vincerent. Non enim differunt materia, ſed tantùm pręparationis modo. Magnã in priore meo tractatu doctorum virorum illorum ſeriem iam contexui, quid repetitione opus eſt? Aliã Hermetici Medicamentorũ partitionem, ex ſecundis qualitatibus pluris faciunt, vt alia adſtringant, alia leniant, alia purgent, alia vomitum concitent, alia demulceant, & anodina ſint, alia aperiant, attenuent, incraſſent, & quorum vires ac proprietates non decoctis, non infuſionib. & leuibus tantùm iſtis præparationib. eliciunt. ſed chymicis & magna induſtria elaboratis operationibus, ita vt ſi adſtringentia medicamenta ex arte ſpagyricà ritè parata fuerint, nihil illis fiat cõſtrictius, adeò vt etſi vulneri labia eiuſmodi medicamento illita & in ſeſe adducta fuerint, nihil tenacius aut coniunctius. Docent ergo Medici illi quod res eſt, omnes actiones naturales à ſpiritib. proficiſci, in illisq; principiorũ ſcientiã ineſſe, ita vt quemadmodũ morbi ad generationes perducuntur, reſolutione vaporũ & ſpirituum alimentorum impuritates morbidas in ſe continentiũ, & in anatomiam humanam inuehentium; ſic morbidos illos ſpiritus & tincturas corrigi & eiici non poſſe, quàm aliorum ſpirituum ope. Etenim ſpiritualia ſpiritualibus, vt corporea corporeis committenda ſunt. Neceſſe eſt igitur vt in remediorum præparatione ſpiritus à corporib. & mortuis qualitatibus ſeparentur, quod non fit infuſione, coctione, ſimplici, & id genus craſſis artibus, ſed ſpagyricis putrefactionibus, ſolutionibus, coagulationibus, diſtillationib. & circulationibus, vt puriſſimæ tandem ſpirituales ſubſtantiæ emergant, tincturas ſuas & ꝓprietates firmiùs retinentes, virtutib. hac præparãdi ratione

auctiores: ſic ſpiritus reſoluendi vi prędíti, conſtringendi, purgandi, vomitionem, vrinas, ſudores proliciendi, imò etiam generando ſomno, doloribus demulcendis & fluxionibus ſiſtendis, idonei & apti, his præparationibus potentiores in ſuis proprietatibus euadunt, firmiùs & conſtrictiùs in centrũ ſuum colliguntur, ac ſeſe in virtutes admirandas contrahunt. Quas autem virtutes poſſident, eæ ſunt quæ ex tribus principiis promanant, ſale, ſulphure & mercurio, quæ alioquin exiguæ ſunt, aut nullius etiam effectus, ſi in compedib. ſui corporis perpetuò maneant, nec in ſpiritualia aſtra reſoluantur. Etenim quęcunq; ad curationem requiruntur, in ſpirituũ poteſtate omnia continẽtur, ſiue vt loquũtur Ariſtotelici in potentia illa eſſentiali, cuius ſuperius mentionem fecimus, ex qua rerum omnium facultates nõ autem ex ipſa craſi promanare diximus. In hoc Medici ſcientia poſita eſt, vt ſpirituum diſcrimina & proprietates optimè cognitas habeat, & ſingula ſingulis adaptare norit, non in medicando tantùm, ſed & præparatione, ſiquidem vt arctiùs cum corporib. coniungantur, cum corporei, quodammodo tardi, ac craſſi non vſquequaq; penetrant, aliam præparandi rationẽ laborioſiorem requirunt, quàm quæ in corporib. etiam ſubtiliorib. medicamẽta vſurpantur. Præterea cùm alii ſpiritus ſalium proprietates, alii ſulphurum, alii mercuriorum referant; ii quoq; & in medicando & præparando varietatẽ requirunt, vt eruditiſſimus dicatur is Medicus & perfectiſſimus, qui horum omnium ſcientiam callet. Non igitur, vt ſentis, Medici officium verſatur in cognitione tantùm morbi, ſed remediorũ potiſſimùm debita præparatione & adminiſtratione, vt ſanitatẽ inde conſequatur. Quorſum enim morb. cognoſcatur, ſi curandi ratio ignoretur? at faciles tu curationes pronũcias, modò morb. ſit cognitus. Cur igitur tot tibi excidunt ægri

immatura

immatura morte præærepti, cùm omnium morborũ cognitionem tibi arrogas, ſanationẽ verò nunquam auſis certò promittere. Sed mera iſthæc ἀλαζονεία eſt.

Ceterum cùm ſalem, ſulphur & mercuriũ extracta & vi ignis ſeparata natiuo temperamento ſpoliari dicis, atq; idcircò inutilia eſſe ad curationem morborũ medicamenta; quaſi temperamentum ex modo miſtionis ortum, (vt vis) ſit rei forma, quæ non niſi cum materia coniuncta quicquã præſtare poſſit, cùm oporteat mendacem eſſe memorem, miror, qui tàm citò oblitus ſis, actiones à formis proficiſci, quæ ex principiis ſuis internis (quæ naturã & animam eſſe voluiſti) emergunt, corpóraq; ſua viuificant, & motib. ſuis natiuis exercẽt, vt ex definitionib. allatis naturæ & animæ docuimus. Quorſum igitur ſi forma aut ſpiritus ſolus eſt, qui omnia mouet, generat, format & vegetat, ſanat, conſeruat, ad temperiem corporis recurris, quę, vt diximus, nulla eſſe poteſt, quàm quæ à forma inducta eſt, vt morborũ remedia inde eruas? Nunquid ipſe fateberis formã ſeparatã à corpore, à quo impediri ſolet, plus vitiũ habere, quàm corpori affixam? Si vel tantillũ naturales facultates corporis noſtri eſſes ſubodoratus, quæ ex cibo & potu virtutes, quibus reficiantur, coctionib. digeſtionibus, & circulationibus variis eliciunt, & à corporibus ſecernunt, an dubitares in ſpiritibus ſolis, non in temperie corporũ, quę nihil quã ſtercus ſunt, vim omnem in eſſe, eosq; eſſe humores naturę ab impedimentis ſuis ſecernendos, vt validè operẽtur? Nunquid vel idcircò videas factũ eſſe corpus, vt arcanũ in ipſo concludatur? arcanũ autẽ in quo vis omnis ineſt, ab ipſo corpore extrahendum in vſum? Nonne ex cortice nucleus extrudẽdus eſt vt abiecto corpore in vſum veniat? in quo etiam nucleo quanta eſt corporis impuritas, quæ à natura ſecernitur, dum in primũ ens ſuũ nucleus redeat, & ſic validè ope-

retur? Sic cùm in forma aut ſpiritibus medicamentorũ, hoc eſt mercurio, ſulphure & ſale, vis omnis medendi lateat, curas iſta à ſuis impedimentis & impuritatibus, vt naturam eo onere expediat, non liberet & enucleet? Sed quid agas cũ peruicaci homine, quẽ ſuaſi φιλαυτία potiùs, quàm ratio moderatur? Faceſſant igitur tuæ argutiolæ cum ſuis exemplis, & ſi quid elegantius poſthac cum tuis in vtilitatẽ ægrotantiũ operari voles, ex ſchola chymica ne pudeat ſenectam tuã addiſcere aliquid: ab ea enim doceberis iecoris aut lienis inflammationem, vel etiam ardentiſſimas febres, ex ſulphure natas, non ſola ſanguinis miſſione, & ſolis tuis decoctis refrigerantibus extingui debere & poſſe, ſed etiam liquoribus acetoſis, ex nitro, ſale, vitriolo, ſulphure elicitis, ac cum liquoribus conuenientib. permixtis, id fieri meliùs etiam poſſe, quod experiẽtia certa comprobatur. Quòd tandem in eodem capite addis crocum Martis non eſſe Hermeticorum inuentum, ſed Hippocratis etiam fuiſſe, ſatis indicas, nominetenus tantùm tibi cognitum eſſe crocum Martis, cuius ſi præparationẽ teneres, longè aliter ſentires. Summum Hippocrati in Medicina honorem tribuimus, cur quoque ſuam Chymicis gloriam denegabimus? Facilè eſt inuentis addere, aut etiam à nobilioribus ingeniis, quę nondum inuenta ſunt, ſi Deus faueat, in lucem aliquando proferri.

Capvt II.

Ad ſecundum & tertium Anonymi Examen Quercetani conſpicillum.

Miros ſuibus animam fuiſſe pro ſale datam, ne putreſcant, vt volebat Plinius, tuam verò ne mica quidem vlla ſalis aſperſam, quo à putredine vindicetur. Quid mirum igitur à te ſcripta noſtra inquinari? Negas

toto examine, ſalem eſſe principium rerũ naturalium, at cum crucis aut crambis agreſtis tua anima ridet. Probas id eſſe non poſſe, quòd plus damni ſales inferant, quàm vtilitatis, idq; autoritate Medicorum, qui ſalſa vbiuis ægrotantib. detrahunt, & dulcia tãtùm illis præſcribunt. Primùm hoc falsò imponis in ſale vno rerum principium agnoſci a nobis, qui tria conſtituimus, ſalem, ſulphur & Mercuriũ; quæ quidem cùm ſint principia corporũ prima, ab alio tamen & vno pendent magis ſpirituali, quæ anima eſt vniuerſalis: ab anima igitur vniuerſali rerum omniũ naturalium principia oriũtur, hæc tria corporũ principia, quæ rurſum in quatuor elementa diſtribuuntur, vt ex omnib. ſimul compoſitis vnum quid rurſum conſurgat, quod denuò reſoluitur in tria iſta, dum & hæc quoque in ſuum principium primum redeant, vnde omnium rerum generatio deinceps renouatur, vt pluribus verbis de his iam diximus in priore huiusce libri parte.

In ſalium quoq; ſcientia multùm hallucinaris Anonyme, qui loco horum eſſentiæ illorum fæces tantùm legas: nam impuritates ſalis corporeæ eæ ſunt, de quib. loqueris. At balſamus in eo latitans tibi eſt incognitus. Nunquid vides & infinita ſalium genera præter ſalſum illum marinum, quem tantùm perſpectum habes? Dulcem vt ſaccarinum, amarum vt abſinthium, acidum vt vitriolatum, auſterum & ponticum vt cydoniatum, omphacinum, & id genus alia, quorum balſamo nutriuntur, fouentur & conſeruantur, conſentanea indiuiduorum corpora nondum animaduertiſti?

De his igitur, quæ tibi incognita ſunt deſine, plura garrire, & balſamum balſamo foueri ac ali, qui in ſale poſitus eſt, certiſſimum habeto. Diſce etiam vnde vrina ſalſa reddatur priusquam ſalſedinis eius cauſam eſſe excrementi ſicci permiſtionem intrepidè aſſeras. Si vrinæ

anatomia, à Chriſtophoro Pariſienſe ſummo Philoſopho Chymico deſcripta, vt alibi docuimus, tibi perſpecta eſſet, veriora de vrinæ cauſa loqui poſſes, atq; diuerſorũ ſpirituum ſalinorũ, tùm coagulentium, tùm reſoluentium varios & mirabiles effectus intueri.

Quod empireuma ex præparationibus noſtris ſalib. & aliis medicamentis noxium relinqui dicis, hoc ex imperitia tua rurſum loqueris. Nam ſi crebris decoctionibus, digeſtionib. & circulationibus repetitis vtamur, id fit ad imitationẽ naturæ, id q̃ ex iis quæ iam ſcripſimus in priore huiuſce libri parte ediſcere potuiſti, atq; edoceri, omnes ſales non ſimpliciter ſola calcinatione elici poſſe, ſed & ſimplici aquę calidę infuſione reperita.

Ceterùm rerũ omnium creatorẽ Deum ad imaginem ſuã mundum cõdidiſſe conſtat vel ex eo, quo totus mundus, etſi vnus, ternarius tamen numero iubilet, ordine, videlicet numero, & menſura conſtructus, in cuius ſinu tria hæc corpora ſimplicia incluſa fuerunt, ſal, ſulphur, mercurius, quorũ propagatione ad indiuiduorũ generationẽ ſingula quęq; ex trib. iſtis ſubſtantiis expoſita ſunt, vt fuſiùs hæc à nobis ſupra declarata fuerũt.

Ergo vt ad Trinitatis diuinæ ſimilitudinem omnia Dei opera conferamus.

Mundus diuiſus eſt in intellectualem, cœleſtem & elementarem. Elementaris, (vt reliquos nobis minus notos taceamus) conſtat mineralibus, vegetabilibus animalibus, præter quæ nihil in hoc mundo eſt, quod ſub ſenſum cadat. Mineralium tres reperiuntur differentiæ, lapides, metalla & media mineralia: Sic vegetabilium tres ordines, herbalia, arboralia, & plantalia inter hæc media. Animantiũ quoq; tria ſunt genera, reptilia, natatilia, & volatilia.

Si ſingula indiuidua perſequi anatomicè velimus, hanc triadẽ vbiq; & in omnibus illorum partibus cõperie-

riemus. Sed hominem tantùm in exemplum adducemus, cuius aliquarũ partium anatomē ſic inſtituemus, vt de reliquis idē iudicium ſit facere. Homo cõſtat ſpiritu, anima & corpore, ſic & docuit Hermes, vt ſpiritus mercurio ſulphur, anima & corpus ſale repreſentetur. Hæc aliis verbis expoſuit Plato, diuiſibili, indiuiſibili, & eo quod partim diuiſibilis, partim indiuiſibilis particeps eſt ſpiritus conſtat mente, ratione & phantaſia. Anima trib. facultatib. abſoluitur, naturali, vitali & animali. Corpus ſecatur in tres partes, in caput, ventrē, & artus. Huius tria ſunt pręcipua mēbra, quib. alia ſubſeruiũt, cerebrũ, cor & iecur. Cerebro ad eius expurgationē tria pręſto ſunt, os, nares & aures. Cordis ſordes excipiunt pericardiũ, pulmones, & arteria magna. Iecur vero expurgant lien, veſica fellis, & renes. Sic toti corpori tria vaſa pręcipua miniſtrant, arteriæ, nerui & venæ.

Pręterea ſi caput rurſum ſpectemus, tribus pręditum eſt membranis, ſic & ſpina dorſi. Cerebrũ tres habet vētres: anteriores quidem duos molles, poſteriorē durũ. Tria præcipua vocis organa, larinx, palatum, & garganeon, ſeu columella. Denique ſi omnia iſta in ſua principia diſſecentur, reſoluentur eadem in mercurium, ſulphur & ſalem, ex quibus conſtant. Sic reliqua ſi vacaret perſequi, triadem illam in vnitatem alicuius membri, vel totius corporis coaleſcentem, vbiq, liceret conſpicere. Cur ergo Theologus ille noſter carpat, quæ Dei gloriam illuſtrant, & imaginem Trinitatis eius in vnitate repreſentant, quod myſterium vix nobis aliunde ſecundum fidem, quã ex eius operib. patere poteſt, vnde exclamabat Propheta: Cœli enarrant gloriã Dei, & omnia mirabilia eius. Ad quod exemplar perfectius quã ad Ideam ſuæ ſubſiſtentis Trinitatis in vnitate opificiũ ſuũ direxiſſet? Quid enim Deus facit quod non ſit perfectũ? Vnde metiēda perfectio, quam ex Dei ipſius norma? A

quæ perfecta norma quàm Deus vni Trinus eſt? Mundi igitur opificium ſuo modo perfectiſſimum, quia conditoris ſui perfectionem æmulatur, nec potuit non perfectum fieri, quod à perfectiſſimo opifice conſtrueretur, cuius perfectio in vnitate Trinitatis, à qua omnia perfecta pendent, poſita eſt. Vnde Apoſtolus dicebat, inuiſibilis Dei imaginem creatione mundi nobis patefieri, eiusque potentiam ac diuinitatem. Quid diuinitatem vocat, ſi eſſentiam Trinitatis in vnitate coniunctam non intelligit? quid potentiam præter Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, quæ nobis ex mundi creatione innoteſcunt? Ergo deſiſte reprehendere, ſi ſapis, quæ ſapienter homines Deus voluit docere, vt conditorem ſuum nempè ex operibus ipſius agnoſcerent & adorarent. Expatiarer in hoc campo latiùs, vt docerem duobus modis nos ad Dei cognitionem vocari, per creaturas Dei nempè, & per verbum ipſius; Sed cùm hæ ſint Theologi partes, noſtri etiam non eſt inſtituti, plura de his dicere. Hoc vnum obiter te docebo, Chriſtiano homini non paruo eſſe adminiculo Philoſophiam, vt diſcas quicquid eſt Medicinæ ac Philoſophiæ, id totum ad Deum cognoſcendum referre. Non eſt igitur quod ſobrietatis me in iſtis admoneas, cùm non ſatis gloria Dei poſſit prædicari à nobis.

In Examen Capitis IV.

COmparationem noſtram trium principiorū Chymicorum, cum corpore, ſpiritu & anima vt ridiculam arguis, quòd animam perpauci Philoſophi à ſpiritu diſtinxerint. Deinde vis aptiùs ea comparanda fuiſſe cum partibus, humoribus & ſpiritibus, ex quibus conſtamus. Vbi in duplicem errorem incidis. Primò quòd Philoſophos eos credas, qui minùs ſapientiæ aſſecuti ſunt,

ſunt, quorum veſtigia vt à te, ſic à nobis calcanda eſſe velles. Audiuiſti ſuprà, quid Plato ſenſerit de Macrocoſmi conſtructione, cuius partes vniri non potuerint quàm vinculi alicuius beneficio, quòd cùm vtriuſque natura communicaret. Etenim quomodo diuiſibile cum indiuiſibili iungatur, hoc eſt ſpiritus cum corpore, niſi medii alicuius interuentu, quod vtriuſque particeps ſit? Leue enim & graue, denſum & rarum in eodem corpore ſubſiſtere nequeunt, niſi aliquo medio, ea in vnum colligante, id fiat, quę anima eſt, aut aliquid animę ſimile, tam in macrocoſmo, quàm in microcoſmo. Alter tuus error eſt, quòd parum iudicioſè aliam comparationē inſtituas, ad quam nos reuocare vis. Qualis iſthæc quæſo Dialectica eſt, quæ totum cum parte doceat comparare? Veriùs muſcam cum elephante compares, quod vtrumque ſit aliquod totum. At comparare tria principia rerum, quæ aliquod totum ſunt, aut conſtituunt, cum corpore hominis, quod tantum pars totius eſt, conſtans, vt tu vis, partibus, humoribus & ſpiritibus, quàm iniqua iſthæc & abſurda comparatio eſt? Hoc voluimus exemplo hominis probare, vt quemadmodum homo totus conſtat ſpiritu & anima, & corpore, ſic principia rerum in omni indiuiduo triplica ſint.

Nec mireris, ſi aliquando Philoſophi noſtri modò ſalem animam eſſe dicant, modò ſulphuri & mercurio eius nomen tribuant, quòd tres illæ partes prorſus ſpirituales ſint, ab eodem fonte, hoc eſt, anima vniuerſali profectæ, cuius etiam vim retinent, & quod ſpirituali modò licet diuerſa ſemper operentur. Benè autem loquutus es, cùm dicis Phyſica noſtra principia tibi abſurda videri, ſagaciò. Philoſophis & eruditione præclaris ſecus ſpero. Omnia, quæ ab Ariſtotele petita in nos contorques, pro nobis faciunt, Amicus ille atque etiam Plato, ſed magis amica veritas.

In

In Capitis quinti & ſexti examina, in quibus agitur de auro potabili.

TVo examini multis verbis implicato ſatis factum fuerit, ſi, quam confectioni auri potabilis, & eius virtuti fidem derogas, eam confirmemus. Satis iam ſuperq; reſponſum eſſet à me in eo auri conficiendi recepto, aut lapidis formula, quam in priori huiusce libri parte tradidi, ſi tantorū arcanorū eſſes capax. Nam cùm aurum per ſpiritū Saturni philoſophorū preparatum in liquore facilè reſoluatur, vt docuimus, aurū merito potabile dici poteſt. Sed audiamus ratiocinationes tuas: Contendis vel aurū non reddi poſſe potabile ex ſententia peritorū Chymiſtarū (h.e. ignarorum hominū, nam peritus Chymię nullus hoc vocat in dubium) aut ſi reddi poſſit tā magno labore, impenſis, & temporis diuturnitate, opus eſſe, vt quiuis ab ea induſtria deterreatur. Secundo vis, etiam ſi eo perduci poſſit aurū, virtute tamen & ἐνεργείᾳ longè imbecillius eſſe apud ægrotantes, quàm aurum ſit foliatū, quo indies vtimini. Quod probare niteris ex præparationis modo, qui multas longasq; coctiones requirit, quib. (vti vis) humidū auri primigenium prorſus exorbetur, & corpus eius in atrophiam ſicciſſimam, calcemq; aridiſſimā redigitur: quod auro foliato non contingit. Prima tua ratio, qua laborē refugis ob difficultates rei, indigna Medico eſſet, ni Medicos iam anteà vt ſtatuas reddidiſſes. Itaque pergis in tuo torpore, & libenter cibos tibi *præmanſos in os* intrudi patereris, teq; omni labore liberari: *Otio ſic itur ad aſtra* &c. *& nullo virtus ſudore paratur*. Faceſſat igitur iſthæc tua tàm inanis ratiocinatio. Ad alteram tranſeamus. Meminiſſe debes, quod ſupra à nobis dictū, nullum arcanum eſſe, quod ſua pyxide careat, quo includatur. Cuius virtute ſi potiri volumus pyxis reſeranda eſt, & e-

ruendum

tuendum arcanum. Quomodo igitur foliatum aurum prodeſſe vlli poſſit, (ne dum ægrotanti) cuius arcanum adhuc ſub cortice delitescit At qualis ille cortex? quem ne ſtruthionis quidem ventriculus deterat? Vide igitur quam peruersè ratiocineris, & quot quantaque Paradoxa in Medicinam inuehas. Reſtat igitur vt probemus à corpore ſuo expediendum eſſe arcanum, nec expeditione illa, vlla vel tantilla humoris parte primigenij ſpoliari, vt contrà vis.

Actiones omnes à ſpiritibus proficiſci mecum conſentis, corpus enim ſpiritibus orbatum plane inane eſt, putridum & mortuum: quod etiam mecum ſatis probaſti ex varia illa circulatione, qua panis vertitur in ſanguinē, & ſanguinis tandem in corpus noſtrū, vi ſpirituū naturaliū. Si ſpiritus ſunt qui agunt, fruſtra deſideratur corpus. At contra cum corpus impedimento ſit ſpiritui, ne vires ſuas exerat, vt patet ex operatione ipſius naturæ, quæ non niſi deſtructo & abiecto corpore ſpiritum, hoc eſt alimentum cibi in carnem noſtram commutare poteſt: merito, & ex neceſſitate etiam ſpiritus ab omnibus ſuis impedimentis liberandus eſt, vt potenter agat, neve ab operatione interpelletur. Hoc quotidiana docet experientia, vt ex tritici ſpiritus, à ſuo corpore, ſecretione, qui fęcundius pullulat, oſtendimus. Etenim, quid in corpore noſtro proſit, quod eius alimento aut medicamento promouendo inutile ſit? Contra quid non adfert incōmodi facultatib. noſtris, quicquid in ventriculū ingeſtum nullius eſt corpori fructus aut vtilitatis? Deglutiat ſi vis aliquis Gigas aut Poliphemus integrum bouē, quid reliqua iuuent, quàm ventriculo & aliis partibus negotium faceſſere, quùm in toto boue vix ſedecim libræ vtilis alimenti incluſæ ſint? Quāto igitur melius corpori noſtro conſulitur, ſi iam bene coctū & arte digeſtum (vt ita loquar) alimentum, ac à fæcib. repurga-

tum

tum adminiſtretur? Nullo enim impedimento ab eo partibus omnibus diſtribuendo auocatur natura, nec illius coquendi vim vllam patitur, etſi adhuc ſubtiliori naturæ opera ſit opus, vt in vtilitatem corporis tranſeat, quantò etiam magis ægrotantibus opituletur(quibus eſt infirma natura)medicamenti ſpirituoſa ſubſtantia, ſi a craſſa ſua impuritate(quæ corporis vires ſæpè fatigat ac proſternit) defæcata exhibeatur? Talpa cæcior ille fuerit, qui hæc non videat, ſpiritus autem tàm cibi quàm medicamenti tanta paucitate exhibetur, vt detrimenti nihil, ſed vtilitatis plurimū vno momento adferat. Sed arbitraris forſitan ſpiritus ſolos à nobis præparari & exhiberi, in quo plurimum hallucinaris, quòd ij non poſſint quàm cum corporibus parari nec adminiſtrari? Quorſum enim ſæpius præſcriberemus iuſcula & gelatinas, ſpirituum vehicula, ſi ſolis ſpiritibus vteremur? Scias ergo à nobis defæcari corpora, quibus ſic puris, ſpiritus firmiùs adhæret, exhiberique poteſt.

Suo autem humore primigenio nequaquam ſpoliari hinc liquet, quòd humor ille primigenius ſit ſui ſpiritus corpus. At cùm arte noſtra ſpiritus extrahuntur, ea diligentia & induſtria prouidetur, ne quid illorum depereat, aut in auras auolet. Quin & diligenter nobis cauemus ne vaſorum defectu, aut ignis violentia quicquam expiret, qui ſi à nobis poſſunt retineri, multò minùs eorum corpora effugiant. Hic miraberis, Anonyme, ſpiritibus corpora ineſſe: at mirare adhuc, corpora in ſpiritus tranſire, ita vt ſint corporei ſpiritus, & corpora ſpiritualia, vt ſimul & corpus & ſpiritum exhibeamus. Hinc vides ſpiritus humore ſuo primigenio nequaquam orbari, qui cùm corpore carere nequeant, cum corpore etiā præparandi ſunt, imò tantùm abeſt, vt coctionibus noſtris pereat eiuſmodi humor, vt contra ſic magis ſpiritui adhæreat, quò ſubtilius coquitur.

Sic

Sic enim corpus vertitur in ſpiritum, & ſpiritus in corpus, vt in vnum tandem corpus ſpirituale, aut ſpiritum corporeum firmius coaleſcant.

Præterea quòd calces vel etiam ſicciſſimæ humorem ſuum retineât, vt in liquorem etiam verti poſſint, quotidiana tibi rurſum demonſtrat experientia, vitri videlicet ex cinerum fluxu elaborati & calcis auri in ſuam auri formam vi ignis redintegratæ.

Ceterùm auro vim vitæ producendæ aut etiam corroborandæ ineſſe negas, quòd ſolo calore in humido permanente ea producatur, & humoris primigenii reparatione conſeruetur. Atqui iſtæ facultates aut eſſentiæ non ſunt in auro, vt tu vis, ſed potiùs in iis quæ vixerunt, quales ſunt plantæ & animalia, vnde ea vis producendæ aut conſeruādæ vitæ petenda eſt potiùs, quàm ex auro. Hinc infers auro & reliquis metallis ac mineralibus vitam non ineſſe, ſed planè ea eſſe demortua.

Satisfecero tuis argutiolis, ſi vitā auro ineſſe oſtendero, & ſi eam vitæ tuendæ ac ꝓducendæ idoneā præ aliis expoſuero. Non negabis, credo, aurum eſſe fructum ſui elementi, aut aliquid elementatū. Si quid elementatū, cōſtat elementis; Ergo & forma. Siquidem elementa ſuis principiis non carent, quæ dixiſti eſſe formalia principia rei, id quod eſt, impertientia. Cùm igitur aurum ſit corpus elementatum, conſtat materia & forma, ex quorum mixtione temperamentum quoddam conſurgit, aut aliquid ſimile, quod ſuprà dixiſti eſſe vitam rerum. Vita igitur aurum & reliqua metalla prædita ſunt. Præterea quicquid oculis ſubiicitur, id materia & forma donatum eſt. Forma enim eſt externa, ab interna emergens, quæ oculis ſeſe conſpiciendam ſubiicit, ſi formam & materiam habet, ergo vitam: Mors dicitur rerum interitus, qui præ ſe fert ſubiecti in nihilum redactionē. At cùm metalla ſenſibus occurrant, in ni-

S hilum

hilum eſſe redacta inique iudicentur. Viuunt ergo, quia ſubſiſtunt, & quæ ſubſiſtunt, in nihilum redacta dici non poſſunt. Ergo neque mortua.

His rationibus ſatis euincitur, in metallis ineſſe vitam, quia ſubſiſtunt, idque quòd materia & forma conſtent, quorum permixtio aut coniugium nullum ſit, quàm vitæ alicuius vinculo, quod ex elementis & principiis eruitur, in quibus eſt vita rerum. Præterea id dici non poteſt vita carere, quod agendi poteſtate præditũ eſt. Actiones enim vt diximus à ſpiritibus proficiſcuntur. In ſpiritibus eſt vita, aut ipſimet vita ſunt. Atqui miræ actiones proficiſcuntur ab auro, cùm eſt ſpirituale & mole corporis exutum, vt ſuprà diximus. Denique quis metallis, tot ſaporibus, tot odoribus, tot coloribus, aliiſq; virtutibus prędiris, vitam denegare auſit? Ergo vitale eſt aurum. Sic enim Marſilius Ficinus Philoſophus acutiſſimus, & Medicus celeberrimus de auro ſcribebat.

Scimus, inquit, *viuentia omnia, tàm plantas quàm animalia, per quendam ſpiritum huic ſimilem viuere atq; generari, perpetuoq́; moueri, quaſi viuens, atque inter elementa, quòd maximè ſpirituale eſt, velociſſimè generare. Sed quæres interea, ſi elementa atq; animantes generant, cur lapides & metalla non generant, quæ inter elementa & animantes media ſunt? Quia videlicet ſpiritus in eis craſſiori materia cohibetur: qui ſi quandoq; ritè ſecernatur, ſecretuſq; conſeruetur tanquam ſeminaria vnius, poterit ſibi ſimile generare, ſi modo materiæ cuidam adhibeatur generis eiuſdem, qualem ſpiritum Phyſici diligentes, ſublimatione quadam, ad ignem ex auro ſecernentes, cuiuis metallorum adhibebunt viuumque efficient. Talem vtique ſpiritum ex auro vel ex alio ritè tractum atq; ſeruatum, Elixir Arabes Aſtrologi nominant.* Habes ex tanto Autore Anonyme, auro ineſſe vitalem ſpiritum, ſuiq; progenerandi ſimile virtutem, quo ſi velis

antiquio-

antiquiorem autorem audire, vide qualis ſit arbor illa Vergilij, de qua Æneidos ſexto agit:

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto,
Accipe quæ peragenda priùs: latet arbore opaca
Aureus & foliis & tanto vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer, quem tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt in vallibus vmbræ
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos niſi quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo auulſo, non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo:
Ergo altè luſtrans oculis, & ritè repertum
Carpe manu, namque ipſe volens, faciliſq; ſequetur,
Si te fata vocant aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro,

Nec putes iſtas eſſe fabulas, quòd aurum in arborem virtute ſua poſſit aſſurgere, cuius rami aurei huc & illuc expandantur: Si perſpectũ eſſet tibi quod ſapiẽtes compertum habent, non ſecus videres tuis oculis adiuuante arte aurum ſuis viribus arboreſcere, & in truncũ ramos, & folia, humore ſuo primigenio attolli; ac ſic in ipſis terræ viſcerib. flores & fructus aureos producit ex ſuo ſemine. Sed cur vitam minerali coralli arbori tribuas, & auro aliisq; metallis detrahas? cùm metalla ſua ex mineralibus principia hauriant, mineralia ex aquis, aquę ex mari? Quod ſi conchis, piſcib. corallis ex ſuo elemento mare vitam elargitur, cur & auro vitales ſpiritus non poterit impertiri? Sed paulo poſt de his plura. In hoc tu hallucinaris, Anonyme, quòd vitarum diſcrimina ignores, nec vitale quicquam putes, quam quod ſentit & mouetur. Quotidiana ciborum, quibus vteris, experien-

tia fideliter te erudiri oportuit. Nunquid enim ex veruecinis, bubulis, ſuillis & gallinaceis carnibus, quibus veſceris, vitam hauris, foues & conſeruas, & ſi vita illa mobili ſpoliatę ſunt, qua ſibi antea viuebāt, non nobis, vt fuſius alibi. Scias igitur nihil vita ſpoliatū, niſi quod, vt ſupra diximus, in nihilum ſit redactum. Etenim vel ex ipſa carie ligni, quæ vltimam corporis lignei ruinam & interitum minatur, tineę & aſſalia, aut vermiculi Xilophagi Græcis dicti, coſſi & termes Latinis, progignuntur ac enaſcuntur. Sed quid plura? Cùm ex corruptione vnius fiat generatio alterius, cur & ex corruptione corporis metallici, & in ſuam primam materiam redacti, genetatio vitalis metalli non eruatur? cùm vita in corpore ſit vltimum moriens ſi mori poſſit? At vitam à morte ſuperari abſurdum credas, cùm tantùm mors ſit animæ à corpore ſeparatio, nec id priùs quam integra & plena corporis facta ſit abſumptio.

Conſtat ergo in metallis vitam ineſſe, reſtat alterum caput enucleandum, An ea vita noſtræ poſſit adaptari, & eam tueri, ne morbis extinguatur? Quod ſic paucis expediemus. Quæ diutiùs permanent in eſſe ſuo, illa conſtantioris ſunt vitę, quàm quę vno momento intereunt. Hoc ineſſe plantis, alterum verò metallis vbiq; agnoſcitur, ſiquidem plantæ aut herbæ vno momento exareſcunt ac diſpereunt, metalla verò per mille aut plura annorum ſpatia excurrunt. At quomodo vitam longam promittant herbę, & auxilium diuturnum quo ſibimetipſis carent. Contra verò, quùm metalla ſua tam diuturna vita per multa annorum curricula conſeruent ſe ac tueantur, quidni & aliis corporibus inſita idem pręſtent? Sed obiicies corpora noſtra huic formæ aut vitæ ſuſcipiendæ non eſſe idonea, quod vnum nobis reſtat diſcutiendum.

Vt pleraque noſtri ſcripti dogmata obliquè interpretaris,

pretaris, & detorques in alium ſenſum: ſic etiam nobis falsò imponis, noſtram eſſe ſententiã, vt ab auro petamus vitæ alimentum & conſeruationem. Si ad normam tuæ iam præmiſſæ diuiſionis, qua rerum omniũ alias eſſe alimenta, alias medicaměta, & alias venena pronuntiaſti, hanc totam tuam ratiocinationem reuocaſſes, & recto iudicio vti voluiſſes, nonne potiùs hanc vitæ ab auro conſeruationem ac productionẽ ad medicamentoſum aurum, quàm alimentoſum retuliſſes, & in medicamentũ potiùs aurum à nobis vſurpari, quàm in alimentum credidiſſes? Debuiſti igitur aurum putare, quod ab omnib. Philoſophis dicitur temperatiſſimum, hac ſua temperie ægrotanti balſamo noſtro, hoc eſt, à ſua temperie, vi morborum erranti ac degeneranti ita ſuccurrere, vt ad ſuam temperiem ſuæ Medicinę virtus ipſam reuocet, ſicque viribus augeat, vt morbo facilè reluctetur. Audi quid ſentiant de eo Philoſophi. *Aurum*, dicebat Marſilius ille Ficinus, *omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatiſſimum, & à corruptione tutiſſimum Soli quidem propter ſplendorẽ, Ioui autem propter temperaturam conſecratum, ideóq; poſſe calorẽ naturalem cum humore mirificè temperare, humores à corruptione ſeruare, Solarem & Iouialem ſpiritib. & membris inferre virtutem.* Et paulò poſt. *Optimũ fore putãt ſi abſq; aliena permixtione aurũ potabile fiat Sin minus poſſit, contuſum & in folia redactum accipi volunt.* Deinde ſubiicit formulam quandam auri potabilis. Qui vtiq; agnoſcit quidem in auro vim mirificè cordialem ineſſe, quæ virtutes cordis h. e. vitalem balſamũ recreet, & augeat, ſed tincturę eius eliciendæ ſanguinem renouantis modum nõ ſatis calluit. Tantum igitur abeſt vt præparationibus chymicis adulteretur aut corrumpatur, vt potiùs temperatura eius calida & humida, qua Ioui aſſimilatur, corroboretur, homogenea congregentur, & heterogenea ſeparentur.

parentur. Deinde cùm ſol ille terrenus ſolem microcoſmi, ex lege ſimilium, qua ſimilia ſimilib. delectantur ac fouentur, & quam tu hic agnoſcis facilè amplectatur, ac illi adhæreat, cur vitæ noſtræ conſeruandæ, quæ internus ſol eſt aut igneus, ſeu æthereus balſamus, ineptus à te dicitur, cùm ſint eiusdem naturæ ac ſubſtātiæ, accidente tantùm differentes? Nihil enim ſub cœlo inuenias magis homogeneum, magisq; ſimilare, ac tenuioris ſubſtātiæ, temperatioris naturæ, corruptioniq; ſeu putrefactioni minùs obnoxium, ipſa pura metallorum ſiue argenti viui ſubſtantia. Quid igitur balſamo noſtro cōuenientiùs ſpirituali illa Medicina ab omnib. imputitatib. repurgata, & ad ſubtilitatē adducta? Nunquid natura ſpiritualis ſpirituali naturæ congaudet, vt loquuntur Philoſophi? Cur aurum igne non deteritur, ſed in eo iubilat & purius redditur? nunquid quia ipſum ignis eſt? Ignis enim igne non truditur, ſed mutuo amplexu tanquàm cognata ſeſe excipiunt. Sic cùm balſamus vitę noſtræ ſit puriſſimus, ignisq; naturam referat, cur ſibi ſimilē non excipiat, & eo corroboretur? Aurum enim, vt docebat Geber, eſt Medicina lætificās, & in iuuentute corpus conſeruans, quæ quidem Medicina (vt quidam alius Philoſophus docebat) quùm nihil aliud ſit, quàm calor naturalis multiplicatus in ſubſtantia mercurii fixa, virtus autem caloris ſit, congregare homogenea, & heterogenea diſgregare, neceſſario hæc Medicina ſuo calore viuifico in corporib. animaliū ſeparabit heterogenea, conſeruando ſpiritus & humores, in homine citiùs quàm in natura metallorū, propterea quòd homo calore ſuo naturali proprio ſeparat ſuperfluitates heterogeneas, quas metalla calore connaturali minimè ſeparare poſſunt.

At cur negabitur aurum eſſe naturæ amicum, & in Medicinam redactum ſubtiliſſimam, ac potabilem ſpiritibus

ritibus noſtris eſſe familiarem, cum omnia in vſum hominis & propter ipſum creata ſint à Deo? Docet enim Moſes temporis ordine vltimum eſſe factũ hominem, qui omnium creaturarum aliarum dominus ſit conſtitutus. Qui cùm ſit finis omniũ, nunquid & in eius vſum ſumma hæc Medicina creata fuerit? Sed cur aurum, & animalia, & plantas, in conſeruanda hominis vita & valetudine ſuperat? Num quia conſtantiores vitæ ſpiritus habeat, quam plantæ aut animantes? Quid enim conferant homini diuturnioris vitæ plantæ aut animalia, quùm ſeſe ipſa diu ſuſtinere nequeāt? At cùm firmiores metalla habeant vitales ſpiritus, quibus corpora ſua tueantur ac foueant, protrahantque in tempus longiſſimum, nunquid balſamo noſtro ii inſerti idem præſtabunt, vt videlicet vitam noſtram quàm longiſſimè producant? Ex his omnibus colliges, Anonyme, & in auro ſummam eſſe propagandæ vitę noſtrę & conſeruandę Medicinam, eamq́; quùm ſit ſpiritualis & ignea, ſpiritibus vitę noſtrę calidis & ſolaribus eſſe congruentiſſimam ac familiariſſimam. Ne autem ea Medicina vti nos putes ampliùs in alimentum, ſed in medicamentum. Satisfuerit enim ſemel aut bis in anno de ea vel tantillum ſumere, non indies ad ſatietatem inſtar cibi ingurgitare, vt Neſtoreos annos attingamus citra morborum tędium.

De quinta Eſſentia aduerſus noſtrum Ariſtarchum.

VT non ſolũ tibi, Anonyme, ſed omnib. tui ſimilib. cœlũ negantib. ſilentiũ imponamus, pauca de antiquitate Chymicę artis, quā vt nouā arguis ac damnas, & de quinta eſſentia, de qua ambigis, an extet in rerum natura, nec ne, pauca diſſeremus: primo tamē loco ratiunculas tuas in negationē quintę eſsētię nullo negotio cōfutabimus. Omnia fieri vis ex quatuor elemētis & cœ-

lo. Elementa materiam & formam tribuere intrinſecus, cœlum verò vt efficientem cauſam, eſſe extrinſecam, quæ ab opere conſummato recedat. Dicis autem cœlum recedere, quòd nullum ſui ſymbolum ad rem perficiendam conferat, ideoque Ariſtoteli ἀσύμβλητον dici, ſed tantummodò ſuo calore componat ac concoquat omnia, συμβλητὰ autem, hoc eſt, ea quæ ſymbolum ſuum conferunt, ſola miſceri. Hic non meminiſti diſtinctionis ſupra à te allatæ, inter ea quæ à natura fiunt, & ea quæ ab arte. Artificem quidem ſeparari ab opere, naturam verò non, quæ omnia confert, vt opus perficiatur. Vide igitur quàm tibi ipſi conſtes, & quantum profectus ſis in generationis rerum cognitione. Repetamus igitur memoria quæ ſemel aut iterum iam ſuprà diximus, naturã vel animam vniuerſalem, ſcientiam & rationes in ſe habere generationum omnium, quas cùm explicat, omnes cauſas ſimul confert in operationem aut formationem rei naſcituræ, ita vt eadem ipſa & formam & materiam præbeat, artificium & finem conſtituat, quæ à re aut indiuiduo non recedunt, ſed perpetuò remanent, ipſa natura nunquã quieſcente, ſed intrinſecus & extrinſecus omnia dirigente ad extremum vsque ſui operis interitum: Fruſtrà igitur & perperam in rebus naturalibus efficientem cauſam à reliquis ſepares, vt quæ potiſſima ſit cauſarum, quæ materiam & formam generant ac informant, opusque ſuum ad finem vsque regant.

Cùm igitur omnia, quæ ex elementis à cœlo generantur, naturalia ſint, & quicquid cauſæ conferunt in opere conſiſtant, ita vt finis & efficiens cauſa in ipſo indiuiduo perſtent, operante ſemper, & ſine intermiſſione, efficiẽte illa cauſa, ſequitur, cœlum ſi operetur cum elementis ad indiuidui generationem (vt tu vis per efficientem cauſam quam vocas) cùm hoc ex naturali

cur ſu

curſu procedat; etiam aliquid eſſentiæ ſuæ, eiusque præſtantioris in elementato illo indiuiduo, relinquere, atq; idcircò non immixtum manere ad mixtorum generationem, in quem errorem lapſus es memoriæ tuæ defectu. Etenim non recoluiſti animo, quod antea conceſſiſti, omnia conſtare ex materia & forma naturalibus, hoc eſt, ex ſpiritualibus & corporeis. At nunc quia cœlum videtur tibi ſpirituale præ elementis, non potuiſti tibi perſuadere, ipſum coniungi poſſe cum corpore, ſed corporea corporeis tantùm aptanda eſſe. Quæris deinceps (ſic reſpuens Platonicorum de anima vniuerſali mundi ſententiam) ſi ea diffunditur per omnes mundi partes, cur omnia non animantur? Miror ingenii tui inconſtantiam, cùm enim agnoſcas animarum, hominum, pecudum & vegetabilium inter ſe collatarum varietatem & diſcrimen, cur prætermiſiſti eiusdem matricis progeniem inanimatorum, vt vocas, quaſi anima, vita & ſpiritu prorſus deſtituta ſint? cùm, vt ſuprà diximus, & quòd ſubſiſtant, ſe anima & vita in ſtatu ſuo ſubſiſtere ſatis ſuperq́; teſtentur? Nunquid vides, quemadmodum & quot gradibus tenuitatis aqua differt à terra, aer ab aqua, & cœlum æthereum ab aere? Sic inter ſe illorum prognata indiuidua differunt, vt quot gradibus pecudes à vegetabilibus, ſic & hominum animæ à brutorum anima diſcrepent & excellant.

Sed vt totam huius mundi machinæ conſtructionē oculis tuis ſubiiciam, generationem rurſum, aut extractionem, aut ſeparationē ſingularum mundi partium cōtexemus, vt inde & tibi pateat, quàm antiqua ſit Chymia, aut ars Spagyrica, cùm à Deo ipſo, aut ſi mauis à prima natura rerum profecta ſit & hominib. patefacta. Diximus ſupra à verbo illo, Fiat (quod principium omnium rerum [illegible]) creatū fuiſſe chaos, quod incubante ſpiritu domini [illegible]matum eſt, vt ſimul anima mundi v-

 niuerſa-

niuerſalis, cum corpore vno & eodem momento, procreata ſint. Imò ex verbo illo (Fiat) ſpiritus proceſſerit, qui chaos efformarit, cuius virtute & impulſu, vt generationes rerum ſequerentur, primo ſeparauit ſubtiliſſima quæq;, hoc eſt, lucem, cœlum, aerem: deinde paulò craſſiora, vt craſſiorem aerem & aquas, poſtea terram, quæ in omni diſtillatione & arte ſpagyrica ſubſiſtit in fundo, ita tamen, vt, cùm ex vno proceſſerint, iſta tria, cœlum, aqua & terra, vnitatis ſuę memores vnionē adhuc iſtam conſeruent, vt non tota totis permiſceantur, nec etiā contigua ſint, ſed continua perſtent virtute animæ illius vniuerſalis, tanquam vinculo omnes illas partes colligante ac vniente, vt ſpiritus ſuos perpetua circulatione ſibi mutuò impertiantur & communicent: vt etiam id quod eſt inferius, ſit idem atq; id quod eſt ſuperius, & ſuperius idem atq; id quod eſt inferius ad perpetrāda rei vnius miracula, vt ſapientiſſimè aſſeruit magnus ille Philoſophus Hermes. Quod exemplum in ouo & in homine eluceſcit, quorum partes non contiguæ, ſed continuæ, quòd continuò animæ aut vitæ vbique in omnes partes diffuſæ motu & circulatione, partes omnes ſemper implente, vt nihil ſit vacuum quod contiguationem (vt ita loquar) non continuationē noter. Hanc primam ſpiritus aut animæ operationem in chaos factam, vt partes ſic extraherentur ac ſepararentur, imitatur adhuc indies natura, quę nihil generat, quin priùs corrumpat, hoc eſt, ſemen in tria ſua principia ac elementa diuidat, ſeparet, & rurſum in generationē colligat, ex cibo carnem noſtram non augeat, quin ipſum cibum prius attenuare velit, & collectis partibus omnibus, homogeneis ac heterogeneis in excrementa relictis, ex eo chylum ſanguinem, ac ſpiritus poſtremo generet. Dubitas adhuc de quinta eſſen[illegible] quam vides indies à natura elaborari, nec quieſcere, donec ad finem peruenerit. Sed pergamus aliò.

De

De quinta Eſſentia & Lapide Philoſophorum Tractatulus.

ANtiquitatem artis Spagyricę,(ne dum ipſam artē) videremur modeſtis ingeniis ſatis probaſſe & confirmaſſe ex quotidiana illa naturæ experiētia, ac inprimis ex artificio illo diuino, quo Deus chaos mundi antea indiſtinctum tàm eleganter in partes diuiſit, ordine ſuo cōpoſitas, niſi mihi cum præfractis ſenectam ęgrò deponentibus res eſſet: ergo vt modeſtiores animi aliquem ex noſtris laborib. quos illis antea & nunc quoque deſtinauimus, fructum reportent, ſubnectemus in quintæ eſſentiæ confirmationem, quæ ſequuntur.

Nihil eſt à natura creatum, quod puri & impuri partibus non conſtet. Impurū autem puro officere quo minus proſit homini, propter quē omnia creata ſunt, experiētia clarius patet, quàm vt rationib. res iſta indigeat. Hinc neceſſariò inferendum, purum ab impuro eſſe ſeparandum, vt in vſum hominis res iſta tranſeat, nec purum poſſe homini conducere, quin impuri facta ſit ſeparatio; quod artificiū ſpagyricæ artis propriū eſt. Hinc factū eſt, vt ſapientiores Medicorū quartam Medicinę columnam Alchymiam ſtatuerint, quæ aliud nihil eſt, quàm ars purū ab impuro ſeparans, illius purioris ſubſtantiæ ab impuris elementis ſeparatio, vt nobilioris ab ignobiliore. Cùm igitur ex naturę luce videamus iſta ſic habere, quis iam auſit inficiari, cœlum eſſe quintam eſſentiam ab elementis ſeparatā? Quam tu ipſe cùm ſtatuas, Anonyme, ab elementis ſecretā, quæ ſolent varias formas inducere, illa verò nequaquam, ſed immutabilis ſemper permaneat, quod propriū eſt eſſentię quintę, quę, quòd ſit immutabilis, immortalis etiā dicitur; an adhuc ambiges de eſsētia quinta, an ſit nec ne? Eſſentiā quintam dicimus idcircò eſſe immortalem, (quantum res creatę imortalitatis poſsūt eſſe participes) quòd nihil ha-

hil habeat impuritatis, qua corrumpatur, aut vel tantillum immutetur, nec tantum idcircò quòd ſincera ſit, ſed quòd inter res creatas maximè ſit vna. At quod vnum eſt, nil habet à quo violetur aut corrumpatur, & dolorem ſeu alterationem patiatur, vt docet Hippocrates. Quod enim vnum eſt, pati non poteſt. Ea ratione cœlum quinta eſſentia dicitur à quatuor elementis (quæ vulgò totidem conſtituuntur, cùm quarta eſſentia potiùs nobis dicatur, qui tria tantùm agnoſcimus, aut cum cœlo quatuor) non tantùm quòd ſinceriſſimum ſit, ſed quòd vnum ab vno illo chaos extractum, cuius vnionis recordatione perpetuò anhelat ad ipſa elementa, vt ſuas formas illis impertiat. Quid enim citra cœlum poſſint elementa? Conſpiciamus terram, quæ cœli aſpectu deſtituitur, nunquid prorſus inanis & vacua eſt? At ſi ſub dio exponatur, & cœli ſoliſque pluuia & calore imprægnetur, num vides illam ſtatim in herbas erumpere? vnde illa herbarum forma eis impertitur, quàm à cœlo formante, & ſuum agrum, in quem ſerere debeat, agnoſcente? Hinc generationes naſcuntur, ab illa quinta eſſentia videlicet, ſpiritus ſuos vitales omnibus elementis infundente, & ad rerum procreationem illa inducente, vt elementa ſint tantùm agri matrices, & receptacula ſeminalium virtutum, quas à cœlo excipiunt. Abſurdum igitur eſt dicere, cœlum efficientem eſſe cauſam, quæ vt artifex ab opere ſuo recedat, cùm perpetuò formas matricibus ſuis ingerat ſubſtantiales & eſſentiales. Hinc concludimus, cùm cœlum in ſubſtantia ſua maximè vnum ſit & ſinceriſſimum, nullis mutationibus obnoxium, (quantum natura rerum creatarum ferre poteſt) vt ea ratione immortale ſit, quintam illam eſſe eſſentiam, quam quærimus. Quod quidem cœlum cùm à nobis tractari non poſſit, nec vaſculis noſtris includi, vt virtutes eius excipiamus,

piamus, confugimus ad indiuidua creata, ex quorum corporibus ſuum cœlum, quod à cœlo acceperunt, vitamq; ſuam artificioſè educimus ac extrahimus, quod ſumma induſtria defæcatum & ad ſummam ſui parentis exterioris cœli puritatem adductum, quintum eſſe meritò nuncupatur. Quo parentes noſtri primi prope immortales redditi ſunt, vt qui in hac arte optimè verſati (quùm Adam omnium rerum cognitionem habuerit) ad nongentos ac mille propemodum annos æuum ſuum prorogarint. Huius ex arte conficiendæ formulam hic attexeremus, ni aliis noſtris libris, & paſſim magnorum Philoſophorum ſcriptis, huius eliciendæ ratio abundè exponeretur. Sed audiamus exemplum huius quintæ eſſentiæ à Petro Apono, ac Hermolaö Barbaro in Dioſcoridé nobis propoſitum. Qui referunt ante centum annos aut circiter in Patauino agro repertas eſſe in vrnula duas lampades, ex quodam ſepulchro lateribus conſtructo erutas, vnam auream, alteram argenteam, ardentes, ac ſuauiſſimo, fragrantiſſimo, elegantiſſimoque liquore plenas, quæ indicabantur ex artificio, antiquitatem redolente, & ex verſuum Latinorum iis inſcriptorum vetuſtate, à multis ante annis ibi repoſitæ, quem quidem liquorem aiebat ipſe Barbarus eſſe cœleſtem aquam, aut potiùs diuinam, quàm Chymiſtæ elaborant, Democrito & Hermeti Trimegiſto notiſſimam. Verſus erant, ni me fallit memoria, hi:

Primi ſic habebant ſepulchro inſcripti;

Plutoni hoc ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa graui clauſit digeſta labore,
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olybius.
Adſit fœcundo cuſtos tibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Alij

Alii verſus adſcripti erant vrnulæ lampades illas continenti, qui, ni fallor, tales erant:

Abite hinc peſſimi fures,
Vos quid voltis cum oculis emiſſitiis?
Abite hinc veſtro cum mercurio Petaſato caduceatoque
Maxumus maxumo donum Plutoni
Olybius hoc ſacrum facit.

At quid aliud fuit Philoſophorum lapis tàm celebratus, quam quinta eſſentia? Etenim tùm demũ fit quinta eſſentia, cùm purior ſubſtantia trium principiorum cum cœlo ſuo tot circulationibus rotatur, vt in materiam ſeu lapidem fixum demùm concreſcat. Tunc enim Philoſophorum lapis ſeu eſſentia quinta perfecta dicitur, de quo lapide ſic Morienus: Lapis noſter inquit eſt aqua extracta & ſeparata à corpore noſtro, quæ dicitur prima materia. Et iſtud Elixir eſt, quod Medicina perfecta dicitur, quæ habet virtutem ante omnes Medicinas & potiones ſanandi infirmitates omnes hominum Iam verò quantæ ſit virtutis, quantumque in metallorum tùm vegetabilium, tùm animalium, tùm & hominum reſtitutionem, & conſeruationem valeat, audiamus. Ob id enim veteres Philoſophi eam vocarunt Elixir, aurum potabile ſeu Philoſophorum aquam vitæ, tincturam, lapidem pretioſum, Medicinam, quæ in tria rerum genera, animale, vegetale & minerale, actiones mirandas producit, vnde etiam nomen retinuerit lapidis animalis, vegetalis & mineralis. Siquidem ea Medicina corpus humanum ægrum ſanitati reſtituitur, metalla imperfecta in aurum vel argentũ tranſmutantur, lapides pretioſi imperfecti perficiuntur, & vegetabilia hoc imbuta liquore, etſi propè arida & exucca reuiuiſcunt, ac à tabe ſua quolibet etiam tempore in virorem prorumpunt. Eſt itaque Philoſophorum aurum ſeu lapis quædam

arte

arte compilata Medicina temperata, quæ tanquam forma ſeparata à ſuo corpore ad tantam ſubtilitatem redacta eſt, vt in quoduis ſibi obiectum inſtar formæ cœleſtis in præparatam à natura ſibi materiam operetur. Vnde conſtat quotiescunque Philoſophi de hoc lapide phyſico aut methaphyſico ſunt locuti, qui metalla tranſmutare poſſit, hoc intellexiſſe de metallis corporis humani phyſicis, minus perfectis, (hoc eſt de morbis) quæ per metalla methaphyſica, hoc eſt longi æui, eſſentiam quintam permutari poſſunt. Eſt enim ferè incorruptibilis ac immortalis, temperata, per elementa ipſa purificata, & ſecreta à fæcib. quatuor elementorum, quę ſunt corruptionis cauſa potiſſima, vt volunt Philoſophi, quæ ideò temperatum & ſanum corpus efficit, veluti ſpiritus vitæ, cuius vi & ope omnē indigeſtum natura aut digerit, aut expellit ſuperuacaneos ac peccātes humores, eorū qualitates retundit, ſpiritū viuificat, molle indurat, durū emollit, ſpiſſum rarefacit, rarum inſpiſſat, macrū impinguat, pingue extenuat, calidū refrigerat, frigidum calefacit, ſiccum humectat, humidū exſiccat, deniq; calorē naturalem ſeu humidū ſubſtantificū corroborat ac cōfirmat. Eſtq; veluti (vt ſcribunt ꝑpemodū omnes) medicinale corpus vniuerſale, ad ꝙ omnes Medicinarū particularitates (vt ita loquamur) reductę ſunt ac infuſe, propterea ꝙ illa eſt quinta veluti natura quædam à Philoſophis inducta, ſiue eſſentia, ſiue anima tenuiſſima, purgatiſſima, putrefactioni ſeu corruptioni diutiſſimè plurimumq; reſiſtēs, ſoluta omni cōcreatione mortali, cœleſtis ſimplexq; elemētorū ſubſtantia, ſublimatione illa chymica ad hanc ſpiritualē naturā adducta, vt Platonici idęas à materia ſeiūctas ſubſtātiasq; exiſtimauerint. Quam tamen Medicinā nolumus prorſus incorruptibilē affirmare, cum ex rebus naturalib. fiat & cōſtet: attamen ad eam ſubtilitatē & tenuitatē & ſimplicita-

citatem ſpiritualem redacta eſt, vt heterogeneum nihil in ſe continere videatur à quo corrumpi poſſit, quo fit etiam vt ægrotis exhibita eos longo tempore in ſanitate conſeruet. Quo quidem Philoſophi omnes reſpexerunt, eique perquirendæ ac inueſtigandæ ſeſe totos addixerunt, non vt ex imperfectorum metallorum in perfecta mutatione diteſcerent, quùm multi eorum paupertatem amplexi ſint, ac coluerint, ſed vt languores & morbos hominum curarent, vitamque illorum diuturna in ſanitate ad præſcriptum à Deo terminum citra vllam offenſam tuerentur & conſeruarent. Dubitabis ne adhuc Anonyme, an quinta eſſentia extet nec ne, an noſtra medicamenta longè lateque tua ſuperent & antecellant? Audi præterea quid ſcribat inſignis alius Philoſophus. Hæc medicina, inquit, eſt ſpiritus vitæ, penetrans omnes alios ſpiritus, præbens vitam, tincturam & perfectionem, tàm corporibus ſolidis, quàm corporibus animatis, cùm ſit ſubſtantia ſubtilis ac ſpiritualis naturæ, multarum virtutum & virium occultarum.

Et ſi de veritate huius medicinæ, eſſentiæ quintæ ſcilicet aut lapidis Philoſophorum, & artis Spagyricæ amplius dubitare nefas eſt, & de eius antiquitate ambigere, vt tamen eluamus fucos & puluerem diſpergamus Anonymi noſtri, graues Philoſophos ac ſapientes opponemus, non tantùm noſtri ſeculi, ſed priſci etiam illius æui, qui erroneam illam noſtri Ariſtarchi opinionem de nouitate huius artis (quam inique à Theophraſto Paracelſo exorditur) mendacii arguant. Ac inprimis audiat ſummum illum virum ac Philoſophum Hermetem Trimegiſtum, in ea exercitatiſſimum, veriſſimam ac certiſſimam artem Spagyricam affirmaſſe, cùm ſic ſcribit in ſua tabula ſmaragdina: *Verum ſine mendacio certum veriſſimum id quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt*

inferius,

inferius, & quod eſt inferius eſt ſicut id quod eſt ſuperius, ad perpetranda miracula, rei vnius. Pater eius eſt Sol, mater eius eſt Luna. Portauit illum ventus in ventre ſuo, nutrix eius eſt terra, & vis eius eſt integra, ſi verſa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi. Ideò fugiet à te omnis obſcuritas. Hinc totam artem potes addiſcere Anonyme, ſi vales ingenio, & fugiet à te omnis obſcuritas. Ex hoc fonte omnes alii Philoſophi ſuas experientias hauſerunt, non tantùm in lapide Philoſophico ad metalla transformanda, ſed etiam ad vniuerſalem illam Medicinam ſeu quintam eſſentiam extrahendam, quæ omnib. infirmitatib. mederetur, ad quam potiſſimùm reſpexit Hermes. Ad eam ſpectarũt omnes omniũ Poetarũ Hiſtoriæ, quæ ideò dictæ ſunt Fabulæ, quòd fictis narrationib. & multis verborũ inuolucris ac ſub fabulis rem tàm nobilẽ ac pretioſam tegerẽt ac vulgò occultarent. Qualis eſt peregrinatio Iaſonis in Colchos, ad vellus aureum reportandum. Qualis etiã fabula de hortis Heſperidum aurifero nemore pretioſis, vbi draco peruigil cuſtos ac obſeruator, malis aureis conſeruandis inuigilabat, quem Hercules dicitur interfeciſſe, & aurea poma ad Euriſtheũ retuliſſe. Quæ quidem figmenta Euſtathius & Suidas celeberrimi autores Græci de arte chymica interpretati ſunt, cuius quidem artis tàm nobilis virtutib. ac effectis multi leproſi, epileptici, hydropici, paralytici priſtinæ ſanitati ſunt reſtituti. Cuius rei fidem faciunt Albertus ille Magnus Ratisbonenſis, Thomas de Aquino ſummus Phyſicus, & naturæ arcanis indagantis ſagaciſſimus, Arnaldus Villanouanus inſignis Medicus, qui Neapolitanum quendam Regem leproſum, auro ſuo potabili, reſtituit: de quo celeberrimus ille Iuriſconſultus Ioannes Andreas ſcripſit in Commentariis in Speculatorẽ, titulo de falſis, ſe eum nempe Romæ vidiſſe ante ducentos & aliquot annos au-

bam Philoſophorũ collegit. Raymondus Lullus, Arnaldus Villanouanus, Ioannes de Rupeſciſſa, Clemens de ſecretis animæ, Gilbertus Cardinalis, Ægidius Eremita, Andromicus Epiſcopus, Magiſter Hoſpitalis, Petrus & Durandus Monachi, Valerandus de Boſcho, Theodorus, Petrus Villanouanus frater Arnaldi, Thomas de eſſentiis eſſentiarũ, & eiusdem breuiloquiũ, Scotus, Stephanus, qui librũ ſcripſit de magna & ſacra ſciẽtia, Ioannes Daſtinus Anglus, Ripleus, Scotus, Iſaacus Holãdus, Rogerius Baccho, Guillermus Pariſienſis, Chriſtophorus Pariſienſis, Dumbeleius, Abriſius, Martianus, Bernardus de Grania, Ioannes de Viterbio, Richardus Anglicus, Bonus Ferrarienſis, Ianus Lacinius, Picus Mirandula. Taceo reliquos innumerabiles. Hos Autores, ſi euoluiſſes, dubitares ne de arte, an ſit nec ne? de eius antiquitate, ac de virib. & admirãdis eius effectis? Si autem eos noſſe vis, qui perfectionẽ iſtius artis aſſecuti ſunt, & cuius vi admirãda præſtiterũt, lege Auicennã chymicũ lib. de anima, & Vincentiũ in ſpeculo naturali, vbi enumeratos illos cõperies, ad quorũ imitationẽ induſtriam tuã cõpone. Quid enim elegãtiùs, ac vtiliùs diſcat Medicus, quàm ſpiritus metallorũ & mineraliũ extrahendi ſcientiã? Quid præſtãtius quàm ſubtiliſsimos ſales herbarũ qui ſuis aquis denuò reddantur, coagulentur, ſoluantur, & randem perfectè fixentur, pręparandi rationẽ callere? quàm rerum eſſentias elicere? Nunquid hęc doctorum opera, labores & exercitationes eſſe oportere teſtantur celeberrimi illi Philoſophi Medici, Marſilius Ficinus, Amydenus, Riffius Bulcaſis, Petrus Aponenſis, Viſtadius Manardus, Fernelius, Cardanus?

Sed Cardani teſtimonium non pigebit huc inſerere, cùm ad rem maximè faciat. Quod tamẽ, inquit, permutari metalla poſſint, multis viſum eſt ob experimentum æris, iam ſuperius adductum. Videntur etiã permutare colorem & pondus ob ignem, quare & ſubſtantiam veriſimi-

riſimile eſt poſſe permutare. Creditum eſt etiam quoſdã id feciſſe, vt apud illuſtriſſimum Venetorum Principẽ, paucis ante annis aſſiſtentib. ſapientib. ciuitatis à quodam Taruiſino Pharmacopola, cuius rei manent adhuc veſtigia. Cùmque herbarum ſpecies quædam inuicem permutẽtur, haud mirũ videri debet metalla permutari poſſe. Verum (poſtea addit vt inexpertus) non omnia poſſunt inuicem permutari (deinde ſubiicit) ſolum illud dubium eſſe, an argentum in aurum poſſit mutari, quod fieri poſſe exiſtimo. Nã argento, vt aurum fiat, deſunt denſitas, ob quam ponderoſius fieri oportet, & color. At hæc metallo addi poſſunt. Si denſius reddatur argentũ, pinguedo abolebitur, & ignibus melius reſiſtet, atque vt dixi pondus acquiret. Hæc ex Cardano, quem experientia rerum magiſtra ita eſſe docuit, verum dum ad trutinã ſuæ rationis vult artificium illud expendere, ibi hæret incertus, (etſi veritatem ab illo extorqueat aſpectus artificii) immemor Alberti illius magni ſentẽtiæ dicentis: De tranſmutatione horum corporum metallicorũ, & mutatione vnius in aliud non eſt Phyſici determinare, ſed artis, quę eſt Alchymia. Sed de his ſatis, hoc vnum addam in corollariũ: ſi nulla ſit ars Chymia, aut incerta vel falſa, vt tu vis, Suidã autorem grauẽ cum multis aliis mendacij perfricta fronte inſimulas, qui ſcripſerit, Chymiã eſſe auri & argenti cõfectionẽ, cuius libros omnes Diocletianus, ſubacta Ægypto, perquiſitos exuſſerit, ne iis amplius confiſi, ex affluentia pecuniarum, quã inde ſibi comparabant Ægyptij, nouas res in Imperium Romanum molirentur, & ab eo deſciſcere ſinerent. Quod ſi ea aſſerenda eſſet Iuriſconſultorum doctiſſ. iudiciis ac ſententiis, quibus temerario, tuo arbitrio, refragaris, dies nobis deficeret ad eorum ſententias citandas in veritatis eius & antiquitatis confirmationem.

Sic

Sic enim Oldradus Iuriſconſultus Lib. Conſ.cap.74. & Ioannes Andreas, Chymicā artem, quam Alchymiam vocant, veram eſſe probāt, nec prohibitam, nēc metallum vnum in aliud transmutari inconueniens eſſe. Videmus, aiunt, quòd quandoq; ex re mortua producitur viua, vt licet ex vermib. conſpicere, ex quib. producitur ſericum, & aliis plurib. & ex herba producitur vitrum, multò magis ex metallis, in quib. maior eſt conuenientia & ſimilitudo. Nā (vt ipſi aiunt, & habetur in Lib. de Proprietatib. rerum, cap. de Alchymia) omnia metalla procedūt ex eodem principio, ſc. ex ſulphure & argento viuo Cùm ergò ars imitetur naturam ar. ff. de adopt. l. ſi adopt. non videntur iſti Alchymiſtę peccare. Nam cùm ſint quaſi ex eodem principio, ſc. ex ſulphure & argento viuo, in ſimilia, in habentib. ſymbolū, facilior eſt tranſitus. Inſunt enim (vt dicit Auguſt. Lib. de Ciuitate Dei, quem iam citauimus) reb. corporeis occultæ ſeminariæ rationes, quib. cùm data fuerit opportunitas temporalis & caſualis prorumpant in ſpecies ſuis modis & finib.

Hic vides Anonyme, & rationes, quibus ars certa & vera eſſe probatur, & artifices quos inique ſuo ſupplicio tuo mulctandos velis, cùm non peccent.

Audiamus adhuc ſapientē Iuriſconſultum, quid de veritate huius artis pronuntiet, Sic Fabius de Monte S. Seuer. *in tractatu de empt. & vend. quæſt. 5. n. 8.* Quæritur inquit, an Alchymiſta, vel faciens Alchymiam puniendus ſit de falſo? Dicas (inquit) quòd non, quia eſt ars perſpicaci ingenio inuenta, vbi expenditur tantum pro tanto, & tale pro tali ſine aliqua falſificatione formæ vel materię, Albericus de Roſate in diction. in verbo Alchymia, poſtquàm vtrinq; multa diſputauit, & allatas in contrariam partem quæſtiones expoluit, ſic tandem concludit.

Nec dicunt (Alchymiſtæ) *vnam ſpeciem immutari, non*

aliam, vt eis imponitur, quia hoc non eſt poſſibile. Sed dicunt, quòd ex vnæ ſpecie metalli poteſt alia ſpecies transferri, vt aurum vel argentũ, nec hoc eſt inconueniens. Nam videmus aliquando ex re mortua produci viuam, vt in vermibus producentibus ſericum, & ex herba produci vitrum: multò magis in metallis, in quibus maior eſt cõuenientia. Deindè multa ſubiicit ac tandem cõcludit. *Cùm ergo ars imitetur naturam, ff. de adopt. lege adoptio, nõ videntur Alchymiſtæ peccare, ſi per virtutẽ herbarũ, lapidum vel elementorũ, faciunt de ſtanno argentum, nam cùm ſint ex eodem principio, in ſimilia, in habentib. ſymbolum facilior ſit tranſitus.* Ipſe Guido Papa in ſingul. 388. ff. de his. ſic quæſtionem reſoluit, cùm dicit: *De his, qui faciunt Alchymiam, vtrum debeant puniri? Dic, quòd non, dum tamen faciunt ſine aliqua falſitate materiæ vel formæ, quia eſt ars pro ingenio adinuenta, tanquam à Philoſopho.*

Si plura deſideras lege Oldradũ in conſil. Ioan. Andr, Ioannem de Platea, Albertum Brunum, Andream Iſerinum, Franc. Hottomanum, & complures alios, qui doctiſſimè pro veritate artis tuenda cõſilia ſua explicarũt.

Quid igitur reſtat, quàm vt tu, Anonyme, reſipiſcas, nec in naturæ lucẽ amplius, ipſamq́; chymiam naturalem Philoſophię meliorẽ partem admirabilem, humanoq́; generi prorſus neceſſariã, eructare ſtudeas? Quam vt ſupra diximus Hermes Triſmegiſtus veram ſine mendacio, certam, veriſſimam appellat, & quam probant Plato, Euſtathius, Suidas, Solinus, Strabo, Plinius ac innumeri alii, quorum plurimos ſuprà recenſuimus, quibus fidem derogare ſit nefas.

Quibus remediis morbi ſint medicandi, breuis certaque diſcuſſio & deciſio.

QVæſtionem agitas, Anonyme, an ſimilia ſimilibus curanda ſint, an contraria contrariis? Deinde ſtatim ex

tim ex Hippocratis & Galeni teſtimoniis infers, cōtraria contrariis, non ſimilia ſimilibus eſſe medicanda. Si deeſſent tibi autoritates, prorſus vbique obmuteſceres. Quid enim tu ex tuo liberè philoſopharis, cùm tantùm ſis Galeni & Hippocratis tranſcriba? aut potiùs tantorū autorū inſignis ſcriptorū adulterator. Primum medentis conſilium eſſe dicis inuenire remedium, quod depellendo morbo ſit accommodatum. Supra dixiſti facilē eſſe Medico remediorum inuentionem, modò ſit illi morbus exploratus. Primū igitur medentis conſilium eſt exploratam habere morbi naturam. Vide quàm parum tibi conſtes. Certum eſt enim non eſſe Medicum eum, qui morbum tantum nouit, remediū tamen ignorat. At qui contraria contrariis ſimul curanda eſſe affirmat, is nunquam morbi remedium facilè inueſtiget, nec eam fuiſſe Hippocratis mentē paulò poſt docebimus. Morbos oriri ex diſſidio principiorum certum eſt, & quotieſcunq; principia illa à ſua temperie diſcedunt (quā vocant intemperiē) ac vnum ab alterius conſortio ſeparatur, ſeorſim domicilium figēs, morbum parit. Dum enim aliorū permiſtione deſtituitur, quæ ſimul iuncta concordiam fouent, bellum tunc corpori indicit, nullis coercitum frænis. Nec putes me hic qualitates ſimplices & nudas intelligere, ſed eſſentias ipſas, in quib. vigent: illæ δυνάμεις Hippocraticę, quæ ſanitatē incolumi ſuo balſamo tuentur, vel eā deperditā reſtituunt. Sic enim Hippocrates dicebat πάντα ἀπὸ δυνάμεων γίνεσθαι, τὸ θερμὸν ψυχρὸν, ὑγρὸν, ξηρὸν non eſſe μεγάλην δύναμιν ἔχον. Proptereaa illa profligandorū morborum uirib. carere. Cùm ergo in eſſentiis ſemina & proprietates, tùm ſanitatis tùm morborum delireſcāt; ſequitur illa eſſentiis quoq; eſſe fouenda, non qualitatibus. Quæ eſſentiæ, cum meri ſunt ſpiritus agentes, ſpiritib. etiam, non corporibus,

quę diſſimilia ſunt, aut ſi vis contraria, debellandi ſunt. At hic nobis non hærendum, aut longiùs progrediendum. Aſſeris omnia ex elementis conſtare, ergo & corpora noſtra. Si autem elementũ aeris patitur in nobis, an elemento terrę ſuccurretur illi? Cur aduerſus peſtem nulla propemodum Medicis remedia occurrunt? An quòd nulla ſint? (hic in Dei iudicia inſurgere non eſt animus, qui medicamentis virtutem detrahit cùm vult, vel iis benedicit) Nequaquam, ſed quòd perperam & ineptè ab inſciis Medicis, peſtis cauſas & originem ignorantibus, opponantur. Etenim cùm peſti ex cœlo graſſanti medicamentum opponunt ex terra, aqua aut aere petitum, aut ex terra ducenti originem aqueum; quid mirum ſi nullus effectus inde ſequatur, cùm non ea quę ſeſe mutuò pellunt & fugant committenda ſint, ſed ea quæ facilè conueniunt & colligantur? Quomodo enim cœlo terra miſceatur, in ſubſidium cœli laborantis aut cœlum terræ, inter quæ tanta diſtantia eſt, quanta inter diuiſibile & indiuiſibile, vt loquebatur Plato? Cœleſtia ergo cœleſtibus, aquea aqueis, & terreſtria terreſtribus committenda ſunt, non contra; nullo alioqui amplexu conuenire poſſunt. Nota igitur Anonyme cœlum, aerem, aquam & terram in nobis conſiſtere, ſed aliquid aliud præterea longè excellentius, metaphyſicum nempè quoddam corpus, quod omnia alia in temperatura conſeruat, cuius robur omnia in officio continet. Imbecillitas verò & defectus ſinit illa diffluere ac euagari. Quid igitur in hoc certamine agendum, quàm metaphyſicum illud corpus, hoc eſt naturæ balſamum, in vigore & robore ſuo fouendum, vt reliqua alia ſibi ſubiecta, & quibus vitam elargitur, in ſuo ſtatu integra firmaque tueatur & contineat? At quibus eius imbecillitas, aut defectus inſtaurabitur, quàm ſimilibus? an oleum increſcet aqua impoſita? Nunquid

potius

potius hoſtis hoſtem pellit, vt amicus amico auxiliatur? Omnes ægritudines inde proficiſcuntur, in corpore noſtro in quacunque corporis parte inſideant, quòd balſamus naturæ, vita & munia illic deficiat. Quid igitur agendum, quàm vt imbelli amico opem feramus? Dicebat Hippocrates Lib. de flatib. famem morbum eſſe. Etenim quicquid hominem torquet, morbi meretur appellationem. Remedium verò huius morbi eſt, quicquid famem ſedat, atqui talia ſunt alimenta, quibus idcirco curandus morbus. Ergo Hippocrati alimenta remedia ſunt. Sed quare dicentur alimenta medicamentoſa, niſi quatenus proprietates habent naturales, balſamo naturæ congruentes, non contrarias, ex quibus vires eius imbelles corroborantur, & defectus eiusdem inſtaurantur? Eadem ratione & potus ſitim ſanat. Cur & vnde iſtud niſi ex eo, quòd, quemadmodum nutrimentum idem eſt cum nutrito: *Sic ſitis cum humore deſiderato vel cum potu eadem eſt?* Hinc dicimus nos, parentes noſtros edere quotidiè, quòd eadem ſint illa, ex quibus conſtamus, & ex quibus viuimus. Vide igitur quàm iniquum ſit iudicium tuum, quo contraria contrariis vis applicari ad corroborãdum naturam, vt morbos à ſe expellat. Quæ ſi ab hoſte auxilium peteret, nunquam non in peius periculum rueret, quàm ſi tantùm ſibi cum morbo res eſſet? Nec tamen reiicimus dictum Hippocratis dicentis, contrariorum contraria eſſe remedia, ablatione videlicet impuritatum morbidarum, & virium ac balſami innati inſtauratione, non calefactione aut refrigeratione, humectatione aut exſiccatione, non abſterſione, inciſione, attenuatione, & id genus aliis Galeno nimirum tritis, & familiaribus. Sed cum Hippocrate idem ſentimus, famem nempè cibo, ſitim potu, repletionem euacuatione, inanitionem refectione, laborem quiete, &c. ſedari, vt à

Galenó exponũtur,qui ad nudas illas qualitates, de qui bus Hipp. lib.de antiqua Medicina,contrarietates illas accõmodat, cùm Medicina nihil aliud ſit quàm appoſitio eorum quę deſiderãtur,& ablatio illorum,quæ redundant,vt rectè etiam ſentit hic Galenus.Sed longè aliud maius concipit Hippocrates, nempè vt morb.propulſetur,corroborata aduerſus hoſtẽ natura, quæ cùm ſola ſit medicatrix morborũ ſimilib, iuuanda eſt, & expetitis remediis, vt morbi morborumq; ſymptomata leniantur & mitigentur, quemadmodum fames & ſitis recreãtur & ſedãtur his remediis, quæ auidè expetũt, At hoſtilia non appetũtur,ſed amica &familiaria. Quis enim eſurienti filio,aut petenti panem,ſcorpionẽ offerat? Conſentanei igitur&ſimiles liquores exhibẽdi ſunt ſimiliaq; alimenta,quę deſideratam quietẽ naturę reddant. Ex eodem enim fonte & eadem familia remedia, quæ ſint ſimilia ac conſentanea,porrigenda ſunt. Neq; enim ſitientes febriũ ſpiritus recreandi ſunt ſyrupis ſaccaratis,ptyſana ſola,aut vino,quòd nõ ſint eiusdem familiæ cũ illis;idcircò nec amici familiares,aut cognati: ſed iis liquorib. acetoſis, qui ex eadem gentẽ prognati ſint,qui ſint ſpirituales, non corporei, quales iſti ſuperiores,quorum guttæ aliquot,ſi ſitienti offerãtur,confeſtim ſitim ſedaturæ ſint,&ad ſuam requiem eiusmodi laborantes ſiti ſpiritus reuocaturæ. Haud ſecus vigiliæ, dolores, calores ſanantur. Cùm enim ex ſpiritib. fiant ſitientib. id eſt aliquid ſibi ſimile, quod deeſt,appetentibus,nunquam ii ſedabũtur,nec quieſcent, quin quod requirũt obtinuerint,&defectũ ſuum reſarcierint.Proinde & rectè Hippocrati dicuntur contraria,&Hermeticis ſimilia remedia.Similia quidẽ,quòd ex eadem naturæ anatomia hauriãtur, cõtinentia proprietates,virtutes,tincturas & radices ſimiles. Contraria verò quòd defectus reſarciãt,&deſideria amica ſaturitate expleãt,

ſpiritus

ſpiritus & impuritates conſentaneas delinientes, & earum conſumptiones ac ablationes molientes. Propterea in naturæ anatomia hę locutiones, etſi videntur ſibi diſſimiles & inter ſe pugnantes, congruè tamen recipiuntur & admittuntur. Contraria videlicet contrariorum ſunt remedia, & ſimilia ſimilium. Sed vt ad principia noſtra, ad elementa nempè, vel ad tria illa, & elementa & elemẽtata formantia primordia corporũ redeamus, ad ſal nempè, ſulphur & liquorem ſiue mercurium, cùm ex illis omnes ferè morbi graues pendeant, vt ne peſtis quidem extrinſecus aduolans graſſari poſſit in hominẽ, quin aliquod iſtorũ aggrediatur; non ineptius feceris, ſi morbo mercu. laborãti remedio ex ſulphure petito ſuccurras, quàm ſi oleũ aquę immiſceas, quæ inter ſe expertia ſunt mixtionis & vnionis. Sic ſulphureis morbis, ſi mercuriali medicamento opitulari contendas, aut ſalinos aliorũ auxiliis propulſare velis. Iſta enim nõ poſſunt ſe mutuo amore cõplecti, inter ſe tàm diſſimilia, nec colligari vnq̃ inter ſe, vt corpus aliquod cõflarent, niſi metaphyſico illo & æthereo corpore, balſamo nempè omnib. reb. communi, in amicã pacem & vnionẽ vincirentur. Mercurio igitur laboranti mercurialib. remediis auxiliandũ, vt epilepſiæ, apoplexię, vitriolatis, & ex aqua petitis remediis, ſulphureis, ex eadem familia adductis auxiliis ſuccurrendũ, & ſalina ſalinis adaptanda. Sic ſimilia ſemper ſimilib. conuenire & curari, ratione & experiẽtia doceberis. Poſſemus dilucidiorą iſthæc reddere, & plurib. rationib. ac exemplis rem totam oculis ſubiicere. Sed quorſum omnia tibi præmandamus, & in os ingeramus, vt nullo negotio tibi cadant in ventriculũ, cùm etiã vbiq; in meis ſcriptis iſta ſatis enucleata reperias? Lege, veritatiq; iam pridem tibi illuceſcenti ſedulò inuigil, nec pudeat didiciſſe etiã in extremo ſenio, ſi quid habeas mihi ignotum, gratum

facias,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

facias, ſi obtuleris mutuo. Quæ vera ἀδελφία inter Medicos eſſe debet, tantoperè ab Hippocrate commendata.

Atque hæc de tuis Examinibus ſint ſatis. Ceterùm iudicium ſcholæ veſtræ Pariſienſis, quod tuæ Apologię ſubiicis, puto à te ſolo eſſe confictum. Qui enim ſexag. ſapientes Medici tam abſurdè vno conſenſu hallucinentur, vt librum meum, qui Hippocraticam diſciplinam redolet, de Alchymia inſcribant, & de eo tanquam ex profeſſo de Chymico artificio damnent? Quis non videt, hæc prorſus eſſe à proborum virorum ſententia aliena? Et ſi quæ adiunxi in vtilitatem & ornamentum Medicinæ, magnis vtique vigiliis, laboribus & colloquiis clariſſimorum totius Europæ Medicorum comparata, quæ palato ſuo non arrideant, non idem omnibus condimentum placet, non idem omni palato guſtus hæret, ſinant alios frui pacificè? Quis te igitur ſapientum Medicorum, quos temerè tuæ audaciæ fautores appellas, pacato animo ferat? Tui igitur ſimiles potiùs iudicauerim, factum tuum probaſſe, quos tu vt Comicus aliquis Προσωποποιία in hanc temeritatis tuæ ſcenam introducis, quàm vniuerſam Academiam Medicam tam celeberrimam tàm iniuſto decreto ſubſcripſiſſe.

Ανέχου igitur poſthac, καὶ ἀπέχου, vt in te obiter torqueatur ſapiens illud dictum iudicibus adſcriptum, quo tu quoque in poſterum iure ſapere, & in officio verſari diſcas, ne tibi hoc alterum opponi poſſit; Ne ſutor vltra crepidam.

Vale & plaude.

FINIS.

by Google

Google